





UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
531939190X



FR. ANDREÆ SGAMBATI,

ORDINIS MINORUM

SANCTI FRANCISCI CONVENTUALIUM,

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

PRO JUVENUM ORDINIS EJUSDEM INSTRUCTIONE.

TOMUS UNDECIMUS.

COMPLECTENS

LIBROS DE JUSTIFICATIONE, ET DE SACRAMENTIS IN GENERE.



MATRITI ANNO MDCCCXXVII.
EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS DE BURGOS.
Superiorum facultate.

Se vende en Madrid en la imprenta de Burgos frente á S. Isidro el Real.

Fr. ANDREÆ SGAMBATI,

ORDINIS MINORUM

SANCTI FRANCISCI CONVENTUALIUM,

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

PRO JUVENUM ORDINIS EJUSDEM INSTRUCTIONE.

TOMUS UNDECIMUS.

COMPLECTENS

Libros de Justificatione, et de Sacramentis in genere.



MATRITI ANNO MDCCCXXVII.
EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS DE BURGOS.
Superiorum facultate.

Se vende en Madrid en la imprenta de Burgos frente á S. Isidro el Real.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXIV.

IN QUO DE JUSTIFICATIONE, BONORUMQUE OPERUM MERITO DISPUTATUR.

Alibi de actuali gratia sermonem habuimus; nunc antequam de Sacramentis agamus, de gratia habituali disserimus, cujus præcipuus effectus est, hominem justificare *formaliter*, ut ex injusto justus evadat, possitque bona pietatis opera facere, quorum intuitu æternæ gloriæ præmium à Deo reportet. Hinc de justificatione bonorumque operum merito breviter hoc in libro tractabimus, omittentes, aut leviter attingentes, quasdam scholæ quæstiones, in quibus agendis aut nulla, aut parva cum utilitate quidam olim multum temporis impenderunt.

CAPUT I.

Ubi quid sit Gratia habitualis, sive justificans, explicatur.

Dum de justificatione disseritur, plurimum Novatores à Catholicis discrepant: ac in eo præsertim, quod negant justificari hominem per veram propriamque justitiam, sive per gratiam, charitatemque animæ inhærentem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Arbitrantur enim extrinsecam dumtaxat et forensem admittendam esse justitiam, quæ in sola sempiterni Judicis declaratione, sive in remissione peccati per solam imputationem justitiæ Christi consistat. Catholici vero propugnant, justificationem fieri per justitiam inhærentem, quam Tridentina Synodus in sess. 6. c. 7. unicam formalem causam nostræ justificationis appellat.

Quidam Theologi, ut Bartholomæus Medina in 1. 2. q. 110. a. 2. dixerunt, Synodum Tridentinam contra hæreticos tantummodo statuisse, quod Deus quando peccatores justificat, non solum illis peccata remittat non imputando ad pœnam; sed etiam interius eos secundum animam renovet, ut ex pravis et injustis recti effician-

tur ex justi. Negant autem à Concilio definitum, num interiorem hanc renovationem operetur Deus per qualitatem aliquam permanenter inhærentem, an vero per solam actualem divini auxilii motionem. Andreas autem Vega scribens in c. 7. sess. 6. Concilii Tridentini, diversam sententiam sequitur, affirmatque, dogma esse in eo Concilii loco statutum, quod gratia et virtutes sint habitus nobis infusi, et justificatio per habitualem gratiam habeatur.

Alii vero Theologi, quibus et nos subscribimus, negant definivisse Concilium, quod justificans gratia sit habitus infusus, et qualitas permanenter inhærens; cum potius à nomine *habitus* consulto Tridentini Patres abstinere voluerint, ne scholæ opinionibus præjudicium aliquod afferretur. Addunt autem, quod licet citata Medinæ sententia à Concilio proscripta non fuerit, falsum est tamen, quod per actualem dumtaxat motionem justificatio peragatur. Loquitur namque Concilium de justificatione generaliter sumpta; prout nempe illa justificationem etiam infantium, et amentium comprehendit: atqui in istis actualis illa motio fingi non potest. Deinde Synodus Tridentina justitiam appellat primam stolam, sive spirituale quoddam animæ indumentum talibusque illam exprimit characteribus, quæ actuali tantum et transitoriæ motioni non competunt; sed permanentem gratiam omnino requirunt, quam Scholastici *habitualem* appellant.

Gratia ergo sanctificans, sive illa per quam formaliter justificamur, est permanens, ac per modum habitus nobis inhæret: quod sequentibus etiam argumentis facile confirmatur. Et 1. Scriptura Dei gratiam comparat creatis rebus, quæ permanentes sunt, vel etiam inhærentes, cujusmodi sunt unctio, vel unguentum, pignus, et semen. Ita in 2. ad Cor. c. 1. v. 21. et 22. *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et in 1. Joan. 2. v. 27. *Unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Denique in hac eadem epist. c. 3. v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet.*

Deinde in Viennensi Concilio duæ relatæ sunt opiniones, quarum una dicebat, renatis per Baptismum parvulis conferri quidem originalis peccati remissionem, non vero gratiam: alia asserebat, conferri etiam gratiam, et virtutes quoad habitum, etsi nondum pro illo tempore quoad actum: Concilium autem hanc secundam probat, atque: *Opinionem secundam, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiae magis consonam, et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Ita habetur in Clementina unica titulo *de Summa Trinitate et fide Catholica.*

Postremo Catechismus Romanus Pii V. jussu editus et approbatus in p. 2. cap. 2. de Baptismo n. 50. ait: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum poena ana-*

thematis propositis decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio; sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam, et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, ac splendidiores reddit.

Ex dictis apparet, gratiam qua formaliter justificamur, creatum aliquid esse; non vero vel ipsum Deum, vel ipsam Spiritus Sancti personam. Hinc Tridentina Synodus in sess. 6. cap. 7. exponens modum, quo homines justificantur, affirmat, id fieri, dum Christi *sanctissimae Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret.* At quod diffunditur, à diffundente distinguitur; et quod inhaeret, creatum aliquod esse debet.

Ibidem quoque Concilium formalem nostræ justificationis causam ab efficiente secernit, atque: *Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam.* Quibus profecto nil clarius, ut ostendatur, justificantem gratiam donum esse creatum, à Deo, et à Spiritu Sancto omnino diversum.

Id etiam ex Augustino colligitur tum alibi, tum in lib. de Spir. et Lit. c. 9. ubi referens ea Pauli verba Rom. 3. v. 21. *Justitia Dei manifestata est*, ait: *Non dixit, justitia hominis, vel justitia propriae voluntatis; sed justitia Dei; non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium.* Ac deinde allatis ejusdem Apostoli verbis v. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi*, subjungit: *Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus: sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei, et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.* Tandem c. 32. inquit: *Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris; non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur; et Domini salus, qua nos salvos facit; et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit.*

Eadem postremo Bernardi sententia est, qui in libro de Diligendo Deo c. 12. ait: *Dicitur recte Charitas et Deus, et Dei donum. Itaque Charitas dat charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiae est; ubi donum, qualitatis.* Ergo gratia sanctificans, quæ, uti mox dicemus, à charitate distincta non est, à Deo et à Spiritu Sancto distinguitur, sicut distinguitur effectus à causa.

Quæ cum ita se habeant, juxta Peripateticorum opinionem satis probabiliter affirmandum esse videtur, quod gratia sanctificans sit habitus supernaturalis, et qualitas accidentalis absoluta, realiter ab anima nostra distincta. Nam cum anima non sit justa ex sui natura, possitque à gratia ad peccatum, et à peccato ad gra-

tiam pertransire; profecto patet, quod gratia ab anima realiter distinguatur. Atqui non distinguitur ut substantia, nam substantia supernaturalis non est aliquid creatum; neque potest substantia quæcunque alteri inhærere, sicuti de gratia dicitur quod inhæreat. Deinde nequit esse mera relatio; cum sit animæ decor, et participatio quædam divinæ naturæ; quod magnam redolet perfectionem. Erit igitur accidens absolutum, et absoluta qualitas, animæ superaddita; quæ quia difficulter est mobilis, et permanenter inhæret, habitus appellatur; de quo Catechismus Romanus in p. 2. c. 2. de Baptismo n. 52. ait: *Ex Christi Domini plenitudine in omnes qui justificantur, divina virtus, et gratia diffunditur, quae nos ad omnia Christianae pietatis officia habiles reddit.* Lege quæ diximus in lib. 3. c. 5.

Thomistæ passim affirmant, gratiam habitualem à charitate realiter esse distinctam: Scotistæ vero, aliique theologi eundem gratiæ et charitatis habitum esse contendunt. Horum nos opinionem libenter amplectimur, quam solent multiplici argumento probare.

Et 1. Scriptura easdem proprietates tribuit charitati, quas gratiæ tribuunt diversæ sententiæ defensores: non ergo realis distinctio charitatem inter et gratiam intercedit. Probatur antecedens. Nam gratia sanctificans, uti Thomistæ volunt, nos adoptivos Dei Filios efficit; at id etiam de charitate S. Joannes affirmat in epist. 1. c. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur et simus.* Tum gratia hominem Dei amicum reddit; quod præstat et charitas, juxta illud Joan. 14. v. 21. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Deinde charitas non secus, ac gratia nos Deo conjungit; ut enim legitur in 1. Joan. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Insuper sicuti gratia, ita et charitas spiritualem nobis vitam impertit. *Scimus*, inquit Joannes in epist. 1. c. 3. v. 14. *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Præterea quemadmodum gratia, sic et charitas fons est et radix virtutum omnium operumque bonorum. Ut enim scribit Apostolus in 1. ad Cor. c. 13. v. 4. et sequen. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Et Rom. 13. v. 10. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Rursus tum gratia, tum charitas est semen vitæ æternæ, et causa nostræ salutis: unde Jacobi 1. v. 12. dicitur: *Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quidquid denique Thomistæ habituali gratiæ solent adscribere, illud idem à Scriptura, et Patribus adscribitur charitati; quod profecto realem identitatem evidenter ostendit.

His accedit, quod uti recte notat Estius in 2. d. 26. §. 4. cum Tridentini Patres in sess. 6. cap. 7. de formali causa nostræ justificationis ex professo tractarent, eam unicam esse dixerunt; Dei nempe justitiam, qua justos ille nos facit. Hanc vero postea charitatem Dei diffusam in nostris cordibus nominarunt, nulla facta mentione gratiæ, sed fidei dumtaxat et spei, quas simul cum cha-

ritate homini, dum justificatur, docuerunt infundi. Si ergo quod inter omnes convenit, justificatio per infusionem gratiæ habitualis habetur; aut ex mente Concilii gratia cum charitate est eadem; aut, quod non est credendum, doctrina Concilii de formali causa justificationis perfecta non erit; atque adeo falsa erit ex ea parte, qua tradit unicam esse causam formalem nostræ justificationis; nempe justitiam, quam eandem facit cum charitate.

Eadem quoque est Augustini sententia, qui in lib. de Natura et Gratia c. 42. aperte pronunciat charitatem esse verissimam, plenissimam, perfectissimamque justitiam; et ibidem c. 70. dicit: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

Postremo si gratia ita à charitate distinguitur, quomodo distinguitur anima à potentiis suis, uti Thomistæ volunt, ajentes, gratiam velut essentiam vitæ supernaturalis præsupponi supernaturalibus virtutibus, eisdemque substerni; consequens profecto erit, quod absque gratia, nulla esse possit in homine virtus infusa; quemadmodum sine essentia, nulla ejus potentia, vel potentiæ habitus esse potest: atqui amissa gratia permanent adhuc fidei, et spei habitus, licet informes. Non ergo potest gratia ad universum genus habituum et operationum supernaturalium comparari, tanquam essentia quædam ad potentias, vel operationes; cum potentiæ, et operationes essentiam necessario prærequirant.

Sed objectant 1. Scriptura de gratia et charitate loquitur tanquam de donis omnino distinctis. Legitur enim in 2. ad Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritus Sancti.* Et in 1. ad Tim. 1. v. 14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione*: ubi insinuatur gratiam, sicut à fide, ita et à charitate distingui: cum ergo à fide realiter distinguatur, realiter quoque à dilectione distinguitur.

Resp., quod particula et non est semper signum distinctionis inter ea, quæ jungit; uti tum ex innumeris aliis locis apparet, tum ex 2. ad Cor. c. 1. v. 3. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Ubi nemo asserere potest, quod Deus non sit Pater Christi, et quod Pater misericordiarum non sit Deus consolationis; sicuti neque ex objecto primo textu inferre quis potest, quod gratia, et charitas non sit communicatio Spiritus Sancti. In altero testimonio gratiæ nomine non gratia creata intelligitur, sed gratuita Dei voluntas, qui ad Christi fidem, et dilectionem vocavit Apostolum.

Adnotamus hic insuper, quod dum Tridentina Synodus, sess. 6. can. 11. damnat, qui dixerit, hominem justificari *exclusa gratia, et charitate*, noluit gratiam charitatemque veluti duo realiter distincta proponere; præsertim quia ibi duo verba numeri sin-

gularis adjungit, ut nempe demonstret, quod duo præmissa vocabula de uno eodemque dono aut debeant, aut percommode possint intelligi. Sequitur enim: *quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat*. Quanquam Concilii Patres verba sua sic data opera temperaverint, ut quæstionem inter Catholicos controversam in alterutrâm partem definire noluerint; contenti videlicet id definire dumtaxat, quod contra totius Ecclesiæ consensum ab hæreticis negabatur.

Objiciunt 2. Rom. 5. v. 5. legitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ex quo textu argumentum istud informant: Prius datur Spiritus Sanctus, quam detur charitas: atqui Spiritus Sanctus datur per aliquod donum suum, quod aliud non videtur esse, quam gratia: gratia igitur charitatem præcedit, ab eaque distinguitur. Unde et Augustinus in lib. de Dono Persev. c. 16. dicit, quod *gratia praevenit charitatem.*

Resp., quod Apostolus tantum affirmat, dari nobis ipsum Spiritum Sanctum, qui est donum increatum, cujus primarius ac principalis effectus in nobis est charitas. Quare non ibi aliquis ordo donorum nobis inhærentium indicatur; sed eo ipso, quo Spiritus Sanctus datus est nobis, charitas Dei diffusa in cordibus nostris asseritur. Hinc utrumque præteritum, *diffusa est*, *et datus est*, ad idem instans temporis ac naturæ refertur. Quamvis enim Spiritus Sanctus donis suis prior sit, non tamen prius ille tribuitur.

Denique dum Augustinus ait, quod gratia prævenit charitatem, contra Pelagianos ostendit, neminem posse Deum diligere, nisi per gratiam. Hæc enim *praevenit fidem*, *praevenit voluntatem*, *praevenit omnem obedientiam*, *praevenit etiam charitatem*, *qua una Deo veraciter et suaviter obeditur*, *et haec omnia gratia in eo cui datur*, *et cujus haec omnia praevenit*, *operatur.*

Objiciunt 3. Effectus formales gratiæ et charitatis sunt omnino diversi, adeo nempe ut possint etiam ab invicem separari. Formalis enim effectus gratiæ est esse gratum ac dilectum, charitatis autem est esse diligentem: atqui fieri potest, ut quis diligatur, et non diligat; et contra, ut quis diligat, nec tamen diligatur; præsertim ad bonum illud, ad quod homo Deo per gratiam fit acceptus, idest ad vitam æternam. Oportet igitur et ipsas formales causas, gratiam et charitatem, esse diversas.

Resp., quod argumentum dumtaxat ostendat, gratiam et charitatem inter se rationis distinctione differre. Illi vero effectus, scilicet esse dilectum, et esse diligentem, ab una eademque forma sive qualitate diversimode considerata proveniunt. Nam una charitas, quatenus est virtus operativa, reddit hominem habilem ad opus, scilicet ad dilectionem Dei; proindeque formaliter efficit diligentem in habitu: quatenus autem est pulcherrima quædam forma animæ inhærens, reddit animam formaliter pulchram, eaque ratione Deo gratam ac dilectam; ut necesse non sit propter hoc

ponere qualitatem aliquam realiter à charitate distinctam, per quam formaliter Deo gratus homo reddatur.

Et quamquam fieri possit, ut quis diligatur, et non diligat; quomodo Deus nos non diligentes, ab æterno dilexit, ad hoc ut aliquando eum diligeremus; ea tamen dilectione, qua nos gratos habet et ad vitam æternam acceptos, non diligit nisi diligentes: quia nimirum ratio dilectionis ejus qua sic diligit, est dilectio nostra, per quam eum diligimus; idest charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

CAPUT II.

Quod in justificatione peccata vere tollantur.

Justificatio multifariam in Scripturis accipitur vel nempe pro divina lege, qua præcepta justitiæ proponuntur; juxta quod habetur in Psalmo 118. v. 5. *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas*: Vel pro externa declaratione justitiæ; quo in sensu legitur Isaiæ 5. v. 23. *Justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo*: Vel pro interna animi rectitudine, per quam sanctitate perfundimur; uti legitur ad Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*: Vel postremo pro ejusdem justitiæ incremento; ut Apoc. ult. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.*

Novatores, sicuti etiam in superiori capite notatum est, interiorem justitiam negant, et forensem dumtaxat admittunt, qua Deus hominem pronunciat declaratque justum, non illi suum imputando peccatum: sed imputando Christi justitiam, qua extrinsece, veluti veste contectus, coram Deo justus apparet, quamvis in se sit revera peccator. Hinc ajunt, in justificatione peccata vere non deleri, non tolli, sed operiri dumtaxat, et tegi; quasi quod à Deo non videantur, cum illa non puniat.

Propositio. In justificatione impii peccata vere ac omnino tolluntur.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ passim affirmant, Deum peccata delere, tollere, auferre, et peccatorem ab iniquitate lavare, mundare, ac super nivem album efficere. Ita in Psalmo 50. v. 3. et 4. legitur: *Dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me.* v. 9. *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* Et v. 11. et 12. *Omnes iniquitates meas dele: Cor mundum crea in me Deus*: &c.

Item Isaiæ c. 1. v. 16. *Lavamini, et mundi estote* Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Michææ 7. v. 18. *Quis Deus si-*

milis tui, qui aufers iniquitatem? Tandem Apostolus in 1. ad Cor. 6. v. 11. postquam recensuit gravia anteactæ vitæ delicta, subjunxit: *Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis: &c.*

Ad hæc autem, et ad alia plura Scripturarum oracula perperam respondent hæretici, evinci dumtaxat, quod peccata justificatis non imputentur ad poenam. Nam profecto ablutus, mundatusque non recte dicitur ille, qui adhuc inquinatus est sordibus; licet alterius pallio, aut veste sibi applicata tegatur. Male etiam dealbari ut nix, Æthiops diceretur, si solum nigredinem ejus sub candida veste aliquis occultaret. Male etiam dicerentur peccata deleri, vel tolli; si ut capilli capitis, solummodo raderentur, et rursus pullularent, rursusque redirent.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Chrysostomus in lib. de Compunctione cordis ait: *Cordis compunctio, sicut ignis, omne animae vitium perurit, et adimit; et quantacumque in ea repererit mala, abstergit universa, et penitus delet.* Similia scribit etiam in lib. 3. de Sacerdotio c. 6. et in homilia 4. super epist. 1. ad Cor.

Hieronymus in c. 2. Sophoniæ scribit, animam prius peccatorum sordibus inquinatam dicere Cant. 1. *Nigra sum*; sed de eadem post actam poenitentiam dici Cant. 8. juxta lectionem LXX. *Quae est ista, quae ascendit dealbata?* Quibus consona tradit in lib. 3. adversus Pelagianos.

Tandem Augustinus in lib. 1. ad Bonifacium c. 12. hæc habet: *Dicunt etiam baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis, affirmet? Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere: nec, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.*

Probatur 3. ex theologica ratione. Nisi dicamus, quod in justificatis peccati macula penitus deleatur, plura ac gravia consequuntur absurda Sacris Scripturis aperte pugnantia. Sequitur enim, quod homines justificati sint simul Filii Dei, et diligantur ab illo; simulque sint filii diaboli, et odio habeantur à Deo: nam *odio sunt Deo impius, et impietas ejus*; ut ait Sapiens c. 14. v. 9.

Dicendum insuper erit, homines non fuisse per Christum à peccati servitute solutos; nec Christum esse Agnum, qui tollit peccata mundi; ac plus valuisse Adæ peccatum ad inficiendum, quam Christi sanguinem ad mundandum.

Præterea sequitur, Deum non judicaturum esse homines secundum veritatem, neque secundum opera singulis retributurum esse mercedem. Ac tandem infertur, Sanctorum Ecclesiam, ad quam pertinent Justi perseverantes in gratia, habere rugam, et maculam; atque in cœlesti Jerusalem habitare aliquos coinquinatos; ne-

que mundos corde dumtaxat, sed et immundos fœdissimosque frui purissimæ divinæ lucis obtutu.

Rectissime igitur Tridentina Synodus definivit sess. 5. can. 5. *Siquis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

Objicies 1. In Psalmo 31. v. 1. et 2. David ait: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ubi tria illa verba *remitti, tegi, et non imputari* idem omnino significant, unumque per aliud explicatur. Remittuntur enim à Deo peccata, quia teguntur, ita ut apparere coram Deo minime videantur: teguntur autem, quia non imputantur ad pœnam; juxta quod Ezech. 33. v. 16. legitur: *Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur.* Et in 2. ad Cor. 5. v. 10. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.*

Resp., quod eo in loco peccata non ita tegi dicuntur, ut latitent adhuc et vivant, sicut corpus vestibus operitur; sed ita, ut omnino deleantur, perfecteque sanentur, quemadmodum vulnera emplastro teguntur. Audi Augustinum enarrat. 2. in citatum Psal. *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Non sic intelligatis quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, et vivant, &c.* Ac deinde subjungit: *Deus ergo tegat vulnera, non tu: nam si tu tegere volueris erubescens, Medicus non curabit. Medicus tegat, et curet, emplastro enim tegit: sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati, celatur vulnus.*

Et sane quamvis homo possit non videre peccata, quæ adhuc existunt; unde David in Psal. 18. v. 13. ait: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*: Deus tamen, cujus oculis nuda omnia sunt, et aperta uti ait Apostolus Hebr. 4. v. 13. non potest non ea videre: proindeque relate ad ipsum, idem est peccatum tegi, aut non imputari, ac deleri prorsus, et omnino non esse.

Ex dictis apparet sensus, quo exponendus est versus 3. Psalmi 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.* Dicuntur enim operiri peccata per metaphoram sumptam ab eo, quod terra obruitur, vel in aqua demergitur, ut prorsus intereat: sicuti de Ægyptiis Exodi 15. v. 10. dicitur: *Operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Unde Michææ 7. v. 19. legitur: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*: idest omnino abolebit, perdet, extinguet.

Objicies 2. Impius adhuc post justificationem remanet coram

Deo inquinatus et turpis: non ergo peccata ejus in justificatione vere delentur. Probatur antecedens ex Isaiæ verbis c. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae.* Et Psalmo 142. v. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Resp., quod testibus etiam Calvino, et Musculo, apud Isaiam sermo non sit de bonis Justorum operibus, sed de fictis perfidorum Judæorum justitiis: unde eodem in cap. v. 7. subditur: *Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te.*

David vero dumtaxat affirmat, Justos in aliqua venialia peccata prolabi: quare etiam ipsi de sua justitia præsumere nequeunt, sed divinam debent implorare clementiam. Hinc et Job. c. 4. v. 17. ait: *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?* Ceterum nisi idem Propheta justis innocentiam inesse putasset, minime Psalmo 17. v. 24. dixisset: *Et ero immaculatus cum eo*: et Psal. 7. v. 10. *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.*

At dices. S. Hieronymus lib. 3. in Hieremiam v. 13. laudata verba Davidis adducit: *Non justificabitur, &c.* aitque quod referenda sint, *non ad comparationem Dei, ut veteres, et novi haeretici volunt, et patroni haereticorum, sed ad scientiam ejus*; causam proferens, quoniam, *homo videt in facie, et Deus in corde, et quod vitiis, atque peccatis omnis impletur humana conditio.* Etiam Gregorius lib. 35. Moralium c. 20. scribit: *Mala nostra pura mala sunt, et bona quae nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt.*

Resp., respexisse Hieronymum ad humanam conditionem Dei gratia destitutam, necnon ad venialia crimina, in quæ cadit etiam Justus in hoc corruptibili corpore ingemiscens. Novos ergo, ac veteres hæreticos appellat Hieronymus Origenistas, et Pelagianos; quorum dogma erat, posse hominem vivere absque peccato. Gregorius denique loquitur de bonis operibus, quæ nos approbamus et commendamus; in quibus appetitus laudis, typhusque superbiæ *nonnunquam* inficit honestatem.

Objies 3. Nemo quantumvis justus eximitur à peccato, nisi perfecte præceptum charitatis adimpleat: nam, uti in 1. Joan. 3. v. 14. legitur: *Qui non diligit, manet in morte.* Atqui nemo in hac vita perfecte potest præceptum charitatis implere, uti asserit Augustinus in lib. de Perfect. Justit. c. 2. Ergo licet homo justificetur, semper tamen remanet in peccato.

Resp., distinguendo majorem, nisi impleat quoad præcepti substantiam, concedo; quoad omnem intensionem et modum, nego. Verum est utique, quod præceptum charitatis ea intensionis perfectione, qua impletur in Patria, impleri hac in vita non possit; ut nempe toto conatu, nulla corporis sarcina animam aggravante,

nullo carnis motu ad sensibilia deprimente, nullo adhuc veniali peccato charitatis remittente fervorem, feratur in Deum; quod citato in loco Augustinus affirmat. At impleri facile præceptum illud potest quoad essentiam, appretiative, ut ajunt, Deum super omnia diligendo: quo sane pacto hac etiam in via à Justis impletur.

Ex hucusque dictis infertur, quod juxta ordinariam, ut inquiunt, Dei potentiam, gratia justificans, et peccatum simul esse non possint. Subtiliores vero Scholastici quærere insuper solent, an illa simul esse queant saltem juxta potentiam absolutam. Scotistæ ita fieri posse contendunt; at Thomistæ oppositum opinantur. Illorum momenta ad subtilissimam rationem istam facile reducuntur.

Si qua hujusce rei contradictio foret, illa sane ex oppositione descenderet, quæ peccatum inter, et gratiam invenitur: atqui oppositio isthæc non est physica, et ex rei natura, sed moralis tantum, et ex ordinatione divina: ergo per absolutam saltem Dei potentiam tolli potest; siquidem, ut notat Mastrius, præcisa tali ordinatione, à qua utique potentia Dei absoluta præscindit, jam gratia, et peccatum non amplius erunt opposita, ideoque simul poterunt in eodem subjecto componi. Probatur minor. Si peccatum, et gratia ex rei natura, et ratione propriæ entitatis oppositionem haberent, ejuscemodi oppositio reducenda foret ad aliquod ex quatuor illis oppositionum generibus, quæ à Philosophis admittuntur: atqui id falsum est. Non enim opponuntur *relative*, ut filiatio et paternitas; cum nullum inter se ordinem præ se ferant: neque *contrarie*; quia oppositio ista inter entia positiva versatur; licet autem gratia sit forma positiva, peccatum tamen non est aliquod positivum physicum et reale: neque *contradictorie*; peccatum enim non est pura negatio, cum in subjecto capaci et idoneo ad recipiendam gratiam inveniatur: neque tandem opponuntur *privative*, quia peccatum ex suo conceptu formaliter non consistit in privatione gratiæ, sed in privatione rectitudinis et honestatis, quæ deberet inesse actui, et tamen reipsa non inest; lege hujusce nostri operis lib. 13. c. 1. Quod si peccatum aliquo modo involvit privationem gratiæ, *materialiter* solum, et *concomitanter* involvit; idque verum est de facto, et regulariter juxta leges pro præsenti rerum ordine constitutas, non autem absolute loquendo, et ex ipsa rei natura. Oppositio itaque quæ peccatum inter et gratiam intercedit, non est physica, sed moralis; proindeque, &c.

Dices. Nulla esse potest participatio justitiæ cum iniquitate, lucisque cum tenebris: neque potest idem homo simul ac semel esse ad Deum conversus, et aversus ab illo; natus ex Deo, atque peccato mortuus; templum Spiritus Sancti, membrumque diaboli: &c. Deinde cum gratia sanctificans sit à charitate indivulsa, si peccatum et sanctitas simul existant; cur non poterit habitualis charitas stare cum reatu damnationis æternæ, ut commentus est propos. 31. et 32. Michael Bajus?

Sed regerunt Scotistæ cum P. Mastrio, adductum argumentum contra Scholasticos illos urgere, qui asserunt, gratiam physice et ex sui natura justificationem in homine operari. At res non ita se habet, cum nullá creata virtus possit ex sui natura delere peccata, ac reddere hominem Dei amicum, templum Spiritus Sancti, &c. Ex sola igitur Dei ordinatione gratia hujuscemodi præstat effectus: proindeque alia in hypothesi qua homo gratiam simul et peccatum haberet, non esset ille justus et injustus, dignus vita æterna et dignus pœna æterna; sed tantum injustus, peccator, et æterna pœna dignus; quia facta hypothesis juxta absolutam Dei potentiam à lege modo constituta præscindit; neque tunc gratia aliud præstaret, quam in Dei amorem hominem habitualiter inclinare; id enim gratiæ ex rei natura convenire videtur, quia cum in Scoti sententia à charitate minime distinguatur, naturaliter hominem ad Deum amandum inclinat.

Quod si dixeris: Eo ipso quod gratia ex sui natura hominem in Dei amorem inclinat, idem homo dicendus esset per gratiam habitualiter conversus in Deum; ergo cum aliunde per peccatum esset aversus à Deo; in facta hypothesi simul conversus esset et aversus.

Ad hoc illi respondent, peccatum eo in casu fore aversionem Dei, quatenus peccans se privaret rectitudine, quam ex Dei præcepto habere deberet; et hanc dumtaxat aversionem essentialiter peccatum includit. Esset etiam conversus ad Deum virtualiter, vel habitualiter; quatenus gratiam inhærentem haberet, quæ ipsum ad amandum Deum redderet inclinatum: ejuscemodi vero conversio, et aversio minime opponuntur. In præsenti autem rerum dispositione aversio à Deo quam peccatum includit, dicit ulterius privationem juris ad hæreditatem æternam, et conversio per gratiam, ejusdem juris positionem involvit; atque ita repugnant. Sed Scotistæ negant conversionem illam ex natura rei gratiæ convenire; quia Deus juxta potentiam absolutam statuere potuisset, quod non habens gratiam salvaretur, et eam habens damnaretur, nisi hæc vel illa opera exerceret. Denique Baji sententia juxta hunc rerum ordinem intellecta merito proscripta est.

CAPUT III.

Quod justificatur homo per gratiam et charitatem intrinsecus inhærentem.

Lutherani passim affirmant, quod hominis justitia in sola peccatorum remissione consistat: Calvinistæ vero eandem in sola imputatione justitiæ Christi reponunt. Hinc utrique negant gratiam charitatemque intrinsecus inhærentem. At contra illorum errorem ita Tridentina Synodus in sess. 6. can. 11. definivit: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel so-*

la peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Id autem quam merito statutum sit, sequens aperiet

Propositio. Justificatur homo per gratiam charitatemque intrinsecus inhærentem.

Probatur Joannis 3. v. 5. et 6. ait Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Sicut igitur naturaliter inhæret nobis natura hominis, per quam nascimur carne; ita et divinæ naturæ participatio, quam in justificatione recipimus spiritualiter renascendo, supernaturaliter nobis inhæret.

Deinde scribens Apostolus ad Ephes. 4. v. 23. et 24. inquit: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Quod expendens Augustinus in lib. 6. de Gen. ad lit. c. 24. ait, quod nos renovari dicamur, quia *recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo.* Atqui uti vel ipsi fatentur hæretici; primus homo inhærentem habuit interioremque justitiam: si ergo nos per gratiam renovati justitiam illam accipimus, in qua creatus est, et à qua lapsus est homo, non aliam profecto justitiam quam inhærentem accipimus.

Item Paulus ad Rom. 5. v. 19. docet, quod *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Atqui homines constituti sunt peccatores per Adæ peccatum ab eo in omnes originaliter derivatum, ac unicuique internum, et proprium; uti in lib. 13. diximus de originali peccato tractantes: ergo homines constituuntur justi non per extrinsecam dumtaxat Christi justitiam, sed per justitiam intrinsecam à Deo in eos per Christi merita derivatam. Quamobrem Augustinus in lib. 1. de Peccat. Mer. c. 10. ait: *Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum propter occultam communicationem, et inspirationem gratiae spiritalis, qua quisquis haeret Domino, unus spiritus est.* Huc denique faciunt, quæ in hujusce libri c. 1. diximus justificantis gratiæ indolem explanantes. Legendus est etiam S. Bonaventura in 4. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1.

Objicies 1. Ad Philippenses 3. v. 9. scribit Apostolus: *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu: quae ex Deo est justitia in fide.* Quibus ostenditur, nos interiorem justitiam non habere, sed justos dumtaxat per Christi justitiam inveniri.

Similiter ad Rom. 4. v. 5. legitur: *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei;* id est acceptatur fides ejus, qua cre-

dit ad se Christi justitiam pertinere, ut ita per Christi justitiam gratis sibi imputatam justus evadat. Quæ sane interpretatio mentem Apostoli prope videtur attingere, qui hoc in capite justitiam undecies imputationem appellat.

Resp. ad 1. quod testimonium illud non in sensu formali intelligendum sit, quasi sit sensus, Dei et Christi justitiam esse formam, qua justi denominamur; sed exponendum est in sensu efficientis causæ, et meritoriæ, quatenus scilicet Deus in nobis justitiam efficit, quam Christus sua nobis passione promeruit. Ita in 1. ad Cor. c. 1. v. 30. Paulus de Christo ait: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Ex quo sicuti non infertur, nobis interiorem sapientiam non hærere; ita neque consequitur, justificationis nobis gratiam non infundi. Hisce ergo in textibus est metonymiæ figura, qua effectus pro causa sumitur; ac notatur, quod Christus meritoria causa sit, per quam sapiamus, per quam à peccato purgemur, per quam Spiritus Sancti gratiam consequamur. Sic quoque Deus in Psalmis dicitur spes nostra, salus, virtus, fortitudo, protectio, &c.

Denique objecto in loco non dicit Apostolus, se justitiam non habere, sed non habere *suam ex lege*; id est, per propria legis opera comparatam; habere vero justitiam asserit per fidem Christi à Deo receptam. Unde S. Augustinus in lib. 3. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagian. c. 7. scribit: *Cum enim dixisset*: Non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est per fidem Christi; *addidit*: Quæ est ex Deo. *Ipsa est ergo justitia Dei quam superbi ignorantes suam volunt constituere. Non enim propterea justitia Dei dicitur, quoniam Deus ea justus est, sed quia homini ex Deo est. Secundum hanc autem justitiam Dei, hoc est, quae ex Deo nobis est, nunc fides operatur per dilectionem.*

Altero in textu Paulus non affirmat, quod credenti in eum, qui justificat impium, reputetur justitia, sed quod fides ejus ad justitiam reputetur; non quod fide, quasi manu, Christi justitiam apprehendat, ut Sectarii volunt, sed quod fides sit dispositio, et medium ad justitiam acquirendam. Quod explicat exemplo Abrahæ, qui fide, qua *contra spem in spem credidit*, seipsum ad justitiam præparavit: fides autem credenti extrinseca dici non potest.

Objicies 2. In 2. ad Cor. c. 5. v. 21. Apostolus ait: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Atqui Christus peccatum fecit imputatione dumtaxat: ergo et nos sola imputatione efficimur justitia. Unde Augustinus in Enchir. c. 41. scribit: *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia: nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit.*

Resp., quod eo in loco Paulus Corinthios adhortetur, ut *re-*

concilientur Deo, qui tanto nos amore dignatus est, ut Christum Filium suum, qui nulli unquam peccato fuit obnoxius, pro nobis peccatum fecerit; id est, constituerit hostiam, sive victimam, quæ peccata nostra piaret; atque ita in ipso, sive ipsius merito, nos efficeremur justitia Dei. Ex quo tantum infertur, quod sicuti peccatum non Christi, sed nostrum est meritoria passionis Christi causa; ita justitia non nostra, sed Dei per Christum est efficiens ac meritoria causa, qua Deo reconciliamur, et à peccatis abluimur. Ceterum sicuti Christus ob peccatum, quod nobis inerat, vere mortuus est, et vere factus est sacrificium pro peccatis; ita et nos ob justitiam, quæ in illo est, vere peccato morimur, vere spiritalem vitam, gratiamque justificantem infusam à Deo consequimur. Et hanc quidem interpretationem Chrysostomus, Augustinus, Anselmus, et alii tradunt: uti in hunc locum adnotat Tirinus.

Objicies 3. Ad Ephesios 4. v. 24. inquit Paulus: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Atqui indumentum extrinsecus tantum nobis adhæret: igitur et justitia.

Rep., quod novum hominem induamus, gratiam recipiendo, et exercendo virtutes, quarum nobis Christus exempla monstravit; sicuti dum veterem hominem deponimus ac exuimus, ut ibidem v. 22. dicit Apostolus, hærentia nobis peccata rejicimus, carnis desideria mortificamus, insitæque concupiscentiæ affectionibus reluctamur. Et sane eodem in loco v. 23. Paulus ait: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, &c.* Dum ergo hominem novum induimus, mentis nostræ spiritu renovamur: atqui renovatio isthec sine interiori animæ pulchritudine ac justitia non subsistit. Deinde alibi Scriptura indumenti nomine aliquid internum ostendit, uti in 1. ad Cor. 15. v. 53. legitur: *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*. Et in 1. ad Thessal. 5. v. 8. *Induti loricam fidei, et charitatis, et galeam spem salutis.* Tandem ad Coloss. 3. v. 12. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.*

Jam itaque ex dictis apparet, justificationem nostram reipsa fieri per gratiam intrinsecus inhærentem. At hic ulterius Scholastici quærunt, num Deus de potentia absoluta possit absque ejuscemodi gratia peccata dimittere. Scotistis affirmativa hac in re sententia placet, quam ita demonstrare nituntur: I. Quidquid Deus mediante creata virtute producit, potest etiam ipse solus immediate producere: atqui ipse solus reipsa justificat, et peccata remittit, quamvis gratia mediante: ergo de potentia absoluta potest immediate sine gratia justificare, et per solam extrinsecam condonationem peccata delere.

II. Potest homo illatam sibi injuriam per solam condonationem absque collatione alicujus intrinseci doni remittere: ergo idipsum

præstare potest et Deus respectu injuriæ, quam sibi irrogat creatura; quidquid enim creatura facere potest, potest etiam Deus, nisi imperfectionem includat, quæ in hac hypothesi non apparet.

III. Uti in calce præcedentis quætionis advertimus, gratia habitualis peccata remittit non physice, sive ex sui natura, sed moraliter solum, sive quia ita Deo placuit ordinare: ergo poterat Deus aliter de potentia absoluta statuere, et mortale peccatum sine gratiæ infusione remittere.

Sed contra cum P. Berti Thomistæ objectant. Mors tolli non potest, nisi per vitam; neque animæ vulnus, nisi per sanitatis instaurationem; neque hominis carnalis vetustas, nisi per innovationem spiritus; neque cor lapideum, nisi per carneum. Præterea cum reatus culpæ sit privatio justitiæ, privationes autem per solam formam abscedant; tam repugnat hominem impium absque gratia justificari, quam cæcum absque facultate visus illuminationem recipere, curvamque lineam sine rectitudine fieri directam. Defendi quidem posset Scotistarum opinio, si in peccato esset sola ratio debiti, sive reatus pœnæ; sed cum existat in illo etiam maculæ turpitudo, non video qua valida argumentatione possint iidem Scotistæ oppositam sententiam evertere.

Respondent vero Scotistæ, quod, uti superius dictum est, gratia non ex sui natura supernaturalem vitam animæ tribuat, neque physice sanitatem instauret, &c. non enim creatura ulla potest ejuscemodi præcellentia munera absque Dei voluntate, et ordinatione præstare. Præterea reatus culpæ est quidem privatio justitiæ: at justitia bifariam sumi potest; vel nempe pro rectitudine, sive conformitate ad legem; vel pro habitualis gratiæ ornamento. Privatio rectitudinis formaliter includitur in peccato: privatio vero gratiæ concomitanter dumtaxat in illo continetur. Nam et in statu naturæ puræ, cujus nos possibilitatem ostendimus in lib. II. c. 10. et 11., potuissent quidem esse peccata, sed sine gratiæ privatione; et esse justitia potuisset, absque tamen infusione gratiæ, et accidentariæ qualitatis. Non ergo ita gratia et peccatum opponuntur, ut visus et cæcitas, vel uti rectitudo et curvitas. Denique etsi peccatum non solam debiti rationem, pœnæque reatum, sed et maculæ turpitudinem præ se ferat; hæc tamen macula statim tollitur, dum tollitur peccatum: peccatum autem, ut ex dictis apparet, per solam Dei voluntatem, et extrinsecam condonationem tolli potest: ergo et ipsa maculæ turpitudo, culpæque reatus potest simili modo deleri, quin ulterius accidentalis gratiæ ornatus accesserit.

CAPUT VI.

Quomodo adulti ad justificantem gratiam disponantur.

Dogma fidei est à Tridentina Synodo sess. 6. canone præsertim 9. statutum, quod adulti per motum voluntatis suæ disponere ac

præparare se debeant ad justificationis gratiam consequendam. Hinc Joelis 2. v. 12. *dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et Zach. c. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Ista vero conversio absque liberi arbitrii motu evenire non potest. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 17. p. 1. a. 1. q. 2.

Ut autem ejuscemodi motum à præveniente Dei gratia repetendum esse noscamus, Threnorum 5. v. 21. dicitur: *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Quare Concilium Tridentinum in sess. 6. cap. 5. citatos textus simul conjungens ait: *In sacris litteris cum dicitur,* Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, *libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus,* Converte nos Domine ad te, et convertemur, *Dei nos gratia praeveniri confitemur.*

Id etiam passim docuit Augustinus, ac præcipue in celebri illa sententia ex sermone 15. de Verbis Apostoli, nunc Serm. 169. c. 11. *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te: ergo fecit nescientem, justificat volentem.* Quibus Lutheri insania confutatur ajentis, quod liberum arbitrium ad justificationem omnino nil agat.

Loquimur autem de adultis: nam infantes ad gratiam Baptismatis per actus liberi arbitrii disponi non possunt; et falso Lutherus in illis præcedere dixit actualem fidem, qua credant in Christum, præveniente usu rationis ætatem. Unde Augustinus in lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 24. ait: *Infantes baptizati, non ex impia voluntate, sed ex aetatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.*

Prima vero inter hasce dispositiones est fides. Id enim aperte Scriptura testatur Joan. c. 1. v. 12. *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Item Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Denique Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est, placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Qua de re Doctor Angel. in 1. 2. q. 113. a. 4. ait: *Ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud ad Hebr. 11.* Accedentem ad Deum oportet credere, quia est: *et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii.* Tandem Augustinus tum alibi, tum in epist. 194. ad Sixtum affirmat, quod ex fide *omnis justitia sumit initium.*

Lutherus asseruit, fidem qua justificamur, esse fiduciam, qua absque ulla hæsitatione certo confidimus, ob Christi merita nobis peccata remitti. At quamvis ad justificationem spes etiam, humilisque fiducia requiratur; cum sicut olim Paralytico, ita nobis quoque dicatur: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: Matth. 9. v. 2. fiducia tamen ista in fide fundatur; ideo enim in ali-

quo fiduciam collocamus, quoniam fidelem illum esse credimus, ac veracem.

Et sane describens fidem Paulus ad Hebr. c. 11. v. 1. ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quod si fides est substantia, sive fundamentum spei, est etiam fiduciæ fundamentum. Et uti bene adnotat S. Thomas in 2. 2. q. 129. a. 6. *nomen fiduciae hoc principaliter significare videtur, quod aliquis spem concipiat ex hoc, quod credit verbis alicujus auxiliam promittentis.* Hinc merito Tridentinum in sess. 6. can. 12. ait: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur: anathema sit.*

Tandem specialis illa divinarum promissionum fiducia, ut Lutherus exposuit, pro arbitrio conficta est. Non enim Deus cuilibet peccatori revelat, quod ei sint remissa peccata. Proferri quidem possunt testimonia Scripturarum, in quibus generales promissiones habentur, factæ omnibus ad Deum recte conversis; aut etiam speciales, quæ factæ fuerunt Hæmorrohissæ, Paralytico, et Magdalenæ: at parem aliis omnibus gratiam concedi, revelationem nempe fieri, quod sint rite conversi, et quod peccatorum remissionem acceperint, nullibi legitur in Scripturis, ex quibus solis juxta hæreticorum sententiam continentur omnia, quæ revelata sunt nobis. Fictitia igitur est illa Lutheri fiducia.

Calvinus in lib. 3. institut. c. 2. aliique post ipsum, triplicem distinguunt fidem. Unam historicam, qua credimus vera esse quæ in Scripturis habentur: alteram miraculorum, qua credimus nihil esse, quod fieri à Deo non possit; tertiam promissionum, qua credimus veras esse Dei promissiones de gratuita peccatorum remissione per merita Christi. Tres hasce fidei species tribus Dei proprietatibus asserunt respondere; historicam scilicet, veritati; miraculorum, potentiæ; promissionum denique, bonitati. Addunt præterea non justificari hominem per fidem historicam, neque per fidem miraculorum, sed per promissionum fidem, quam duplicem esse ajunt; generalem nempe unam, qua generatim credimus promissam esse peccatorum remissionem iis omnibus, qui in Christum credunt; alteram specialem, qua unusquisque in particulari promissionem illam sibi applicans certo credit, omnia sibi peccata dimissa esse per Christum.

At specialis ista fides explosa manet ex dictis contra Lutherum. Fides enim certa et infallibilis esse non potest, nisi Dei verbo nitatur: in Dei autem verbo non legitur annuntiata mihi, aut illi in particulari remissio peccatorum, paucissimis dumtaxat exceptis: reliqui ergo homines non nisi temere credere possunt peccata sibi esse remissa.

Deinde historica fides est illa, qua credimus, quod Christus crucifixus sit, mortuus, et sepultus, quod à mortuis resurrexerit,

quod in Coelum ascenderit, &c. Atqui fides ista justificat; uti tum ex Symbolo Apostolorum, et Athanasii constat, tum ex Scriptura clarissime demonstratur: Legitur enim Rom. 10. v. 9. *Si in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Et in 1. ad Cor. c. 15. v. 1. et seq. *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini.... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, &c.*

Præterea fides quam exigebat Christus, et in cujus confirmationem miracula faciebat, ad justificationem profecto parabat; venerat enim, ut salvos facere peccatores. Atqui ejuscemodi fides non erat solius bonitatis, et misericordiæ, sed modo potentiæ, modo etiam veritatis. Hinc Matth. 9. v. 28. duobus cæcis petentibus, ut lumen reciperent, Christus ait: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Et respondentibus illis: *Utique Domine*, inquit: *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Et hæc quidem est potentiæ fides. Deinde Joan. 6. v. 69. et 70. *Respondit Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes: et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quæ profecto fides est veritatis.

Notandum hic quoque est, quod Novatores communiter asserant, sola fide justificationem acquiri; quatenus nempe sicuti pauper manu eleemosynam apprehendit; ita peccator fide apprehendit Christi justitiam, qua indutus, coram Deo justus apparet. Hinc arbitrantur, ceteros actus, quos peccator operatur, ad justificationem non efficienter, sive dispositive concurrere, sed ad illam concomitanter tantummodo se habere.

At Scriptura non tantum fidei, sed aliis etiam actibus justificandi vim tribuit. Sicut enim de fide legitur Hebr. 11. v. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*: Ita de spe, et fiducia Matth. 9. v. 2. habetur *Confide filii, remittuntur tibi peccata tua.* Et de dilectione Dei Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et de timore Ecclesiastici 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Et de pœnitentia Act. 2. v. 38. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Denique de observantia mandatorum Matth. 28. v. 19. et 20. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

Neque audiendus est Calvinus affirmans, charitatem, timorem, aliosque ejuscemodi actus non justificare, nisi virtute fidei; proindeque huic dumtaxat adscribendum esse totum justificationis nostræ negotium. Potius enim ex Scripturis ostenditur, quod fides charitatis virtute justificet: nam Paulus in 1. ad Cor. 13. v. 2. ait; *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem*

autem non habuero, nihil sum. Et ad Galatas 5. v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per charitatem operatur.* Deinde ad Hebr. 11. v. 17. fidem commendat in Abraham, non sterilem, et otiosam, sed cum obedientia et sancta operatione conjunctam: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones.* Denique S. Jacobus in epistola sua c. 2. v. 14. ait: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* subditque v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum?* ac postmodum v. 26. concludit: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*

Sed hæretici non paucos Scripturæ textus opponunt in quibus justificatio soli fidei adscribi videtur. Auctorum 13. v. 39. ait Apostolus: *In hoc omnis, qui credit, justificatur.* Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Et c. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Item c. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide.* Tandem Galatarum 3. v. 8. *Ex fide justificat gentes Deus, &c.*

Verum ad hæc cum Tridentino Concilio sess. 6. cap. 8. reponimus. *Cum Apostolus dicit justificari hominem per fidem, et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit, et expressit: ut scilicet, per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis; sine qua impossibile est, placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire.* Quam expositionem jam olim tradiderat Augustinus in lib. de Prædest. SS. c. 7. scribens: *Ex fide autem ideo dicit*, Paulus, *justificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur.* Unde inferius S. Doctor fidem appellat spiritualis ædificii *fundamentum.*

Dum ergo Paulus ait, hominem justificari per fidem, non ex legis operibus; non excludit opera gratiæ, timorem, spem, charitatem, pœnitentiam, novæque vitæ propositum; sed opera dumtaxat excludit, quæ fidem præcedunt, ac fiunt absque gratiæ prævenientis auxilio, sive opera legis, aut mosaicæ, aut naturalis, absque ulla Reparatoris fide patrata. Fides itaque quæ justificat, ea est, quæ per charitatem operatur. Unde Augustinus in lib. de Fide et Operibus c. 14. ait: *Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quae per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum, &c.* Denique eodem in lib. c. 9. n. 15. hæc præmiserat S. Doctor: *Justificati gratis per*

gratiam. Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem; sed justificati gratis per gratiam ipsius; non quod sine voluntate nostra fiat: sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, &c.

Opponunt et illud Lucæ 8. v. 50. *Crede tantum, et salva eris*: ex quo concludi ajunt, quod ad justitiam fides sola sufficiat. At intelligendus est textus non de peccatorum remissione, ac de sanctificationis gratia, sed de salute filiæ principis Synagogæ, ejusque à mortuis excitatione. At alia fides ad sanctificandas animas, alia ad miracula patranda requiritur. Neque Christus fidem requirebat à puella, quam ad vitam revocare volebat, sed à parente, qui pro filia precabatur.

Objectant tandem. Opera quæ justificationem præcedunt, fiunt ab homine peccatore, et adhuc servo peccati, ac propterea sunt fructus arbolis malæ, et ipsa in se mala sunt opera, et peccata. Ut enim legitur Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Sed esto quod homo ante justificationem sit adhuc in statu peccati, dum tamen ex motione Spiritus Sancti concipit actus fidei, spei, divinique timoris, jam non ut peccator agit, aut ex affectu ad peccatum, sed potius ex affectu, saltem inchoato, et imperfecto, ad justitiam operatur. Unde Synodus Tridentina sess. 6. can. 7. inquit: *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema sit.* Licet enim in illo fides non adhuc perfecte sit viva, quia nondum charitate formatur; non tamen est prorsus informis, mortua, et otiosa, sed efficax; excitat enim, movetque ad timoris, spei, pœnitentiæ, et dilectionis actus, quibus via ad justitiam præparatur.

Hinc peccator est utique arbor mala; dum tamen in eo per fidem supernaturales actus illi excitantur, non operatur ex radice mala, sed ex semine bono, quod in cor ejus spargit motio Sancti Spiritus, per quam potest actus aliquomodo vivos, et salutares elicere, quibus ad justitiam se disponit, quamvis hanc *de condigno* mereri non possit. Ut enim Tridentina Synodus ait in sess. 6. c. 8. *Nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus; alioquin, ut Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.* Quod ergo positis actibus qui disponunt ad gratiam, Deus eandem gratiam largiatur, non ex debito justitiæ provenit, sed est novum beneficium in divina promissione fundatum, quo ex mera liberalitate pœnitentibus ille gratiam infundit, et peccata dimittit.

Sed jam de dispositionibus aliis ad justitiam requisitis disseramus oportet. Docet itaque Tridentinum in sess. 6. cap. 6. quod adulti "disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gra-

» tia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in » Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa » sunt; atque illud in primis, à Deo justificari impium per gra- » tiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dum » peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo uti- » liter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se con- » vertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Chris- » tum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, » diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per » odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, » quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt sus- » cipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina man- » data."

Necessse est igitur, ut timor, et spes fidem sequantur in eo, qui ad obtinendam justificationis gratiam se disponit. Ac de timore quidem habetur Prov. 14. v. 27. *Timor Domini fons vitae*: de spe autem ad Rom. 8. v. 24. *Spe salvi facti sumus*. Ubi ergo per fidem intelligit homo se legem esse transgressum, damnationemque mereri, ac Deum misericordem et justum statuisse, quod impius, nisi resipiscat, gehennæ supplicium vitare non possit, divinæ justitiæ timore concutitur; indeque propriam infirmitatem, demeritumque perpendens, ad Deum confugiens, quem scit nolle mortem peccatoris, et neminem in se sperantem ex sua pietate deserere, cum regio Propheta in Psal. 6. v. 1. et seq. precatur: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Sana me, Domine, &c.* Ita ergo fides timorem, timor spem, spes orationem gemitumque præcedit.

Ex quibus apparet contra Lutherum, quod, uti Tridentina Synodus habet in sess. 14. c. 4. timor Dei vindicis, *ex gehennae et poenarum metu conceptus, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, non solum non faciat hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei sit, et Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.* Et sane in lib. 2. Regum c. 12. Nathan comminatione ingentium calamitatum Davidem ad pœnitentiam hortabatur. Ita et Lucæ 3. v. 7. et seq. Joannes turbis ad se venientibus, ut baptizarentur, ajebat: *Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae.... Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Sic denique inquiebat Christus ipse Lucæ 12. v. 5. *Ostendam vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.*

Quod vero ad spem attinet, adnotamus, quod illa ad justificationem absolute et simpliciter requiratur, nam etsi possit fortasse

aliquis se sine timore pœnæ ad justitiam præparare cum solo filiali, perfectoque timore; uti Magdalenæ, aliisque contingit, qui charitatis fervore justitiam sunt adepti; nemo tamen eandem justitiam obtinet sine spe veniæ consequendæ per Christum; quia, ut Joannes ait in epist. 1. c. 2. v. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; utque dicit Petrus Act. 4. v. 12. *non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quare sicuti nemo habere potest justitiam sine fide in Christum, ita nec sine spe eandem à Deo obtinendi per Christum. Ad quod respiciens Tridentinum in sess. 6. can. 3. eodem modo necessariam ad justificationem statuit spem, ac fidem, et charitatem; et in sess. 14. c. 4. contritionem, quam quovis tempore necessariam fuisse dicit ad impetrandam veniam peccatorum, includere dicit fiduciam divinæ misericordiæ; quæ quidem fiducia est actus spei.

Post spem vero Concilium Tridentinum in loco superius laudato, dilectionem Dei commemorat. Cumque dilectio Dei sit duplex; alia nempe amicitiæ, sive benevolentiæ, qua diligitur Deus, quia in seipso bonus est; alia concupiscentiæ, qua diligitur, quia bonus est nobis; solent hic Theologi quærere, quænam dilectio sit dispositio ad obtinendam justificationis gratiam requisita.

Ad quod brevis hæc esto responsio. Si de justificatione extra Sacramentum obtinenda loquamur, requiritur prima Dei dilectio, amicitiæ scilicet. Nam contritionem, quæ hominem Deo reconciliat extra Sacramentum, Tridentinum in sess. 14. cap. 4. vocat *contritionem charitate perfectam*: hæc autem amorem amicitiæ erga Deum, prout est in se bonus, includit. Ad obtinendam vero justificationem per Sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, juxta opinionem, quam magis probabilem judicamus, sufficit altera Dei dilectio, quæ concupiscentiæ nominatur; sicut ad hoc idem satis esse contritionem imperfectam, sive attritionem, quæ non amorem charitatis, et amicitiæ, sed concupiscentiæ dumtaxat importat, alibi uti probabilius ostendetur. Unde quia Concilium in laudata sess. 6. cap. 6. loquitur de dispositionibus, quibus gratia justificationis per Baptismum acquiritur, consulto ait, *Deum tanquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt*; id est, Deum ut fontem, ex quo in nos justitia omnis emanat: quod profecto est Deum diligere prout bonus est nobis, nondum vero prout bonus in seipso subsistit.

Postquam autem peccatores ad justitiam se disponentes, Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt, juxta Concilium, moveantur oportet adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem, &c. idque conta Lutherum docuit, qui pœnitentiam nihil aliud, quam novam vitam, esse putavit. Contra quem etiam hæc leguntur in sess. 14. c. 4. *Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium conti-*

nere; *juxta illud.* Ezech. 18. Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. *Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit.* Psal. 50. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: Psal. 6. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: Isaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, *et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Loquitur autem Tridentinum de pœnitentia, quæ juxta ordinariam viam necessario justificationem præcedere debet; non vero de illa, quæ in extraordinario casu quandoque contingit: ut si quis ad martyrium rapiatur, et in memoriam ipsi peccata non veniant; tunc per expressam Dei dilectionem cum sola virtuali contritione, et pœnitentia gratiam justificationis acquirit; cùm Deus diligentes se diligat, imò nullus vera charitate diligere Deum possit, nisi prius ab illo diligatur.

Concludit denique Tridentinum, quod ut impius se ad justitiam paret, habere debeat propositum suscipiendi Baptismum, inchoandi novam vitam, et servandi divina mandata. Nam quod in infideli propositum requiratur suscipiendi Baptismum, ex Act. 2. v. 37. non obscure colligitur, ubi cum ex prædicatione Petri quamplures compuncti corde interrogarent Apostolos: *Quid faciemus, viri fratres?* Respondit Petrus v. 38. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. Et accipietis donum Spiritus Sancti.*

Requiri etiam in baptizato propositum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, asserit Tridentinum in sess. 14. c. 4. docens, *Etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam Poenitentiae sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Et merito quidem: id enim est respectu peccatoris baptizati Sacramentum Pœnitentiæ, quod est respectu peccatoris non baptizati Sacramentum Baptismi: atqui in isto, ut justificetur, necessarium est Baptismi propositum: ergo et in illo propositum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ omnino requiritur.

Quod denique requiratur propositum emendandæ vitæ, observandique præcepta Dei, colligitur ex Ezech. c. 10. v. 21. *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium, et justitiam: vita vivet, et non morietur.* Hoc vero propositum non semper esse debet explicitum; sed sufficit quandoque, quod implicitum sit, et virtuale: ut dum quis ad justificationem per actum amoris Dei super omnia formaliter, proximeque disponitur. In illo enim actu virtualiter continetur propositum suscipiendi Sacramentum, emendandi vitam, Deique præcepta servandi.

Breviter hic postremo notamus, Scotistas, aliosque nonnullos opinari, quod quamvis juxta ordinariam Dei legem justificatio præfatos actus in peccatore requirat, quibus ad gratiam se disponat; possit tamen Deus de absoluta sua potentia peccatorem justificare, quin ille aliquem actum eliciat, quo se convertat ad Deum, et peccata retractet. Plures ad id probandum rationes afferri solent; sed potior illa esse videtur ex eo deprompta, quod possit Deus independenter ab omni conditione producere, quidquid libere posita aliqua conditione producit: atqui peccati remissio est actio libera à Deo proveniens, posita pœnitentiæ conditione; non enim Deus per pœnitentiam cogitur, ut peccatori delicta relaxet: ergo, &c. Sed lege P. Mastrium de hac quæstione prolixius disserentem in 2. disp. 7. q. 4.

CAPUT V.

Quod nemo mortalium certitudinem fidei habere possit de sua justitia, nisi specialiter sibi à Deo id fuerit revelatum.

Asserunt novatores, quod homo per fidem de sua justitia, perseverantia, prædestinatione, et vita æterna securus, certusque reddatur; idque de seipso prorsus debeat certo tenere, si fidelis esse velit, et justus.

Propositio. Nemo mortalium, absque speciali revelatione, tenetur, aut potest certitudine divinæ fidei credere, quod sit in gratia.

Probatur. in Psalm. 18. v. 13. legitur: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Prov. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Ecclesiastæ 9. v. 1. *Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Denique in 1. ad Cor. 4. v. 4. Apostolus de seipso ait: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.*

Idem quoque probatur ex aliis Scripturæ textibus, quibus ostenditur, quod homo semper esse debeat in timore; ut liquet ex Prov. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Tandem in 1. Petri c. 1. v. 17. *In timore incolatus vestri tempore conversamini.* Quibus et alia plura addere possemus oracula, nisi res esset omnino perspicua.

Accedunt SS. Ecclesiæ Patres communi id consensu docentes, quos inter Augustinus in Psal. 41. n. 13. cor hominis impenetrabili abysso comparat, aitque: *Si profunditas est abyssus, putamus non cor hominis abyssus est? Quid enim est profundius hac abysso? .... Abyssum invocant Sancti praedicatores verbi Dei. Numquid et ipsi non abyssus? Ut noveris, quia abyssus et ipsi,*

Apostolus ait, Minimum est, ut à vobis dijudicer, aut ab humano die. Quanta autem abyssus sit, audite amplius: Neque enim ego meipsum dijudico. Tantam ne profunditatem creditis esse in homine, quae lateat ipsum hominem, in quo est? &c.

Item Gregorius M. in lib. 7. epist. 25. respondens ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, quæ scire ab ipso cupiebat, an dimissa sibi essent peccata, hæc inter alia scribit, *Rem difficilem, etiam et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis.* Lege tandem S. Bernardum in Serm. de Adventu, et Serm. 23. in Cantica.

Adest et ratio. Nam justificatio hominis non tantum à divina clementia, et voluntate, sed etiam ab humana dispositione ac conatu dependet. Atqui nemo sine speciali revelatione nosse potest, quod dispositionem omnem, omnemque conatum adhibuerit ad justificationis gratiam obtinendam. Ut enim bene ait Gregorius in 1. parte Pastoralis c. 29. *Mens humana saepe sibi mentitur de seipsa, et fingit, se amare, quod non amat.* Et Augustinus in lib. 50. homiliarum hom. 35. inquit: *Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico, quid cras erimus, sed quid hodie sumus.*

Hinc apposite Synodus Tridentina in sess. 6. cap. 9. ait: "Neque illud asserendum est, opportere eos, qui vere justificati sunt, » absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse » justificatos; neminemque à peccatis absolvi, ac justificari, nisi » eum, qui certo credat, se absolutum, et justificatum esse, atque » hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici: quasi qui » hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, et resurrec» tionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei mi» sericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, et » efficacia dubitare debet; sic quilibet dum seipsum, suamque pro» priam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia for» midare, ac timere potest; cum nullus scire valeat certitudine » fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse con» secutum. Legendi sunt etiam ejusdem sessionis canones 13. et 14."

Objicies 1. Postquam Christus Joan. 14. v. 17. discipulis promisit *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum,* adjunxit: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Et v. 20. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.*

Item Apostolus ad Rom. 8. v. 16. scribit: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei:* in quæ verba Chrysostomus ait: *Cum autem spiritus testificatur, quae tandem ambiguitas?*

Legitur etiam in 1. ad Cor. 2. v. 12. *Nos autem non spiri-*

tum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae à Deo donata sunt nobis.

Præterea in 2. ad Cor. 13. v. 5. ait Paulus: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipse vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est: nisi forte reprobi estis?*

Denique ne alia proferamus, S. Petrus in epist. 2. c. 1. v. 10. ita nos admonet: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis.* Possumus ergo certi esse, quod gratiam habeamus, et simus electi.

Resp. ad 1. quod Fideles, in quibus Spiritus Sanctus inhabitat, illum utique cognoscunt; non quidem sterili cognitione, qualis ex informi fide descendit, sed fructuosa, qualis ex fide viva procedit; at ejuscemodi cognitio conjecturæ limites non transcendit; cum certo nesse nemo possit, quod opera, quæ ipse facit, non ex informi, sed ex viva fide proveniant. Posteriora vero Christi verba intelligenda non sunt de die vitæ præsentis, sed de die futuri sæculi, in quo vita beata viventes, Deum in nobis esse, evidenter ac certissime cognoscemus. Lege Cyrillum lib. 9. in Joan. c. 47., et Augustinum tract. 75. in Joannem, et Seraph. Doctorem exposit. in hunc locum.

Ad 2. dicimus, quod Apostolus vel non de singulis Christianis id asserat, sed de tota loquatur Ecclesia, cui Spiritus Sanctus testimonium perhibet, quod gratiam adoptionis acceperit; ibi enim Paulus comparationem instituit Ecclesiam inter, et Synagogam, quæ spiritum servitutis in timore dumtaxat accepit. Vel si de Fidelibus in singulari textum exponere velis, hunc ille sensum includit; quod nempe Spiritus Sanctus testimonium nobis reddat, quod simus Filii Dei, filialem infundens amorem: at revelatione seclusa certo nobis constare non potest, quod testimonium illud à Spiritu Sancto reddatur; sed per probabilem tantummodo conjecturam id novimus, per experimentum scilicet tranquillitatis conscientiæ, et cujusdam internæ pacis, ac per pios affectus, quibus confidenter dicimus, *Abba, Pater.* Cum enim hæc possint etiam in peccatoribus inveniri, et à præsumptionis spiritu proficisci; idcirco etsi illud Spiritus Sancti testimonium in seipso sit verax, nobis tamen non evidenter apparet. Quare Joannes in epist. 1. c. 4. v. 1. nos admonet: *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt.*

Ad Chrysostomi verba facile respondemus, quod si testimonium illud esse Spiritus Sancti constiterit, nulla ambiguitas remanebit, quia fallax esse non potest: quia tamen Spiritus Sancti esse aliquando putatur, et non est, idcirco ambiguus est, et fallax. Ceterum Chrysostomus de tota Ecclesia textum exponit.

Hic si quis illud objecerit, quod eodem in cap. legitur v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli.... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, &c.* Reponemus,

non loqui Paulum de certitudine fidei, sed solummodo de morali, quæ ex signis, et conjecturis habetur. Unde Græcus habet, πέπεισμαι γάρ; idest, persuasus sum, sive confido, uti legit etiam Hieronymus in epist. ad Algasiam. Quo etiam in sensu idem Apostolus in eadem epist. c. 15. v. 14. ait: *Certus sum, fratres mei, quoniam pleni estis dilectione.*

Ad 3. respondemus cum S. Thoma in 1. 2. q. 112. a. 5. ad 4. "quod Apostolus ibi loquitur de donis gloriæ, quæ sunt nobis » data in spe, quæ certissime cognoscimus per fidem; licet non » cognoscamus per certitudinem, nos habere gratiam, per quam » nos possumus ea promereri. Vel potest dici, quod loquitur de no» titia privilegiata, quæ est per revelationem: unde subdit: *No» bis autem revelavit Deus per spiritum suum.*"

In 4. testimonio non loquitur Paulus de præsentia Christi in Corinthiis per gratiam sanctificantem, sed per potestatem imperandi, puniendi, ac miracula perpetrandi; quod nosse illi facillime poterant, si reprobi à fide non essent: idest, nisi essent privati fide, gratia, et lumine Christi, ac prioribus infidelitatis, vel ignorantiæ tenebris involuti.

In 5. textu non ait Petrus, quod Fideles per bona opera de sua gratia, et prædestinatione certi omnino fiant; sed dumtaxat hortatur eos, ut in bonis operibus perseverent, atque ita vocationem suam et electionem ad Christianismum, et ad gratiam justificantem faciant *certam*, idest, uti ex Græco textu liquet, firmam, fixam, stabilem; ne ab ea excidant, et in pristina scelera relabantur.

Objicies 2. In Symbolo Apostolorum proponitur nobis credendus articulus ille: *Credo remissionem peccatorum*: quisque igitur divina fide credere debet, remissa sibi esse peccata.

Et profecto fide docemur, quod Sacramenta gratiam ei conferant, qui illa cum debita dispositione recipiunt: atqui adultus, dum baptizatur, cognoscere certo potest, qua fide, et intentione ad Sacramentum accedat.

Resp. articulum, qui ad remissionem peccatorum pertinet, non importare, quod quisque absoluta certitudine credat, peccata sibi esse remissa, uti contendunt hæretici; sed quod credat, ea sibi certo remitti, si pœniteat, ut oportet. Et quia nemo certo cognoscit, an ita pœniteat; ideo nemo certus est ea certitudine, cui falsum subesse non possit, quod reipsa sibi fuerint remissa peccata: unde Ecclesiasticus c. 5. v. 5. ait: *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Ad id quod additur, adnotamus, quod ut adultus gratiam in Baptismo recipiat, moveri debeat per supernaturalem aliquam dispositionem, quam neque divina, neque humana certitudine potest agnoscere. Deberet insuper certior fieri de intentione Ministri, qui Baptismum conferret; quod naturaliter evenire non potest.

At dices. Si ita se res habet, nemo igitur digne potest Sacramentum Eucharistiæ recipere; cum ad illud digne recipiendum ho-

mo se à peccato mundum debeat judicare: ait enim Paulus in 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, &c.*

Resp., quod ut homo digne ad Eucharistiam, aut aliud quodcunque Sacramentum accedat, non requiritur, quod judicium habeat speculative certum de sua justitia; sed satis est, ut adhibita diligentia prudenter, sive probabiliter judicet, se gratia non carere. Hoc enim ipso de licita Sacramenti susceptione judicium practicum sibi formas; cum ad id moralis illa certitudo sufficiat, quæ in humanis etiam rebus intervenit.

Objicies 3. Potest qui certus esse certitudine scientiæ, imo et fidei, quod alius sit in statu gratiæ: ita Sacerdos qui baptizavit infantem, est certus, quod gratiam ille sanctificantem acceperit. Certus est enim, quod Baptismus ex opere operato gratiam largiatur; certus est insuper, se veram adhibuisse aquam, protulisse verba, et intentionem debitam applicasse, neque ex parte infantis obicem aliquem adfuisse. Pari ergo ratione quis poterit esse certus, se in gratiæ statu manere.

Resp. negando paritatem. Quia ad conferendum Baptisma ex parte Ministri nullus actus supernaturalis exigitur; sed sufficit actualis, vel virtualis intentio faciendi, quod facit Ecclesia, et quod aqua abluat, et quod legitima proferatur forma verborum, aliaque exterius impleantur; quæ certo scire poterunt, qui baptizant. At ut adultus digne ad Sacramentum accedat, gratiamque recipiat, requiritur dispositio ex supernaturali motivo proveniens, ac vera contritio peccatorum: quæ cum nemo possit certo cognoscere; idcirco quis certus esse non potest, se gratiam accepisse.

Sed dices. Ergo homo justus de sua conscientia semper anxius, semper pavidus erit; et nunquam ea pace fruetur, quam spopondit Apostolus ad Rom. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.*

Resp. negando consequentiam. Ad hoc enim, ut perpetuo conscientiæ tumultu justi homines non vexentur, satis profecto est, quod certitudinem habeant conjecturæ, quæ licet formidinem omnem non auferat, anxietatem tamen molestiamque compescit. Neque expedit Justo, ut de sua justitia sit omnino securus: ut enim legitur Prov. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et Paulus apposite nos hortatur ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini.*

Concludamus igitur cum S. Thoma in 1. 2. q. 112. a. 5. "quod „ tripliciter aliquid cognosci potest. Uno modo per revelationem; et „ hoc modo potest aliquis scire se habere gratiam. Revelat enim „ Deus hoc aliquando aliquibus ex speciali privilegio, ut securi„ tatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, et confidentius, „ et fortius magnifica opera prosequantur, et mala præsentis vitæ „ sustineant, sicut Paulo dictum est 2. ad Cor. 12. *Sufficit tibi „ gratia mea.*"

"Alio modo homo cognoscit aliquid per seipsum, et hoc cer-

» titudinaliter; et sic nullus potest scire se habere gratiam. Certi» tudo enim non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari » per proprium principium, sic enim certitudo habetur de con» clusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia prin» cipia. Nullus autem posset scire se habere scientiam alicujus con» clusionis, si principium ignoraret. Principium autem gratiæ, et » objectum ejus est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est » nobis ignotus, secundum illud Job. 36. *Ecce Deus magnus vin» cens scientiam nostram.* Et ideo ejus præsentia in nobis, et ab» sentia, per certitudinem cognosci non potest, secundum illud » Job. 9. *Si venerit ad me, non videbo eum; si autem abierit non » intelligam.* Et ideo homo non potest per certitudinem dijudica» re, utrum ipse habeat gratiam, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Sed » neque meipsum judico: qui autem judicat me Dominus est.*

« Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua sig» na. Et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in» quantum scilicet percipit se delectari in Deo, et contemnere res » mundanas, et inquantum homo non est conscius sibi alicujus pec» cati mortalis. Secundum quem modum potest intelligi quod ha» betur Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo » novit nisi qui accipit*; quia scilicet ille, qui accipit, per quan» dam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille, qui » non accipit. Ista tamen cognitio imperfecta est. Unde Apostolus » dicit 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc » justificatus sum*; quia ut dicitur in Psal. 18. *Delicta quis in» telligit? ab occultis, &c.*» Vide et Seraph. Doctorem in 3. d. 26. a. 1. q. 3.

CAPUT VI.

Quod gratia sanctificans augeri possit, possitque amitti, et iterum reparari.

Beguardi, et Beguinæ, quos Concilium Viennense damnavit, inter errores alios affirmarunt, *quod homo in vita præsenti tantum, et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit.* Ita constat ex Clementina, *Ad nostrum: Tit. de Haereticis.*

Calvinus in lib. 3. Institut. c. 2. docuit, quod ita constans sit hominis justitia, ut ex ea semel comparata excidere numquam possit, etsi gravissima peccata comittat. Quo in errore Calvinus Joviniano, Pelagioque subscripsit.

Propositio 1. Quamdiu in hac vita sumus, semper possumus in charitate proficere. Est de fide.

Probatur 1. ex Scripturis. Psalmo 83. v. 8. legitur: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Prov. 4. v. 18. *Justorum autem semita, quasi lux splendens procedit, et cres-*

cit usque ad perfectam diem. Et Ecclesiastici 18. v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari.*

Idem quoque dogma ex N. T. colligitur: scribit enim Apostolus ad Gal. 6. v. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Et ad Ephes. 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia.* Tum ad Philip. 1. v. 9. *Et hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet.* Denique Apoc. 22. v. 11. legitur: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.*

Probatur 2. ex Patribus. Augustinus tract. 5. in epist. Joan. de charitate sic loquitur: *Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, &c.* Item S. Prosper in lib. Sent. ex Augustino Sent. 102. scribit: *In hac vita quae tota tentatio est, etiam in sublimissimis Sanctis, non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.* Tandem S. Leo in serm. 39. ait: *Haec est perfectorum vera justitia, ut nunquam praesumant, se esse perfectos: ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.* Eadem quoque Bernardi sententia est, uti ex epist. 91. liquet.

Probatur 3. ratione, quam suggerit S. Thomas in 2. 2. q. 24. a. 4. "Ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur: et ideo de ratione charitatis viæ est, ut possit augeri. Si enim non posset augeri, jam cessaret viæ processus. Et ideo Apostolus charitatem *viam* nominat, dicens 1. ad Cor. 12. v. 31. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*"

Hac de re agit etiam S. Bonaventura in 1. d. 17. p. 2. a. 1. q. 1. ubi inter alia illud habet: "Constat, quod diversis majora, et minora præmia dabuntur. Unde Apostolus 1. Cor. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunae, &c.* et constat, quod uni et eidem secundum diversos status debetur diversum præmium, scilicet majus et minus: sed magnitudo præmii substantialis respondet quantitati charitatis, non secundum fervorem, sed secundum substantiam: ergo si contingit majus præmium alicui deberi, ergo et charitatem substantialiter augeri." Huc faciunt, quæ contra Jovinianum adduximus in lib. 3. c. 10.

Merito itaque Synodus Tridentina contra Lutheranos, et Calvinistas, negantes meritum bonorum operum, et augmentum gratiæ per eadem opera, sess. 6. can. 24. taliter definivit: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non au-*

geri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam: anathema sit. Eandem etiam doctrinam tradit in ejusdem sessionis c. 10. aitque, quod *hoc justitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat*, in Dominica 13. post Pentecostem: *Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum.*

Dices 1. Si charitas in hac vita crescere semper posset, et augmenti terminum nunquam haberet, consequens profecto esset, quod quilibet Justus æquare posset, et superare etiam B. Virginis, ipsiusque Christi intensissimam charitatem. Sequeretur item, quod charitas viæ posset ingentem charitatis patriæ perfectionem attingere: quod recte dici non potest.

Resp. ad 1. quod licet quilibet Justus semper possit in gratia, et charitate proficere; reipsa tamen non excedet terminum ex divina præordinatione sive prædestinatione statutum: cumque nemo prædestinatus sit ad tantam charitatem et gratiam, quanta potitur Christus, ejusque SS. Mater; idcirco nemo illos in charitate et gratia superare poterit, vel æquare.

Ad 2. Vel sermo procedit de charitate, quam idem homo habet in via, et postea habebit in Patria: vel fit comparatio inter charitatem cujuscunque viatoris, et charitatem cujuscunque Beati. Si primum, reponimus, quod cum Deus remuneret ultra condignum; charitas, quam in Patria habet Beatus, in eo statu graduque non manet, quo fuit in ultimo instanti vitæ; sed aliquod accipit incrementum, quum homo beatus evadit. Si secundum, asserimus, quod viatores aliqui magis intensam habeant charitatem, quam nonnulli Beati: credere namque par est, quod plures Sancti Viri, qui hac in vita Deo indesinenter inserviunt, et pro eo plurima patiuntur, intensiori charitate sint præditi, quam infantes, qui cum sola Baptismi gratia decesserunt, et quam adulti, qui dum hic viverent, non ita sedulo bonis operibus studuerunt.

Nihilo tamen minus charitas Patriæ charitatem viæ semper excedit in statu, et modo operandi, quia beatificæ visioni conjungitur. Quo in sensu, postquam Christus Matth. 11. v. 11. dixit, quod *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, subjunxisse videtur: *Qui autem minor est in regno coelorum, major est illo.* Quare Doctor Angel. in 2. 2. q. 24 a. 7. ad 3. cum sibi objecisset, quod si charitas viæ posset semper augeri, posset etiam charitatem Patriæ adæquare; quia unum finitum per continuum augmentum pertingere potest ad quantitatem alterius finiti; respondet, "quod ratio illa procedit in his, quæ habent quantitatem » ejusdem rationis; non autem in his, quæ habent diversam rationem » quantitatis: sicut linea, quantumcunque crescat, non attingit quan» titatem superficiei. Non est autem eadem ratio quantitatis chari» tatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei, et charitatis Patriæ, » quæ sequitur visionem apertam." Per hanc enim charitas summo cum gaudio, totoque conatu fertur in Deum, sine ullius admix-

tione contrarii, sine ulla temporis intermissione, sine ullo amittendi timore.

Quæres hic forsitan, an sicuti charitas augeri possit, ita possit et minui? Huic difficultati S. Thomas ocurrit in 2. 2. q. 24. a. 10. scribens, quod "si charitas diminuatur, oportet, quod vel »diminuatur per aliquem actum, vel per solam cessationem ab ac»tu. Per cessationem quidem ab actu diminuuntur virtutes ex ac»tibus acquisitæ, et quandoque etiam corrumpuntur.... Sed hoc »ideo est, quia conservatio uniuscujusque rei dependet ex sua cau»sa: causa autem virtutis acquisitæ est actus humanus; unde ces»santibus humanis actibus virtus acquisita diminuitur, et tandem »totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate locum non habet: quia »charitas non causatur ab humanis actibus, sed solum à Deo.... »Unde relinquitur, quod etiam cessante actu, propter hoc nec di»minuitur, nec corrumpitur, si desit peccatum in ipsa cessatione."

"Relinquitur ergo, quod diminutio charitatis non possit cau»sari, nisi vel à Deo, vel ab aliquo peccato. A Deo quidem non »causatur aliquis defectus in nobis, nisi per modum pœnæ, se»cundum quam subtrahit gratiam in pœnam peccati. Unde nec ei »competit diminuere charitatem, nisi per modum pœnæ: pœna au»tem debetur peccato. Unde relinquitur, quod si charitas dimi»nuatur, quod causa diminutionis ejus sit peccatum vel effective, »vel meritorie. Neutro autem modo peccatum mortale diminuit »charitatem, sed totaliter corrumpit ipsam, et effective, quia om»ne peccatum mortale contrariatur charitati.... et etiam merito»rie, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, »dignus est, ut Deus ei subtrahat charitatem."

"Similiter etiam nec per peccatum veniale charitas diminui po»test, neque effective, neque meritorie. Effective quidem non, quia »ad ipsam charitatem non attingit. Charitas enim est circa finem »ultimum: veniale autem peccatum est quædam inordinatio circa »ea, quæ sunt ad finem. Non autem diminuitur amor finis ex hoc, »quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea, quæ sunt »ad finem: sicut aliquando contingit, quod aliqui infirmi multum »amantes sanitatem, inordinate tamen se habent circa diætæ ob»servationem. Sicut etiam in speculativis scientiis falsæ opiniones »circa ea, quæ deducuntur ex principiis, non diminuunt certitu»dinem principiorum. Similiter etiam veniale peccatum non mere»tur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in mino»ri, non meretur detrimentum pati in majori. Deus enim non plus »se avertit ab homine, quam homo avertat se ab ipso. Unde qui »inordinate se habet circa ea, quæ sunt ad finem, non meretur »detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad ultimum »finem."

"Unde consequens est, quod charitas nullo modo diminui pos»sit, directe loquendo. Potest tamen indirecte dici diminutio cha»ritatis dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit vel per pecca-

»ta venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum cha-»ritatis.» Hac de re legendus est etiam S. Bonaventura in 1. d. 17. p. 2. a. 1. q. 3.

Propositio 2. Justi mortalem adhuc vitam agentes possunt à justitia et sanctitate deficere. Est fidei dogma.

Probatur ex S. Bonaventura in 3. d. 31. a. 1. q. 1. "primo »per exempla veteris Testamenti. Constat enim, quod Saul chari-»tatem habuit, cum de eo scribatur. 1. Reg. 9. 2. quod non erat »vir in Israel melior eo. Similiter et David charitatem habuit, cum »de eo dicat Dominus, Act. 13. 22. Inveni virum secundum cor »meum. Et constans est, quod uterque charitatem perdidit, quia »uterque mortaliter peccavit: Saul in persequendo David; David »in committendo adulterium, et homicidium: Ergo, &c."

"Item: Hoc ipsum ostenditur per exempla novi Testamenti, quia »Discipuli Domini charitatem habuerunt, tam Apostoli, quam alii »Discipuli electi: sed multi de discipulis abierunt retro, secun-»dum quod dicitur Joan. 6. Multi etiam de Apostolis dubitave-»runt in fide, secundum quod habetur Matth. ultimo, et simili-»ter ultimo Marci, et similiter ultimo Lucæ: ergo charitatem ha-»bitam perdiderunt: ergo charitas semel habita potest perdi."

"Item: Hoc ipsum ostenditur per auctoritates. 1. Cor. 10. *Qui »stat, videat, ne cadat*, Et Apoc. 2. *Habeo adversum te pau-»ca, quod charitatem primam reliquisti.* Ergo charitas semel ha-»bita potest perdi, et deleri."

"Item: Hoc ipsum probatur manifesto experimento, quia par-»vuli, qui baptizantur, habent gratiam, et ita charitatem, et cæ-»teras virtutes; et tamen quando veniunt ad adultam aetatem, per-»dunt peccando, sicut planum est: ergo charitas postquam habe-»tur, amittitur."

"Item: Hoc ipsum ostenditur rationabili argumento. Facilius »est deficere, quam proficere; et cadere, quam surgere: facilius »est etiam perdere charitatem, quam fidem, quia perdita fide, »perditur charitas, sed non convertitur: sed possibile est homi-»nem, qui non habet charitatem, charitatem acquirere; possibile »est etiam, hominem habentem fidem, à fide recedere: ergo mul-»to fortius possibile est, hominem habentem charitatem à chari-»tate cadere."

Adnotat præterea S. Doctor in ejusdem quæstionis resolutione, "quod charitas viæ non tollit à libero arbitrio vertibilitatem ad »malum, sicut nec cupiditas tollit habilitatem ad bonum: simul „ergo stat vertibilitas, et charitas. Sed ubi est vertibilitas, ibi po-„test esse culpa, et ibi tam charitas, quam gratia potest abesse. Res-„tat igitur, &c."

Hæc denique Catholica veritas locupletissimis Sanctorum Patrum testimoniis roboratur. Cyprianus in lib. de Exhortatione Martyrii scribit, *ereptos de faucibus diaboli, et de laqueis saeculi liberatos non debere denuo ad saeculum reverti, ne perdant quod evaserint.*

Hieronymus in lib. 2. contra Jovinianum ait: *Si peccaverimus, et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit.*

Augustinus etiam id passim affirmat, ac præsertim in lib. de Correp. et Gra. c. 8. demonstrat., *quod Filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam.*

Hoc ipsum etiam manifeste convincunt ea omnia Patrum scripta, quibus contra Novatianos unanimiter docuerunt, quod post Baptismum lapsi recipiendi sint in gratiam per pœnitentiæ sacramentum. Quibus tandem accessit doctrina, ac definitio Concilii Tridentini in sess. 6. cap. 13., 14. et 15., pluribusque canonibus ejusdem sessionis, sed præcipue canone 17. quo damnantur, qui *justificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere dicunt*; *reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere*; et can. 23. quo ei infertur anathema, qui dixerit, *hominem semel justificatum amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur, et peccat, nunquam vere fuisse justificatum.*

Objicies 1. Matthæi 7. v. 18. legitur: *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Ait quoque Joannes in epist. 1. c. 3. v. 6. *Omnes qui in eo manet, non peccat*; et ibidem v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et peccare non potest, quoniam ex Deo natus est.* Atqui Justi sunt arbor bona, manent in Deo, et ex illo sunt nati.

Resp., quod Justus sit arbor bona, quatenus charitatem habet, et bonam voluntatem, ex qua mali fructus, sive mala opera prodire non possunt. Hæc enim non à charitate, et voluntate bona, sed à cupiditate, et mala voluntate procedunt. Cum vero cupiditas ista in homine justificato excitari rursus queat; idcirco si illi obsecundare voluerit, fiet arbor mala, malosque fructus emittet. Hinc in sensu dumtaxat composito, uti Schola loquitur, intelligendus est textus; quia nempe peccata lethalia nequeunt cum gratia sanctificante componi. Unde non ait Christus: Arbor bona non potest fieri mala; sed, Arbor bona non potest malos fructos facere; quamdiu scilicet bona manet, ac bene agit.

Eadem etiam ratione qui natus est ex Deo, et in se habet semen ejus, peccare non potest; quia peccatum non à gratia, quæ est bonum semen, sed ab humanæ voluntatis libertate, et iniquitate derivat: et ideo recte scribit Augustinus tract. 4. in epist. 1. Joan. c. 3. n. 8. *In quantum in ipso manet, in tantum non peccat.* Et in lib. 2. de Pecc. Mer. et Remiss. c. 8. ait: *Per quod Filii Dei sumus, per hoc peccare omnino non possumus.... Per quod adhuc filii saeculi sumus, per hoc peccare adhuc possumus.*

Denique cum Joannes in eadem epist. c. 2. v. 1. dicat: *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis*; et c. 3. v. 17. *Qui*

habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Cum, inquam, hæc ille scripserit, profecto evidenter apparet, non ipsum sensisse, quod nequeant Justi à charitate, et sanctitate deficere.

Objicies 2. Magna charitatis perfectio postulat, ut extingui, ac deficere omnino non possit. Hinc Cant. 8. v. 7. dicitur: *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem.* Et Joan. 4. v. 13. ait Christus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Ac tandem Apostolus in 1. ad Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit.*

Resp. ad 1. idcirco dici, quod aquæ multæ non possint extinguere charitatem; quia si loquamur de Justis, gratia sanctificans superat omnium tentationum, persecutionum, tribulationum impulsus; dummodo actualis etiam gratia adsit, neque huic voluntas pro sua libertate resistat. Si autem loquamur de Ecclesia, cujus cum Christo unionem Canticum Canticorum ibidem adumbrat, nequeunt aquæ multæ extinguere charitatem; quia neque ingruentibus hæresibus, neque sævientibus persecutionibus, neque vigentibus malis aliquorum moribus deserit Salvator Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo.

Alterum quod ex Joannis 4. citatur, conditionato in sensu intelligendum est; si nempe fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam Justi non deserant. Ceterum nisi fontem illum plures peccando desererent, non dixisset Jeremias c. 17. v. 13. *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

Ad tertium. Apostolus præcellentiam charitatis supra fidem, et spem, et reliqua Dei dona demonstrat, ex quo charitas diligenter in hac vita custodita in Cœlo permaneat; unde statim adjungit: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, &c.*

Ut tandem cavilli quilibet hic facile ac breviter enodentur, cum S. Thoma in 2. 2. q. 24. a. 11. notandum est, "quod per cha„ritatem Spiritus Sanctus in nobis habitat.... Tripliciter ergo pos„sumus considerare charitatem. Uno modo ex parte Spiritus Sancti „moventis animam ad diligendum Deum: et ex hac parte chari„tas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infal„libiliter operatur quodcunque voluerit. Unde impossibile est hæc „duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem move„re ad actum charitatis, et quod ipse charitatem amittat peccan„do. Nam donum perseverantiæ computatur inter beneficia Dei, „quibus certissime liberantur quicunque liberantur, ut Augustinus „dicit in lib. de Prædestinatione Sanctorum, *sive in lib. de Do„no Persev. c.* 14.

"Alio modo potest considerari charitas secundum propriam ra-

„tionem: et sic charitas non potest aliquid, nisi id quod perti„net ad charitatis rationem. Unde charitas nullo modo potest pec„care, sicut nec calor potest infrigidare: et sic etiam injustitia non „potest bonum facere, ut Augustinus dicit in lib. 2. de Serm. Dom. „in Monte c. 37.

"Tertio modo potest considerari charitas ex parte subjecti, quod „est vertibile secundum arbitrii libertatem. Potest autem attendi „comparatio charitatis ad hoc subjectum et secundum universalem „rationem, qua comparatur forma ad materiam; et secundum spe„cialem rationem, qua comparatur habitus ad potentiam. Est au„tem de ratione formæ, quod sit in subjecto amissibiliter, quan„do non replet totam potentialitatem materiæ.... Sic ergo chari„tas Patriæ, quia replet totam potentialitatem rationalis mentis, in „quantum scilicet omnis actualis motus ejus fertur in Deum, ina„missibiliter habetur. Charitas autem viæ non sic replet potentiali„tatem sui subjecti, quia non semper actu fertur in Deum: un„de quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere, „per quod charitas amittatur. Habitui vero proprium est, ut in„clinet potentiam ad agendum; quod convenit habitui, in quan„tum facit aliquid videri bonum, quod ei convenit; malum autem, „quod ei repugnat. Sicut enim gustus dijudicat sapores secundum „suam dispositionem, ita mens hominis dijudicat de aliquo facien„do secundum suam habitualem dispositionem.... Ibi ergo chari„tas inamissibiliter habetur, ubi id quod convenit charitati, non „potest videri nisi bonum, scilicet in Patria, ubi Deus videtur „per essentiam, quæ est ipsa essentia bonitatis; et ideo charitas „patriæ amitti non potest. Charitas autem viæ, in cujus statu non „videtur ipsa essentia Dei, bonitatis esse essentia, potest amitti." Legendi hac in quæstione sunt Estius in 3. d. 31. §. 1. et 2. Berti in lib. 19. c. ult. propos. 1. et Juenin in dissert. 2. de Gra. Habit. q. 2. a. 5., &c.

Sed quærendum postremo est, num charitas quæ per peccatum amittitur, possit quocunque in gradu, sive æquali, sive majori, sive minori, iterum reparari? Et quod recuperari possit charitas, ea omnia probant, quæ sacramentum pœnitentiæ statuunt, et relapsorum reconciliationem ostendunt. Nam sicuti qui labuntur, charitatem amittunt; ita qui reconciliantur, illam à Deo recipiunt. Unde Apoc. 2. v. 5. qui charitatem primam reliquerat, ita monetur: *Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac.*

Quod vero possit quocunque in gradu, charitas reparari, invicta ratione ab Angel. Doctore in p. 3. q. 89. a. 2. ita monstratur: "Motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est „ultima dispositio ad gratiam, unde in eodem instanti est gratiæ „infusio, cum prædicto motu liberi arbitrii.... In quo quidem „motu comprehenditur actus pœnitentiæ.... Manifestum est autem, „quod formæ, quæ possunt recipere magis, et minus, intendun-

„tur, et remittuntur, secundum diversam dispositionem subjecti....
„Et inde est, quod secundum quod motus liberi arbitrii, in pœ-
„nitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens con-
„sequitur majorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensio-
„nem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gra-
„tiæ, quam illa à qua ceciderat per peccatum, quandoque autem
„æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque re-
„surgit in minori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem
„in æquali, quandoque etiam in minori; et eadem ratio est de vir-
„tutibus, quæ ex gratia consequuntur." Consule etiam S. Bonaventuram in 3. d. 31. a. 1. q. 2. et 3.

CAPUT VII.

Quid, et quotuplex sit meritum; et num possit Justi vitam aeternam de condigno mereri?

Quandoque meriti nomen in malam partem accipitur, uti dum dicimus, quod homicida supplicium mereatur. Hic vero bono in sensu significat, atque à Schola Theologis passim ita describitur: *Meritum est bonorum operum, quae sunt ex gratia, dignitas quaedam sive praestantia, ob quam illis vel ex decentia, vel ex justitia rependitur praemium aliquod pertinens ad vitam aeternam.*

In hac itaque descriptione primo notandum illud occurrit, *praemium pertinens ad vitam aeternam*: nam temporalia bona, cum Justis æque ac peccatoribus communia sint, nequeunt esse bonorum operum retributio, nisi sub ea ratione dumtaxat, quod possint ad salutem æternam per auxiliantem Dei gratiam ordinari; veluti dum quis divitiis utitur, ut eleemosynam largiatur, vel corporis animique valetudinem adhibet, ut oret, ac pietatem exerceat.

Adduntur insuper verba illa, *bonorum operum, quae ex gratia fiunt*; ut enim ex alibi dictis contra Pelagium patet, nullum sine gratia opus aut fidem, aut justificationem, aut vitam æternam aliquo modo meretur.

Tandem adjungitur, *vel ex decentia, vel ex justitia*; cum non omne meritum tali dignitate sit præditum, ut servata æquitate merces illi ac præmium debeatur; sed complura sunt imperfecta et exigua, quibus præcedentibus dona Largitoris solent ex profusa ejus liberalitate rependi.

Hinc duplex meriti distinguendum est genus; ita ut alterum *meritum de condigno*, alterum *meritum de congruo* nuncupetur. Meritum de condigno est, cui ex justitia retribuitur æterna vita; illudque locum habet in solis justificatis, et habitualem gratiam præsupponit. Meritum vero de congruo illud est, cui ex sola decentia remuneratio confertur: et tale meritum in peccatoribus etiam

invenitur, dum gratia præveniente excitati, fide, spe, et dilectione ad justificationis gratiam disponuntur.

Cum in eo turpissime Novatores erraverint, quod asseruerint, opera hominis, etiam justi, in seipsis esse peccata; quamvis non imputentur ad culpam, ob id dumtaxat, quod Dei, et Christi justitia contegantur; consequenter alium addiderunt errorem, ajentes, quod bona Justorum opera non vitam mereantur æternam, sed potius damnationem, et mortem; licet ex sua benignitate Deus præmium eis conferre decreverit. Ita Calvinus affirmat in lib. 3, Institut. c. 15. §. 3.

Propositio. Bona Justorum opera non de congruo tantum, verum et de condigno vitam merentur æternam.

Probatur. Sæpe Scriptura testatur, quod Deus bonis Justorum operibus vitam æternam pro mercede retribuat: Atqui merces meritis correspondet, eisdemque rependitur: Ergo bona Justorum opera vitam æternam de condigno merentur. Et sane Sap. 5. v. 16, de Justis legitur: *Apud Dominum est merces eorum.* Matth. 5. v. 12. *Merces vestra copiosa est in coelis:* Et c. 25. v. 34. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: &c.* Et ad Rom. 2. v. 6. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Ac tandem in 2. ad Tim. 4. v. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum ejus.* Alibi quoque de hoc dogmate clari evidentesque textus non raro leguntur.

Eandem præterea veritatem SS. Patres perpetuo docuerunt, quos inter Martyr Ignatius in espist. ad Rom. ait: *Sinite, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Chrysostomus hom. 2. in epist. 2. ad Timotheum: *Vitae ratione, et bonorum operum Deum habemus debitorem.* Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiæ: *Accipiunt merita nostra mercedem.* Denique Augustinus in epist 194. ad Sixtum c. 2. *Nullane sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed, ut justi fierent, merita non praecesserunt.* His adde Basilium in Psal 33. et de Spiritu Sanct. c. 24. Nazianzenum orat. 31. et 40. Cyrillum in thes. 26. Prosperum ad 6. object. Gallorum, Bernardum serm. 81. in Cant. &c.

Bene igitur, recteque Tridentina Synodus in sess. 6. cap. 16. contra nostri temporis hæreticos hæc inter alia protulit: "Cum Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possunt; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus Salvator noster dicat, *Joan.* 4.

„v. 13. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet* „*in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam* „*aeternam.*"

Ac tandem in ejusdem sess. can. 32. ita decrevit: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.* Hoc idem docent Latheranense Concilium IV. sub Innocentio III., et Concilium Florentinum in decreto unionis, necnon Coelestinus I. in epist. ad Episcopos Galliæ c. 12., &c.

Objicies 1. Vita æterna in sacris litteris *misericordia* appellatur, et *gratia*: non ergo nostris illa meritis comparatur. Ita in Psal. 102. v. 4. legitur: *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.* Et ad Rom 6. v. 23. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita aeterna.* Tum ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Huc denique facit, quod vita æterna non semel in Scripturis appellatur hæreditas, ea scilicet ex causa, quod, ut Calvinus ait in Antidoto Conc. Trid. sess. 6. cap. 16., *non alio, quam gratuitae adoptionis jure nobis obvenit.*

Resp., quod vita æterna merces simul dicatur et gratia: Merces, quia meritis redditur; gratia vero, et misericordia, quia merita ista oriuntur ex Dei gratia, quæ homini tribuit, unde possit coram Deo mereri. Quare S. Augustinus in lib. de Gra. et Lib. Arb. c. 9. exponens textum 1. in loco citatum, inquit: *Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est*, Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et operari pro bona voluntate; *ideo dixit Psalmus*, Coronat te in miseratione et misericordia; *quia ejus miseratione bona opera operamur, quibus corona redditur.*

Ad 2. eadem responsio est. Ut enim eodem in loco ait Augustinus: *Accipiemus gratiam pro gratia, quando nobis vita aeterna redditur; de qua dixit Apostolus*: Gratia autem Dei vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro: *cum prius dixisset*, Stipendium peccati mors. *Merito enim stipendium, quia militiae diabolicae mors aeterna tanquam debitum redditur. Ubi cum posset dicere, et recte dicere; Stipendium autem justitiae vita aeterna; maluit dicere*, Gratia autem Dei vita æterna: *ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.* Eadem habet in epist. 194. ad Sixtum c. 5.

Ad 3. similiter respondemus. Etsi enim vitam promereamur

æternam; non tamen sine Dei gratia, quæ ad fidem, et ad singulos pietatis actus necessaria est, et à qua meritum omne procedit; unde in nobis gloriari omnino non possumus. Lege S. Augustinum laudato in libro c. 7.

Ad ultimum. Parvuli qui ante rationis usum adoptantur, et obeunt, accipiunt quidem vitam æternam solo hæreditatis titulo: at adulti, qui rationis usu pollent, et ad mortem usque in filiorum adoptione per bona opera perseverant, duplici titulo, altero nempe mercedis, hæreditatis altero, æternam vitam accipiunt. Id indicavit Apostolus scribens ad Coloss. 3. v. 23. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus: scientes, quod à Domino accipietis retributionem haereditatis.* Retributionis enim nomine ipsa merces exprimitur, et cum hæreditate conjungitur. Lege Synodum Tridentinam in sess. 6. c. 16.

Objicies 2. Christus Lucæ 17. v. 10. discipulis suis ait: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Atqui servus inutilis; et qui facit quod debet facere, non meretur.

Resp., quod multiplici ex capite etiam post observantiam præceptorum appellare nos *servos inutiles* debeamus. Primo nempe, quia nullum bonum opus sine auxiliante Dei gratia potuissemus efficere: 2. quia ex opere nostro nihil Deo utilitatis accessit: 3. quia poterat nobis Deus mandata proponere, nulla repromissa mercede: 4. denique quia cavendum nobis est, ne ex bonorum operum æstimatione superbiæ tumor exsurgat. Alibi tamen Deo utiles per ipsius gratiam nuncupamur; ut Matth. 25. v. 23. *Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Et in 2. ad Tim. 2. v. 21. *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, &c.* Alibi quoque Christus nos non servos, sed amicos vocare dignatus est, inquiens Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos servos.... Vos autem dixi amicos.*

Falsum est insuper, quod qui facit, quod debet, mereri non possit. Ut enim bene ait S. Thomas in 1. 2. q. 114. a. 1. ad 1. *Homo in quantum propria voluntate facit illud, quod debet, meretur; alioquin actus justitiae, quo quis reddit debitum, non esset meritorius*: Et rationem assignans in 2. d. 27. q. 1. a. 3. ad 3. inquit: *Quamvis enim illud, quod reddit, quod debitum est alteri, suum non sit; nihilominus tamen modus operationis, in quo fundatur, et jus merendi, et laus ipsius merentis est, quia voluntarie, et propter bonum justitiae reddit.*

Objicies 3. Meritum de condigno æqualitatem dicit opus inter, et præmium, sive mercedem: atqui inter opera nostra, et vitam æternam non datur æqualitas: scribit enim Apostolus ad Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*

Resp., distinguo min. Non datur æqualitas absoluta, concedo;

proportionalis; nego minorem. Ad rationem meriti de condigno non requiritur absoluta æqualitas; ita nempe ut opus tantum esse debeat, quantum est præmium: sed sufficit, ut opus proportionem cum præmio habeat, et quod acceptetur ad præmium. Id autem habent opera facta in gratia, quæ est semen vitæ æternæ: et adest etiam Dei promissio, qui ejuscemodi opera ad consecutionem æternæ gloriæ ordinavit.

Hujusce ergo temporis passiones in seipsis spectatæ non sunt profecto condignæ, ut futuræ gloriæ comparentur: illæ quippe leves sunt et finem habent; merces vero est bonorum omnium aggregatio nunquam vicissitudini subjecta, vel fini. Unde Paulus in 2. ad Cor. 4. v. 17. scribit: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supramodum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* At digna est sempiternæ mercedis retributio, quæ passionibus illis redditur; si attendamus eum, qui patitur, esse Dei Filium, et hæredem, ipsique conglorificationem repromissam esse cum Christo, si tamen cum illo compatiatur; ut inquit Apostolus objecto in cap. v. 17. Hinc et in 2. ad Thessal. c. 1. v. 5. scribit: *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini.* Et Christus etiam Lucæ 20. v. 35. ejuscemodi dignitatem ostendit, dicens: *Illi vero, qui digni habebuntur saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, &c.* Lege S. Bonaventuram in 2. d. 27. a. 2. q. 3.

Objicies 4. Meritum de condigno inducit debitum in præmiante: atqui Deus nulli debitor esse potest. Deinde nemo præmium ab eo meretur, quem suo opere juvare non potest: atqui nequit homo Deum sua operatione juvare. Postremo assertio quam tuemur, injuriam Christo facit, quoniam vim et efficaciam passionis ejus imminuit; et dum humana merita statuit, ejusdem merita parvipendit.

Resp. ad 1. cum S. Augustino in Psal. 109. *Deus fecit se nobis debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.* Et S. Thomas in 1. 2. q. 114. a. 1. ad 3. ait: *Quod quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex praesuppositione divinae ordinationis: non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi: in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.*

Ad 2. respondet idem Doctor Angel. hoc in loco ad 2. *Quod Deus ex bonis nostris non quaerit utilitatem, sed gloriam, idest manifestationem suae bonitatis; quod etiam ex suis operibus quaerit. Ex hoc autem, quod eum colimus nihil ei accrescit, sed nobis: et ideo meremur aliquid à Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed in quantum propter ejus gloriam operamur.*

Ad 3. Cum merita nostra ex Christi meritis oriantur, indeque vim suam omnem accipiant; idcirco quidquid illa dignitatis habent et laudis, totum in dignitatem, laudemque meritorum Christi re-

dundat. Hoc ipse Christus aptissima similitudine declaravit, inquiens Joan. 15. v. 4. *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: &c.* Vide Seraph. Doctorem laudato in loco, ubi quæstionem istam præclare pertractat.

CAPUT VIII.

Conditiones ad meritum requisitas enumerat; declaratque quid possimus apud Deum vel de condigno, vel de congruo promereri.

Uti priori in capite diximus, meritum aliud de congruo est, aliud de condigno. Ad istud sex requiri conditiones communis Theologorum tradit assertio. Et primo, ut meritorius sit actus, *liber* esse debet, eo libertatis genere, quod *indifferentiae*, et à *simplici etiam necessitate solutum* Scholastici nominarunt. De hac conditione fuse tractavimus in lib. 12. c. 1. et 2.

Requiritur 2. quod actus laudabilis sit, et *bonus*. Ut enim opus sit meritorium, esse debet præmio dignum: atqui actus moraliter malus dignus est pœna, non præmio; actus vero indifferens, ut ajunt, in individuo, vel non datur; vel si datur, non est, cur potius dignus præmio dicatur, quam pœna: ergo. Et sane ex communi consensu nemo ab eo mercedem expectat, in cujus gloriam obsequiumque non agit: atqui nullum opus in Dei gloriam, et obsequium cedit, nisi bonum fuerit, et ordinetur ad Deum. Lege Rom. 2. 9.

Oportet 3. ut *supernaturale* sit opus; id est, ut prævenientis gratiæ auxilio perpetretur. Ut enim bene ait S. Thomas in 1. 2. q. 109. a. 5. *Actus perducentes ad finem, oportet esse fini proportionatos.... Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae..... Et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc exigitur altior virtus, quae est virtus gratiae.* Recole quæ diximus in lib. 8. c. Præsertim 4.

Necesse est 4. ut opus *in statu sanctificantis gratiae* peragatur. Nam gloria in Scripturis passim dicitur hæreditas filiorum; unde Paulus ad Rom. 8. v. 15. scribit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Et v. 17. *Si autem filii, et haeredes.* At non nisi per justificantem gratiam, spiritum adoptionis accipimus, Deique filii sumus. Eadem quoque Scriptura testatur, quod meritum in gratia, et amicitia Dei ita fundetur, ut si quis peccando mortaliter, amittat gratiam ac Dei amicitiam, statim amittat etiam omnia merita bona quæ fecerat: unde Ezech. 18. v. 24. legitur: *Si autem averterit se justus à justitia sua, et fecerit iniquitatem.... omnes justitiae ejus, quas*

fecerat, non recordabuntur. Tandem in Scripturis non nisi diligentibus Deum ejusque amicis vita æterna promittitur: ergò. Lege Concilium Tridentinum in sess. 6. c. 16. Imo plures hic Theologi sentiunt, quod aliarum virtutum actus, etiamsi ab homine justo fiant, vitam æternam de condigno mereri non possint, nisi charitatis imperium, et *virtualis* saltem influxus accesserit, quo iidem actus in Deum, uti in summum bonum, ultimumque finem supernaturalis ordinis, referantur. Lege Gotti in tract. de Merito Justi q. 2. dub. 4. ac etiam S. Bonaventuram in 2. d. 41. a. 1. q. 3.

5. Ad meritum ex Dei ordinatione requiritur *status viae.* Id aperte ex Scripturis eruitur; dicitur enim Ecclesiastæ 9. v. 5. *Mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Et ibidem c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Hujusce vero divinæ ordinationis ratio potest inde desumi, quod cum Deus tempora pro merito, ac pro præmio determinare voluerit, et meritum ex sui conceptu præmium antecedat; idcirco temporalem hanc ille vitam laboribus ac militiæ destinavit, in altera vero futura vita mercedem coronamque constituit.

Sexta tandem conditio est *Dei promissio.* Nam bona quidem opera ob sanctificantem gratiam habent dignitatem et proportionem cum æterna mercede; sed operanti, licet portaverit pondus diei et æstus, merces ex justitia non debetur, nisi fuerit conductus, nisi pactum cum Domino intercesserit, nisi sit facta conventio diurnum denarium persolvendi. Lege Matth. c. 20. v. 1. et seq.

Et sane non alio pacto Deus constitui potest hominum debitor, nisi quatenus rationi ac veritati maxime convenit, ut fidelis sit, servetque promissa. Cum enim simus natura Dei servi, potest ille servato æquitatis jure omnia opera sine remuneratione aliqua à nobis exigere. Vide quæ in præcedente cap. dicta sunt ad 4. object.

Id denique docet Tridentina Synodus sess. 6. c. 16. dicens: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia Filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa; et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda.*

Dicet hic aliquis: Peccata mortalia ordinatione divina non egent, ut pœnam mereantur æternam; quia ex seipsis indignitatem adducunt: ergo neque Justorum opera, quæ procedunt ex gratia, indigent ordinatione divina, ut æternam vitam mereantur, quia ex seipsis bona sunt, et condignitatem includunt.

Resp., negando paritatem. Qui enim peccat, se debitorem luendi pœnam ex jure constituit, quia peccata sine ulla judicis ordinatione ex sese digna sunt pœna. Justus autem bona per gratiam opera faciens, non se creditorem æternæ vitæ constituit; quia licet ex sese supernaturalem rei proportionem habeant, cum vita æterna; cum tamen ex aliis titulis Deo sint debita, non talem ha-

bent proportionem cum illa, ut meritum habet cum præmio, nisi ex Dei voluntate, qui ita libere ordinavit. Hinc à Pio V. et à Gregorio XIII. hæc secunda Baji propositio damnata est: *Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.* Favet et huic responsioni S. Bonaventura in 2. d. 27. a. 2. q. 3. ad argum.

Quod vero ad meritum de congruo pertinet, adnotamus, ad illud gratiam habitualem necessario non requiri; quia Dei beneficia non ex operis dignitate, sed ex sola decentia ejuscemodi meritum consequuntur. Quare peccatores, dum per supernaturales actus ad justificationis gratiam se disponunt, hanc tantum de congruo promerentur. Neque istiusmodi meritis semper et infallibiliter divina gratia redditur; sed pro Dei beneplacito datur, atque si ex parte recipientis nullum inveniatur impedimentum. Stat autem meritum de congruo etiam cum gratia sanctificante, uti dum Justus aut aliis gratiam, aut sibi donum finalis perseverantiæ promeretur; quæ non ex justitia conferuntur, sed ex liberalitate divina.

Promissionem denique meritum de congruo neque requirit necessario, neque excludit: sufficit enim ad tale meritum, si opus rectitudinem aliquam habeat, cujus intuitu Deus beneficium aliquod largiatur. Ut ergo opus meritorium sit de congruo, quatuor illæ dumtaxat conditiones necessario requiruntur, quod nempe sit liberum, sit bonum, in statu viæ fiat, et à gratia actuali procedat.

Sed explicandum modo distinctius est, quid apud Deum de congruo, quidque de condigno mereri possimus. Et quod æternam vitam possint Justi de condigno mereri, ex dictis in priori capite plusquam satis apparet. Sicut etiam ex dictis in lib. 16. c. 10. patet, quod non possit homo sibi de condigno, vel de congruo saltem mereri primam gratiam actualem. Hic ergo primum quæritur, an quis sibi primam justificationis gratiam valeat de condigno mereri?

Resp. negative. Quod enim est principium meriti non potest venire sub merito, et esse illius effectus; alioquin seipsum supponeret, antequam esset: atqui gratia justificans est principium totius meriti de condigno. Et sane nequit homo aliquid de condigno mereri, nisi sit Deo gratus, et ejusdem amicus; quod quidem per habitualem gratiam obtinetur. Hinc Apostolus ad Rom. 3. v. 24. ait: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti.* Denique Tridentinum in sess. 6. cap. 8. inquit: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.*

At dices. Saltem contritioni nil deficit, ut de condigno justificantem gratiam mereatur; ei enim adnexa est gratia justificans,

adestque Dei promissio talem gratiam conferendi homini jam contrito. Ut enim legitur Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

Resp. contritionem cum gratia justificante connecti, non sicut condignum meritum cum præmio, set sicut ultima dispositio cum forma conjungitur. Et Deus veniam contritis corde promisit, non ut mercedem, quomodo promisit gloriam, sed dumtaxat ut liberale donum, promissione, qua se non ex stricta justitia, sed ex sua fidelitate ligavit.

Negandum vero non est, quod homo per supernaturales actus, quibus ad justificationis gratiam se disponit, eandem gratiam de congruo mereatur. Si enim Deus, ut hominem justificet, exigit expectatque liberi arbitrii motus per ejus excitantem et adjuvantem gratiam se disponentis; nequeunt istiusmodi motus ratione meriti omnino privari. Et sane non est nullius meriti reputanda petentis fides, quærentis pietas, et pulsantis instantia; præcipue si petendo, quærendo, et pulsando accipere, invenire, et intrare dicatur. Unde S. Augustinus in epist. 194. ad Sixtum ait: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat, exaltatur.* Et in lib. de Prædest. SS. c. 2. *Quis autem dicat eum, qui jam coepit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri?*

Quæritur 2. num Justi possint aliis primam gratiam, sive actualem, sive justificantem, ullo modo mereri?

Resp., cum S. Thoma in 1. 2. q. 114. a. 6. "quod merito
» condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus
» Christus, quia unusquisque nostrum movetur à Deo per donum
» gratiæ, ut ipse ad vitam æternam perveniat; et ideo meritum
» condigni ultra hanc motionem non se extendit. Sed anima Chris-
» ti mota est à Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret
» ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam ut alios in eam adduceret,
» in quantum est Caput Ecclesiæ, et Auctor salutis humanæ, se-
» cundum illud ad Hebr. 2. *Qui multos filios in gloriam addu-
» xerat, auctorem salutis, &c.*

» Sed merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gra-
» tiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei volunta-
» tem, congruum est secundum amicitiæ proportionem, ut Deus
» impleat hominis voluntatem in salvatione alterius; licet quando-
» que possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis
» Sanctus justificationem desiderat. Et in hoc casu loquitur auc-
» toritas Jeremiæ c. 15. v. 1. *Si steterit Moyses, et Samuel co-
» ram me, non est anima mea ad populum, istum.*" Legendus est quoque Seraph. Doctor in 2. d. 27. a. 2. q. 1.

Quæres 3. an homo justificatus mereri sibi possit augmentum justificantis gratiæ de condigno?

Resp. afirmative: uti Tridentina Synodus in sess. 6. can. 32. definit, inquiens: *Si quis dixerit.... Justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum anathema sit.* Legendum est etiam ejusdem sessionis caput 10., ubi veritas isthæc ex Scripturis ostenditur.

Id etiam Doctor Angel. in 1. 2. q. 114. a. 8. sequenti ratione confirmat. "Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gra» tiæ se extendit: motio autem alicujus moventis non solum se » extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum pro» gressum in motu. Terminus autem motus gratiæ est vita æterna, » progressus autem in hoc motu est secundum augmentum chari» tatis, vel gratiæ, secundum illud Prov. 4. *Justorum semita qua» si lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem,* » qui est dies gloriæ. Sic igitur augmentum gratiæ cadit sub me» rito condigni." Vide S. Bonaventuram in 2. d. 27. a. 2. q. 2.

Quæres 4. an possit homo sibi mereri, ut post lapsum reparetur? Sensus autem hujusce quæsiti est; an eo tempore, quo homo est justus, possit à Deo mereri, ut si contingat, ipsum labi in mortale peccatum, pœnitentia sibi donetur et venia, sicque in priorem statum gratiæ reducatur.

Resp. neque de condigno, neque de congruo posse id hominem promereri. Manifesta sunt enim Domini verba apud Ezechielem c. 18. v. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquit vivet? Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo justitiæ hominis, postquam peccaverit, in meriti ratione non manent, ut dignum, vel congruum esse dicatur, ipsum ob justitiæ opera à Deo reparari post lapsum.

Probat hoc idem Doctor Angelicus non obscura ratione in 1. 2. q. 114. a. 7. scribens: "Nullus potest sibi mereri reparatio» nem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque me» rito congrui. Merito quidem condigni hoc sibi mereri non po» test, quia ratio hujus mereri dependet ex motione divinæ gra» tiæ, quæ quidem motio interrumpitur per sequens peccatum: un» de omnia beneficia, quæ postmodum aliquis à Deo consequitur, » quibus reparatur, non cadunt sub merito, tanquam motione prio» ris gratiæ usque ad hæc non se extendente. Meritum etiam con» grui, quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur, ne » consequatur, effectum propter impedimentum peccati in eo, cui » quis meretur. Multo igitur magis impeditur talis meriti efficacia » propter impedimentum, quod est et in eo qui meretur, et in » eo cui meretur. Hic enim utrumque in unam personam con» currit, et ideo nullo modo aliquis potest sibi mereri reparatio» nem post lapsum."

Quod si 5. quæsieris, num possit homo justus perseverantiam promereri? Reponemus, quod de condigno illam mereri non possit; est enim specialissimum donum divino beneplacito præparatum Electis, uti probavimus in lib. 16. c. 11. Hinc adnotat S. Thomas in 1. 2. q. 114. a. 9. quod *multi habent opera meritoria, qui non consequuntur perseverantiam. Nec potest dici, quod hoc fiat propter impedimentum peccati; quia hoc ipsum quod est peccare, opponitur perseverantiae, ita quod si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret aliquem cadere in peccatum.*

Deinde nemo mercedem apud Deum de condigno meretur, nisi ipse promiserit: atqui nullibi legitur promisisse Deum, quod bene operantibus perseverantiam dabit; imo potius admonemur cum timore, et tremore salutem nostram operari: uti ex Tridentina Synodo diximus in loco supra citato, ubi etiam cum S. Augustino notavimus, donum illud posse nos de congruo promereri.

At dices. Possunt Justi de condigno mereri vitam æternam: ergo et perseverantiam, sine qua ad illam pervenire non possunt.

Resp. negando paritatem. Nam gloria est finis, perseverantia vero est medium, neque recte consequitur, quod si finis est merces, merces etiam esse debeat medium, quo pervenitur ad finem; cum Dominus pro libito vocet operarios, et pro sua liberalitate talenta dipenset; statutum vero denarium pro conventione persolvit, ac pro justitia fidelem servum de reportato lucro remunerat. Placuit præterea Deo promittere vitam æternam tanquam bravium bonis Justorum operibus, ut omnes sic currerent, ut comprehenderent; non placuit vero promittere perseverantiam ipsam, ut nemo præsumeret, sed unusquisque propriæ saluti cum tremore studeret. Tandem perseverantia non est necessaria, ut vitam mereamur æternam, sed dumtaxat ut perveniamus ad illam: Justi autem, etsi absolute mereantur vitam æternam, hujusce tamen consecutionem non absolute merentur, sed *si in gratia decesserint*, uti Tridentina Synodus ait in sess. 6. cap. 16. et can. 32.

Dices 2. Potest Justus per bona opera promereri aliud bonum opus subsequens, sive auxilium efficax, ut aliud bonum opus efficiat: potest insuper per istud bonum opus subsequens promereri auxilium efficax ad aliud, et aliud opus ad mortem usque patrandum: ergo et ipsam potest perseverantiam promereri.

Resp. quod gratia, quam Deus in hoc sæculo impertiri solet, non extenditur ad merendum de condigno gratiam aliam efficacem: neque inter actus priores, ac posteriores, vel inter gratiam prius concessam, et posterius concedendam ordo meriti ad mercedem intervenit; cum nulla de hac re extet Dei promissio, et inscrutabilia sint judicia Dei, cur auxilium efficax detur uni, et alteri denegetur; nam cui datur misericorditer datur, et cui non datur justo judicio denegatur.

Postremo quod ad bona temporalia pertinet; recte asserit S. Thomas in 1. 2. q. 114. a. 10. "quod si temporalia bona consideren-

»tur, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad »vitam æternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub »merito (*de condigno videlicet*), sicut et augmentum gratiæ, et »omnia illa, quibus homo adjuvatur ad perveniendum in beati- »tudinem post primam gratiam. Tantum enim dat Deus viris justis de »bonis temporalibus, et etiam de malis, quantum eis expedit ad »perveniendum ad vitam æternam, et in tantum sunt simpliciter »bona hujusmodi temporalia: unde dicitur in Psal. 33. *Timentes »autem Dominum non minuentur omni bono*: et alibi: *Non vidi »justum derelictum*, &c. Psal. 36.

»Si autem considerentur hujusmodi temporalia bona secundum »se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid, »et ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid; »in quantum scilicet homines moventur à Deo ad aliqua tempo- »raliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur Deo »favente, ut sicut vita æterna est simpliciter præmium operum »justitiæ per relationem ad motionem divinam; ita temporalia bo- »na in se considerata habeant rationem mercedis habito respectu »ad motionem divinam, qua voluntates hominum moventur ad hæc »prosequenda, licet interdum in his non habeant homines rectam »intentionem.»



DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

LIBER XXV.

UBI QUIDQUID AD ECCLESIÆ SACRAMENTA GENERATIM ATTINET, BREVITER EXPLANATUR.

Divino favente Numine jam de Ecclesiæ Sacramentis nunc sermonem habebimus, contemplaturi pro ingenii nostri mediocritate, ac pro instituti methodo expositurі copiosissimos divinæ gratiæ fontes, ex quibus perennes aquæ in vitam æternam salientes ad omnem explendam animæ nostræ sitim ubertim emanant. Et hoc quidem in libro de iis agemus, quæ ad generalem Sacramentorum omnium notitiam pertinent, deinceps autem de singulis distincte tractabimus.

CAPUT I.

Sacramenti nomen exponitur, ejusque recta descriptio traditur juxta Catholicam veritatem.

Sacramenti vocabulum pro vario ad rem sacram respectu variam significationem obtinuit. Ac primo ex Varrone in lib. 4. de Lingua Latina, *Sacramentum* dictum fuit litigantium pignus, quod olim in loco sacro usque ad litis finem apud Pontificem servabatur 2. *Sacramentum* pro juramento quolibet sumptum fuit, ac pro illo præsertim quo per aliquid sacrum milites sese obligabant ad fidem, et obedientiam Imperatori præstandam. 3. *Sacramenti* vocabulum denotat idem, ac *Mysterium*, rem scilicet arcanam, et latentem. Hoc in sensu Paulus in 1. ad Tim. 3. v. 16. Verbi Incarnationem appellat *Magnum pietatis Sacramentum* (Græce μυςήριον). Qua etiam ratione arcanorum doctrinæ, et symbola rerum occultarum *Sacramenta*, sive Mysteria nuncupantur; uti de fidei arcanis ajebat Christus Matth. 13. v. 2. *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum.*

Tandem Sacramenti nomen accipitur pro signo quolibet rei sacræ. Signum autem, ut Augustinus ait in lib. 2. de Doct. Christ. c. 1. *est res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud ali-*

quit ex se faciens in cogitationem venire; sicut viso vestigio, transisse animal cujus vestigium est cogitamus; et fumo viso ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita affectionem animi ejus advertimus. Non autem quodlibet signum dicitur Sacramentum, sed signum rei divinæ dumtaxat: unde S. Augustinus in epist. 138. ad Marcellinum n. 7. scribit: *Signa, cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Juxta hanc Sacramenti acceptionem in antiquis Patribus dum veteris Testamenti allegorias exponunt, vocabula isthæc passsim occurrunt, *Sacramenta numeri, panis, piscis, &c.*

Notandum præterea est, quod signa quædam nullam habent cum re quam significant similitudinem, uti campanæ sonus est signum convocandi Clerum: quædam vero similitudinem talem habent, ut absque ulla vel humana, vel divina institutione commonstrent rem quam significant; uti vestigium in arena impressum indicat pedem hominis, aut alterius animantis: nonnulla denique signa rem aliquam ex institutione demonstrant, sed cum ea analogiam aliquam et proportionem habent; ut immolatio Isaac Christi sacrificium, et productio Evæ institutionem Ecclesiæ præsignarunt. Hujusce profecto generis signa sunt Sacramenta, scribente Augustino ad Bonifacium epist. 98. n. 9. *Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Num vero Sacramenta dicenda sint signa speculativa, vel practica, prolixius infra videbitur.

Ex dictis eruitur, perperam omnino tentasse Lutherum, aliosque Novatores, ut vel ipsum Sacramenti vocabulum abrogarent, *signi*, vel *symboli* vocabulo substituto. Falsum est enim quod Zuinglius opponebat, nomen illud in Scripturis non inveniri, et qui eo utuntur, Apostolicum comtemnere monitum in 1. ad Tim. c. 6. v. 20. *Devita profanas vocum novitates.* Nam Sacramenti nomen cum sit Latinum, inepte prorsus in originali Hebræo vel Græco textu perquiritur. Cum vero ex Ecclesiæ usu et antiquissima Patrum traditione Sacramentum apud Latinos idem omnino significet, quod *Mysterium* apud Græcos, idcirco Sacramenti nomen retinendum merito esse censemus. Deinde nomina *Trinitatis*, *Consubstantialis*, *Ingeniti*, et alia nonnulla, quamvis in Scripturis non legantur expressa, ab ipsis tamen Sectariis admittuntur, quia Ecclesiæ usu sunt ubique recepta; idem itaque de Sacramenti nomine dicendum est. Tandem profanæ vocum novitates non sunt nova vocabula, quæ adversus emergentes hæreses usurpat Ecclesia, sed quibus adversus Catholicam veritatem utuntur hæretici. Lege S. Augustinum tract. 97. in Joan. n. 4. Ceterum si Socinianos excipias, plures alii ex Novatoribus a Sacramenti vocabulo nequaquam abhorrent.

Alterum controversiæ caput, in qua plurimum a nobis hæretici discrepant, est definitio Sacramenti. Lutherani contendunt, Sacramentum nihil aliud esse, *quam promissionem gratiae adnexam externo signo.* Ad Sacramentum quamvis adnexam habeat

gratiæ promissionem, dici tamen nequit *ipsa promissio gratiæ*: non enim dum Baptisma conferimus, dicimus, *Promitto tibi regenerationis gratiam*; sed. *Ego te baptizo*, *&c.* quod et servatur in aliis Sacramentis, quæ in nova lege non promittunt dumtaxat, verum et conferunt sanctitatem. Deinde ea in definitione latet pestilentissima Novatorum hæresis autumantium justificari hominem per solam fidem divinarum promissionum, et per solam in Christum fiduciam, seclusis operibus, et denegata interiori gratia, ablataque Sacramentorum efficacia, et virtute.

Calvinistæ ad rationem Sacramenti præter divinam promissionem adjungunt divinæ benevolentiæ oppignorationem; ita nimirum, ut sint *signa quaedam et sigilla divinitus instituta ad obsignandas in nobis, et confirmandas divinas promissiones, ad fidem nostram corroborandam, et ad pietatem nostram erga Deum palam significandam.*

Sed præterquam quod definitio isthæc nullam producendi gratiam vim tribuit Sacramentis, nisi quatenus fidem exterius excitant; inde etiam falsa esse montratur, quod divina promissio est in sacris litteris magis certa, quam sit certa justitia, et sanctitas in Sacramentis collata; ideoque fieri nequit, ut divinarum promissionum certiores per Sacramenta reddamur.

Præterea definitio illa ipsorum Calvinistarum doctrinam evertit. Cum enim asserant, solos prædestinatos justificari, et divinarum promissionum pignus accipere: cumque aliunde negare non audeant, plerosque reprobos Sacramenta suscipere, dicendum idcirco est, aut Sacramenta non esse illam divinæ benevolentiæ oppignorationem, aut nunquam à reprobis recipi, aut prædestinatos esse omnes, qui Sacramenta recipiunt. Reprobis namque, juxta Calvinianos, gratia denegatur, non ob pravam illorum dispositionem, sed quia Deus eandem gratiam solis prædestinatis sempiterno decreto paravit, sacris in litteris repromisit, ac reapse largitur.

Nihil autem adjuvat Calvinistas, quod Circumcisio ab Apostolo Rom. 4. dicatur *signaculum*, aut *sigillum*: siquidem nemo nostrum negat, Circumcisionem fuisse initi fœderis oppignorationem, necnon impressum in carne signaculum, quod Abrahæ filios ab aliena gente discerneret; sicuti neque illud inficiamur, homines sese per Sacramenta Deo mancipari, eidemque suam servitutem obstringere: sed negamus tantum, in Sacramentis vel oppignorationem istam, vel divini fœderis commemorationem solummodo esse spectandam, et non potius interiorem præsentemque justitiam et gratiam, quam significant, simulque in nobis efficiunt.

Non ergo eadem ratione à profanis Scriptoribus, et ab Ecclesiæ Patribus Sacramenti vocabulum usurpatur; neque ex eo quod apud litigantes Sacramentum dictum fuerit oppignoratio pecuniæ, recte deducitur, quod apud Ecclesiæ Doctores Sacramenta primario sint signacula fœderis à Deo cum hominibus initi, aut oppignoratio promissæ gratiæ fœderatis.

Ex dictis corruunt aliæ hæreticorum definitiones, quæ omnes Sacramentis vim auferunt spiritualis gratiæ effectricem. Hinc Zuinglio concedimus Sacramenta esse quandam initiationem, qua Christo homines, ut Imperatori milites, obstringuntur. Anabaptistis non negamus Sacramenta esse signa, quibus admonemur, ut recte vivamus. Fatemur Socinianis Christi fideles à Judæis et à Paganis per Sacramenta secerni Calvini, Lutherique gregariis ultro damus, Sacramentis fidem nostram excitari pietatemque plurimum exerceri. Inficiamur autem, id primo in Sacramentis attendi, non vero efficientiam spiritualium donorum, et internæ gratiæ collationem.

Sed rejectis falsis ineptisque hæreticorum definitionibus, modo restat, ut Sacramentum ex Catholicorum Theologorum sententia describamus. Multiplex in Scholis Sacramenti descriptio circumfertur, quam brevitati studentes silentio præterimus, eamque dumtaxat adducimus, ac retinendam esse censemus, quam tradit Catechismus Romanus in p. 2. c. 1. n. 11. *Sacramentum est res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione, sanctitatis et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.*

Dicitur itaque Sacramentum *res sensibus subjecta*, sive signum quoddam sensibile: nam quod occultum est, neque aliquam sui speciem sensibus ingerit, signum appellari non potest; uti dictum est ex Augustino in lib. 2. de Doct. Christ. c. 1. Idcirco autem sensibile signum ad Sacramentum constituendum fuit adhibitum, quia ex S. Thoma in p. 3. q. 60. a. 4. *est homini connaturale, ut per sensibilia perveniat ad cognitionem intelligibilium. Signum autem est per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde cum res sacrae, quae per Sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia, et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur; consequens est, ut per aliquas res sensibiles Sacramenti significatio impleatur.*

Dicitur 2. *Quae ex Dei institutione vim habet*; quia nempe sensibile signum illud non ex sui natura, sed ex Dei voluntate rem sacram, gratiamque significat, et recte dispositis in nova lege largitur.

Dicitur 3. *Sacramenta tum significandae, tum efficiendae sanctitatis et justitiae vim habere*: quod Sacramentorum novæ dumtaxat legis est proprium; cum vetera Sacramenta gratiam tantummodo præsignaverint, nec aliam, nisi legalem, contulerint sanctitatem. Sed de hoc prolixius infra tractabitur. Ex dictis autem colligi facile potest, quomodo definiendum sit Sacramentum late ac minus proprie sumptum; prout scilicet ejus notio à novæ veterisque legis abstrahit Sacramentis. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 1. p. 1. dub. 1. necnon Ven. Scotum in 4. d. 1. q. 2.

CAPUT II.

Num novae legis Sacramenta rebus et verbis, tanquam materia et forma constent; et an easdem Christus determinaverit?

Partes quibus perficiuntur Sacramenta, juxta communem nunc Scholæ usum à sexcentis fere annis, *materia*, *et forma* dicuntur; eâ scilicet comparatione, quæ ex naturalium rerum est deducta principiis. Sicut enim in corporibus invenitur subjecta res, quæ ad unum aliudve constituendum est prorsus indifferens; ac reperitur id etiam, quod rem illam ad peculiarem quandam determinat rationem; quorum alterum *materiam*, alterum *formam* Philosophi nominarunt: ita in Sacramentis adinvenitur *elementum*, sive res aliqua subjecta sensibus, et *verbum* rem ipsam determinans, et in Sacramenti ratione constituens. Sensibile ergo elementum insignitur *materiae* nomine, verba verò *formae* vocabulo denotantur. Hæc autem ut manifesta reddantur, sit

Propositio. I. Quodlibet novæ legis Sacramentum rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma perficitur.

Probatur. Eugenius IV. in Decreto pro instructione Armenorum ait: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Tum Concilium Tridentinum in sess. 14. c. 3. tres pœnitentis actus, nempe contritionem, confessionem, et satisfactionem dixit esse *quasi materiam*, et absolutionis verba *formam* Sacramenti Pœnitentiæ nuncupavit.

Orientalis etiam Ecclesiæ consensum ostendit Censura Hieremiæ Patriarchæ CP. ad Wittembergenses directa c. 7. ubi legitur: *Omnia Sacramenta sacra sanciuntur Scriptura, certamque ac definitam materiam et formam habent: uti Baptismi materia est aqua, forma autem verba Sacerdotis illa, Baptizatur servus Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Deinde novæ legis Sacramenta signa sunt gratiæ: ergo in illis adhibendum est sensibile aliquod elementum, quo spiritualis designetur effectus. Cumque eadem Sacramenta non tantum gratiam promittant, verum et efficiant, conferantque, consequitur, quod debeat sensibile elementum per consecratoria verba vim quandam eximiam super materialia cuncta nancisci, ac determinari ad constituendum efficax Sacramentum. Ergo sensibile elementum, quod ex sese indifferens est ac multiplicem potest usum habere, non male dicitur quasi Sacramenti materia; verba vero quæ idem elementum determinant, consecrantque, quasi Sacramenti forma rectissime nuncupantur.

Quæ diximus, ex Augustino confirmantur in tract. 80. in Joan. n. 3. ubi de Baptismo loquens hæc habet: *In aqua verbum mun-*

dat. Detrahe verbum, et quid aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.... Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo?... Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. Ubi S. Doctor *elementi* nomine idipsum intelligit, quod Theologi *materiam* vocant; et nomine *verbi* id, quod *formam* vocare nunc solent: et quod de Baptismo dicit, de aliis etiam valet Sacramentis; videlicet, si detrahatur forma verborum, quid oleum, nisi oleum? quid panis, nisi panis? quid sacrorum Ministrorum manus, nisi manus? &c.

Ut autem omnes evitentur ambages, advertimus, quod inter compositum physicum, et Sacramenta discrimen multiplex intercedat: ac primum est, quod corporum principia eisdem inhæreant, simulque permaneant; at in Sacramentis verborum forma pertransit, nec semper materiæ coexistit, sed illam sæpenumero sequitur, post aliquod temporis intervallum: ita se habet pœnitentis confessio, quæ materiæ locum tenet, quando Sacerdos absolutionis formam enunciat.

Discrimen alterum est, quod physica materies est solida, et permanens; quorundam vero Sacramentorum materia est actio transiens, nec per se, sed tantum adminiculo externorum motuum sensibilis; uti in eodem pœnitentiæ Sacramento contingit.

Tertium discrimen in eo situm est, quod si materia subesse desinat, physicum compositum perit atque dissolvitur; perseverat autem Sacramentum, quanquam materia nonnisi moraliter percipiatur adesse; uti accidit in venerabili Eucharistiæ Sacramento, quod permanentibus dumtaxat rerum subjectarum accidentibus, diu persistit.

Horum ergo discriminum ratio ex eo petenda est, quod Sacramentum non est compositum aliquod physicum, sed morale; ideoque ejus partes cum partibus physicis omnimodam similitudinem habere non possunt. Ergo sat erit, si quemadmodum partes physicæ ad rem naturalem constituendam physicæ coexistunt, physicæ uniuntur, ac physicæ participant materiæ ac formæ naturam; ita res et verba Sacramentorum moraliter coexistant, ut actus pœnitentis, et forma Sacerdotalis absolutionis; moraliter uniantur, ut subjectus panis, et Consecrationis verba; moraliter etiam sint sensibiles, ut contritio pœnitentium, et conjugum assensus quasi materialis evadit, sensibusque subjicitur per verba, per nutus, per alia signa corporea.

Quod vero ad alteram quæsiti partem attinet, observandum I. est, quod duobus modis res et verba Sacramentorum à Christo Domino determinari potuerint; in genere scilicet, et in specie. In genere quidem, si tantum præscripsit assumendum esse aliquod exterius signum; adhibendam nempe rem, ac verba usurpanda, quæ ad significandum instituti Sacramenti finem essent idonea; Ecclesiæ vero contulerit potestatem, ut illa determinatum aliquod signum

eligeret. In specie autem, si ipsemet Christus rem et verba delegerit, ac determinate præceperit, ut iisdem semper uteretur Ecclesia.

2. Notandum est quod omnes Scholæ Doctores admittant, materiam, et formam Baptismi, et Eucharistiæ fuisse à Christo determinatas in specie. Aquam enim esse Baptismi materiam determinavit Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *&c.* ejusdem vero formam Matth. ult. v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris*, *&c.* Ac similiter Eucharistiæ materiam, et formam determinatas à Christo fuisse constat ex Matth. 26. Marci 14. et Lucæ 22. Sed quod Christus non tantum in genere, verum et in specie per seipsum aliorum Sacramentorum omnium res et verba determinaverit, inficiantur aliqui, præsertim dum de materia Confirmationis, et Ordinis disputatur. Hanc et nos opinionem in perdifficili quæstione opinando sectamur.

Propositio 2. Probabile nobis videtur, aliquorum Sacramentorum materias ac formas dumtaxat in genere, non et in specie fuisse à Christo determinatas.

Probatur. Et quod Christus in genere saltem, Sacramentorum omnium materias, formasque determinaverit, inde patet, quod, uti infra dicemus, nullum est Sacramentum, quod institutum ab ipso non fuerit: atqui non potuit intitui, quin simul instituerentur, ac proinde saltem in genere determinarentur essentiales illius partes, quæ quidem aliæ non sunt, quam ipsa materia formaque Sacramenti: ergo.

Quod vero singulorum Sacramentorum materia et forma in specie à Christo determinatæ non fuerint, ita potest probabiliter demonstrari. Nonnullæ res, ac verba in aliquibus Sacramentis adhibentur, quorum nulla mentio in Scripturis ocurrit; imo quæ aut Ecclesia Greca nunquam, aut Latina non semper adhibuit. Ergo ut substantialis Sacramenti veritas in tam diversa Ecclesiæ praxi permanere dicatur, dicendum est pariter, Christum Ecclesiæ permisisse, ut eas Sacramentorum res et verba seligeret, ac determinaret in specie, quas ipsa aptiores esse censeret. Probatur antecedens. Nulla in scripturis habetur mentio unctionis Chrismatis, illorumque verborum: *Signo te signo crucis*, quæ in collatione Sacramenti Confirmationis usurpat Ecclesia. Sacramentum enim illud per solam manuum impositionem, et orationem collatum legimus ab Apostolis Actorum 8. v. 17.

Altum etiam in Scriptura silentium est de instrumentorum porrectione in sacris Ordinationibus, necnon de verbis illis: *Accipe potestatem*, *&c.*: imo nunquam eorum usus extitit apud Græcos; apud Latinos vero, Licet antiquus fuerit, non tamen perpetuus fuit, et constans. Lege Morinum in p. 3. de Sacris Ordinationibus Exercit. 7. c. 1. et Exercit. 9. c. 1.

At objiciunt. Neque ex Scriptura, neque ex Traditione ostendi potest, quod Christus Ecclesiæ potestatem dederit, qua aliquo-

rum Sacramentorum materiam, formamque in specie determinaret: ergo dicendum, quod Christus talem potestatem reipsa non dederit; nam in quæstione facti, et quæ à sola Christi voluntate dependet, nihil absque Dei verbo scripto, vel tradito affirmandum est.

Resp., retorqueri posse argumentum in oppositæ sententiæ Defensores; cum neque ex Scripturis, neque ex Traditione probetur, Christum talem potestatem Ecclesiæ non dedisse. Dum ergo Scriptura aliquorum Sacramentorum materiam formamque non nominat, occasionem nobis opinandi suppeditat, quod Christus illas in specie determinare noluerit; idque ex vario usu materiæ, ac formæ Confirmationis, et Ordinis comprobatur.

Verum instant. Concilium Tridentinum in sess. 21. c. 2. *declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Ecclesia itaque potest quidem Sacramentorum mutare ritus, non vero substantiam: atqui si quorundam Sacramentorum materiam, et formam mutare posset, posset quoque eorum mutare substantiam.

Resp., quod substantia rei salvatur, quousque permanet essentialis materia ejus et forma; quamvis accidentalis materia, formaque varietur. Essentialis vero materia in quibusdam Sacramentis non est hæc, vel illa res sensibilis in specie; sed aliquod sensibile elementum, quod idoneum est ad exprimendum effectum, qui per eadem Sacramenta confertur: unde dum id salvatur, sive per hoc, sive per illud specie signum fiat, rei substantia salvari dicenda est. Sit exemplum. Christus instituit, præcepitque, ut Sacramentum Ordinis per porrectionem manuum conferretur; et hæc est essentialis materia, sine qua Ordinis substantia salvari, et Christi voluntas impleri non posset. Quod autem id fiat sola manuum porrectione, sive impositione, vel porrectione manuum cum instrumento aliquo actum ejusdem Ordinis exprimente, non pertinet ad Sacramenti essentiam sive substantiam, neque Christi voluntati repugnat.

Hic etiam opponunt, quod instrumentorum porrectio sit accidentalis dumtaxat materia Sacri Ordinis, sicut chrisma Confirmationis: at id alibi falsum esse probabitur.

CAPUT III.

An Sacramentorum verba sint p[illegible]issionis, vel concionis, an vero potius consecrationis?

Novatores cum omnem justificandi vim fidei tribuant, consequenter affirmant, quod verba in Sacramentorum confectione prolata perinde se habeant, ac prædicatio Evangelii; nobis nempe gratiam

Christi proponunt, eandemque promittunt, et ad fidem Christi nos excitant; sensibilem vero materiam illam non consecrant, non immutant: sive, ut aliis verbis id exprimi solet, Sacramentorum verba *concionis*, *vel promissionis*, non autem *consecrationis* esse tuentur.

Orthodoxi vero Theologi omnes verba Sacramentorum *consecratoria* esse defendunt; neque eo dumtaxat in sensu, quod iisdem verbis sensibilia elementa, ac symbola de profano usu convertantur in sacrum, uti aliquando fatentur Hæretici; verum etiam, quod efficacia ad productionem gratiæ, ipsorum verborum virtute reddantur. Esto itaque

Propositio. Verba, quæ Sacramentorum formam constituunt, non promissoria, aut concionalia sunt; sed vere, ac proprie sunt consecratoria.

Probatur 1. pars. Verba, quæ præsentem demonstrant effectum, eundemque divina operante virtute producunt, promissoria non sunt juxta sensum ab hæreticis adinventum; promissio enim non est actualis largitio gratiæ, sed est pollicitatio gratiam offerentis. Atqui verba, quibus conficiuntur Sacramenta; uti exempli causa sunt illa: *Ego te baptizo &c.* non exprimunt gratiæ conferendæ pollicitationem; sed demonstrant præsens animæ lavacrum, ejusdemque regenerationem effiiciunt: ergo, &c.

Deinde, idcirco ajunt hæretici, quod Sacramentorum verba solam innuant promissionem, quoniam arbitrantur quod sola fides nos Deo conjungat, atque hujusce conjunctionis Sacramenta nudum sint sigillum, et arrha. Atqui falsum est, solam fidem nos Deo conjungere; cum id potiori jure charitati, ipsorumque Sacramentorum participationi sit tribuendum: unde Joan. 14. v. 23. ait Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Itemque Joan. 6. v. 57. dicit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Non igitur Sacramentorum verba eo in sensu promittunt gratiam, quod hæc soli fidei, non charitati, non observantiæ mandatorum, non ipsorum Sacramentorum virtuti tribuenda sit, uti comminiscuntur hæretici.

Huc accedit, quod promissio gratiæ in sacris litteris non est facta credentibus tantum, sed credentibus qui Sacramenta recipiunt; non enim Marci 16. v. 16. legitur, *Qui crediderit, salvus erit*; sed, *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et si Evangelia alicubi non credentibus minitantur damnationem æternam, ut Joan. 3. v. 36. et 8. v. 24.; æternam quoque pœnam iis præscribunt, qui negligunt Sacramenta: uti de Baptismo præsertim legitur Joan. 3. v. 5., et de Pœnitentia Joan. 20. v. 23. Verba itaque Sacramentorum non ita sunt promissoria gratiæ, ut hanc Deus soli fidei, non vero Sacramentorum virtuti ligaverit.

Probatur 2. pars, quæ speciatim est contra Calvinum. Quidquid

Calvinus effutiat, forma Baptismi sita non est in concione sive institutione Catechumeni, quæ sacræ ablutioni præmittitur, sed in verbis, quæ, dum sacra unda tingimur, proferuntur; nempe, *Ego te baptizo, &c.* Non enim Catholici solum, verum et Calvinus, ejusque gregales hæc verba necessario proferenda esse fatentur; probantque collatum ad hæreticis Baptismum, dummodo verba illa dicantur: hinc iidem Calviniani datum à nobis Baptisma uti ratum admittunt; et tamen concio nostra ab hæreticorum concione valde dissentit. Si ergo in concione, institutione, catechismo Sacramentalis forma consisteret; quemadmodum nos hæreticorum conciones improbamus, et hæretici nostras improbant; ita nos Baptisma hæreticorum rejiceremus, et hæretici nostrum Baptisma rejicerent. Non ergo in concione præmissa Baptismati, sed in iis dumtaxat verbis Sacramentalis forma consistit, *Ego te baptizo, &c.* Hæc autem verba nullam profecto concionem, nullamque catechesim continent; sed significant solum, efficiuntque spiritualem animæ ablutionem: quod pariter de aliorum Sacramentorum forma dicendum est. Nequaquam igitur in concionatoriis verbis locanda est forma, quæ Sacramenta constituit.

Præterea Calviniani *Paedobaptismum* admittunt: atqui nulla necessitas sacræ concionis apparet in baptizandis infantibus; quid enim in illis potest Catechismus efficere, quem vix nati ulla nequeunt ratione percipere? Nam quod hæretici quidem dicere voluerunt, infantes illos credere atque intelligere mysteriorum Baptismi significationem, intus eos Spiritu Christi movente, absurdius est, quam ut sit argumentationibus refellendum; præsertim quia tam mira perceptio nullo fulcitur loco Scripturarum sanctarum, ad quas tantum heterodoxi nos provocant. Quotidiano insuper experimento compertum est, dum sacræ perficiuntur cæremoniæ, puerulos vagitibus, lacrymis, ceterisque indiciis commonstrare, quomodo non dignoscant quid in ipsis salutaris operetur ablutio. Quare S. Augustinus de Peccat. Mer. lib. 1. c. 36. ait: *Illas consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus et Deum prorsus ignorant, cujus Sacramentis etiam cum baptizantur obsistunt.* In parvulorum ergo baptismate non adhibentur concionatoria verba ad excitandam ipsorum fidem; neque etiam ad excitandam fidem adstantium, cum valeat baptismus ille, licet nulli adsint testes, qui Concionantem intelligant.

Postremo, cum Evangelium aperte nos doceat, quod Sacerdotes à peccatis absolvant, ex Calvini doctrina consequitur, eos potestatem aliam non habere, nisi prædicationis et catechismi; ita nimirum, ut animas solvere illi dicantur, quia, ex eodem Calvino in lib. 3. instit. c. 4., *testes Christi, ac sponsores constituti de remissione peccatorum certiores reddunt conscientias.* Atqui tam depravata Scripturarum interpretatio omnino ferenda non est. Quis enim dixerit, quod dum Apostolos allocutus est Christus Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* improprie

sit locutus, et quod dicere potius debuisset, *Quibus praedicaveritis Evangelium, remittentur peccata?* Sacrorum itaque Ministrorum verba, quibus Sacramenta conficiunt, aliam, quam concionis et catechismi vim habent.

Probatur 3. pars, quæ quidem ex dictis manifeste descendit. Si enim Sacramentorum verba non sunt promissoria, neque concionalia eo in sensu, quem confinxerunt hæretici: consecratoria igitur dicenda sunt.

Hanc insuper veritatem Scripturæ evidenter ostendunt, quæ verba, quibus Sacramenta perficiuntur, describunt vel tanquam prolata super symbola, ut in Eucharistia; vel tanquam expressiva spiritualis effectus, ad quem producendum sensibilia symbola adhibentur, ut accidit in Baptismo. Illis ergo verbis consecrantur symbola, sive elementa, et ad efficiendam gratiam elevantur.

Docent id etiam SS. Patres. Ambrosius in lib. 4. de Sacram. c. 4. inquit: *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi, &c.* Augustinus tract. 80. in Joan. n. 3. postquam dixerat, *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat; nisi faciente verbo?* Subjunxit, quod tali verbo *sine dubio ut mundare possit, consecratur et baptismus.* Denique Damascenus in lib. 4. de Fide c. 13. scribit, quod si Dei verbum omnia fecit, *quid tandem afferri potest, quin ex pane corpus suum, ex vino, et aqua sanguinem suum efficere queat?* Sicut igitur Dei Verbum in rerum productione independenter à creaturarum sensu condidit universa; ita in Sacramentis independenter ab audientium perceptione materiam consecrat, perficit, et immutat, gratiamque spiritualem producit ac confert.

Objicies 1. Matth. 28. v. 19. Christus Apostolis ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Ergo juxta Christi mandatum in administratione Baptismatis non alia adhibenda sunt verba, quam concionalia, quibus audientes moveantur ad fidem.

Resp. quod objecto in loco triplicis generis verba commendentur; ea videlicet, quibus Evangelica doctrina ac fide homines imbuuntur; et hæc debent Baptisma præcedere: qui enim rationis usu pollet, nisi credat, mancipari non potest Christo, qui neminem in sui cultum compellit invitum. Deinde ea verba ponuntur, quibus consecratur Baptismus, expressa scilicet invocatio SS. Trinitatis. Tum illa subduntur, quibus initiati inflammantur ad observantiam mandatorum, sine quibus æternam vitam minime consequentur. Prioris generis verba sunt concionatoria, expressa præcepto Domini, *Docete omnes gentes*: altera sunt consecratoria, determinata in sequentibus, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Postremo hortatoria sunt, ac mandata observanda esse præscribunt; nempe, *Docentes eos servare omnia, &c.* Lege Hieronymum in

hunc locum. Sicut ergo fatentur hæretici, quod verba quæ præcipiunt observantiam mandatorum, ad constitutionem Sacramenti non pertinent, sed ipsum ordine consequuntur; ita fateri quoque debent, quod verba quæ fidei rudimenta tradunt, cum baptisma præcedant, ad illud tamquam forma non spectant, sed tanquam dispositio necessario requisita, ut adulti cum fructu suscipiant Sacramentum. Nemini enim licet ad Baptismum accedere, nisi ei prius fidei mysteria exponantur; nempe de Deo Trino, et Uno, de Verbo Incarnato, de redemptione generis humani, de remissione peccatorum, de justitia et æterna beatitudine obtinenda per Christum. Denique quod concio isthæc uti essentialis pars Baptismum non constituat, inde etiam demonstratur, quod dum de Baptismi valore dubium exortum est, non quæsiverunt Ecclesiæ Patres, an habita fuisset concio, vel facta promissio; sed, utrum in aqua verbisque Evangelicis fuisset à Ministro collatus.

Objicies 2. S. Ambrosius in lib. de Mysteriis c. 3. n. 14. scribit: *Aqua enim sine praedicatione Dominicae Crucis ad nullos usus futurae salutis est: cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri, et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est, Prophetas; ita et in hunc fontem Sacerdos praedicationem Dominicae Crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam.* Verba igitur, quibus consecratur aqua Baptismatis, sunt prædicationes mysteriorum Crucis, sive Christianæ sunt fidei conciones.

Resp., quod eo loco Ambrosius sermonem instituat non de verbis, quibus Baptisma confertur, sed de benedictione aquæ fontisque baptismalis: sicuti verba illa demonstrant: *Cum vere salutaris, &c.* Neque obstat, quod aqua etiam sine benedictione esse possit Baptismi materia; Ambrosius vero scribat, aquam sine prædicatione Dominicæ Crucis nullum salutis usum habere; quippe S. Antistes de jure et validitate non loquitur, sed de Ecclesiastica consuetudine et usu, uti Benedictini Patres in suis adnotationibus observarunt. Ceterum hoc eodem in capite S. Doctor non fidei tantum, sed ipsi elemento verbis Evangelicis consecrato vim sanctificationis inesse fatetur; et in sequenti cap. num. 20. ostendens, quod fides sine aqua non mundet, ait: *Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire*; concluditque in num. sequenti: *Crede ergo, quia non sunt vacuae aquae.*

Objicies 3. S. Augustinus tract. 80. in Joan. n. 3. loquens de verbo, quo in Baptismo mundamur, inquit: *Unde ita tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Atqui verbum quod mun-

dat, quia creditur, proculdubio verbum est concionis, quod fidem excitat, et excitando nos mundat. Hinc paucis interjectis adjungit S. Doctor: *Hoc est verbum fidei quod praedicamus, ait Apostolus, quia si confessus fuerit in ore tuo, quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Verbum itaque quod nos mundat in aqua, est verbum fidei, quod prædicabant Apostoli, et de quo loquitur S. Paulus ad Rom. 10. v. 8. Atqui hujuscemodi verbum concionis est ac doctrinæ, eo unice tendens, ut excitet fidem, per quam justitia comparatur. Denique subdit Augustinus: *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus.* Vide contextum.

Resp. Augustinum citato in testimonio non obscure sententiam nostram docere, et hæreticos expugnare. Post enim adducta verba subjungit: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem; quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem.* Ergo *hoc verbum fidei* mundat, etiamsi fidem non excitet; ergo non est verbum *concionatorium*, ut arbitrantur hæretici; quia concionatorium verbum, nisi credatur, nullum producit effectum. Deinde eodem in loco Augustinus affirmat verbum accedere ad elementum, tribuere aquæ vim mundandi, consecrare Baptismum, et ejuscemodi alia, quæ profecto non simplicem verbi prædicationem, solamque concionem important. Denique in lib. 3. de Bapt. c. 15. ait: *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.*

Dum itaque in objecto textu asserit Augustinus, verbum in Baptismo mundare, *non quia dicitur, sed quia creditur*, non actualem fidem, concionemque in Baptismo requirit; sed dumtaxat ostendit, quod verbum vim mundandi non habeat præcise *secundum exteriorem sonum vocis*, sed *secundum sensum verborum, qui fide tenetur*; uti bene scribit Doctor Angel. in p. 3. q. 60. a. 7. ad 1. Hinc ipse Augustinus post verba illa, *non quia dicitur, sed quia creditur*, protinus addit: *Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud sensus manens.* Mundat ergo sacramentale verbum, quia creditur non *actu*, et *formaliter*, quasi quod nisi excitetur in suscipiente fides, Baptisma sit irritum; sed quia creditur *objective*; per invocationem nempe SS. Trinitatis, quæ objectum est fidei.

Verbum denique quod in aqua mundat, dicitur esse illud, quod *praedicarunt* Apostoli, non quia *concionale* sit juxta sensum hæreticorum; eo enim *consecratur baptismus*; sed quia Apostoli verbi illius efficaciam, virtutemque annuntiare, et exponere studue-

runt; vel potius quia verba, quibus Baptisma confertur, summam Evangelicæ prædicationis includunt, exprimuntque fidei Christianæ mysteria. Demonstrat enim Augustinus in lib. 6. de Bapt. c. 25. in his Evangelicis verbis, *In nomine Patris, &c.* contineri Symbolum Apostolicum, quod tribus constat partibus, de Patre, Filio, et Spiritu Sancto pertractans. *Ceterum*, ait ille, *quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* subdique, *baptismum Christi verbis evangelicis consecratum, ubique eundem esse, nec hominum quorumlibet, et qualibet perversitate violari.*

Postremo reponimus cum Tournely, recte Augustinum in objecto testimonio observasse, quod dixerit Christus Joan. 15. *Vos mundi estis propter verbum*, et non dixerit, *mundi estis propter baptismum*; quia in omni mundatione, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum fiat, mundandi vis à verbo semper habetur. Si enim mundatio extra usum Sacramenti obtinetur, oportet actualem fidem adesse: *fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Christi*: Rom. 10. v. 17. Si vero mundatio in Sacramento perficitur, necesse est, ut verbum consecrationis ad elementum accedat. Quia igitur S. Doctor in tract. illo universim loquitur de omni verbo, per quod fit mundatio; idcirco promiscue argumenta, et testimonia Scripturæ proponit, quibus mundatio tum sacramentali et consecratorio, tum concionali verbo tribuitur. Nec tamen ulla in verbis S. Doctoris ambiguitas, et æquivocatio est; tam enim distincti, diversique sunt characteres utriusque verbi, ut in expositione illa nemini prorsus errandi occurrat occasio.

CAPUT IV.

Ubi nonnulla circa materiam, formamque Sacramentorum dubia diluuntur.

Quædam hic Theologi dubia circa Sacramentorum materiam ac formam movent, diluuntque, quibus illorum dignitas clarius innotescit, et administratio sanctius exercetur. Sit itaque primum dubium, an, et quæ mutatio materiæ, vel formæ irritum reddat Sacramentum:

Resp. apud Theologos omnes generalem, certamque regulam esse, quod substantialis mutatio materiæ, vel formæ Sacramentum reddat invalidum; accidentalis vero mutatio Sacramentorum valori non obstet. Substantialis autem mutatio materiæ tunc contingit, quum vel quoad physicam sui speciem, vel quoad humanum communemque usum eadem ipsa non remanet. Baptizet, v. g. quis in vino, aut in aqua ex floribus expressa, aut in alio quocunque liquore, qui non sit vera, naturalis, et elementaris aqua; mutat ille physicam speciem materiæ Sacramenti Baptismatis, nec consequenter vere baptizat. Tum, quia Sacramenta materiam habent, quæ sen-

sibile signum est spiritualis effectus; aliquando censenda est materia substantialiter immutari, quando, physica etiam remanente natura, omnino signi rationem amittit; quod tunc contingit, quando ad communem usum non possumus eandem adhibere. Ita glacies, licet sit naturalis aqua frigore condensata, Baptismi tamen materia esse non potest, quia caret symbolo ablutionis internæ, cum ad sensibilem externam ablutionem glacie non utamur. Et ob eandem rationem massa nondum cocta Eucharistiæ materia nequit esse, cum illam homines ad nutritionem adhibere non soleant.

Ex quibus apparet, accidentalem tantummodo esse materiæ mutationem, quando et physica ejus species perseverat, et ratio signi sensibilis, quæ ex communi usu cognoscitur, non aufertur. Hinc in aqua calida vel frigida, maris vel fontis, benedicta vel non benedicta, rite Baptisma confertur; et in azymo vel fermentato pane valide Eucharistia perficitur.

Eadem ratione substantialiter Sacramentorum forma mutatur, quotiescunque legitimus, et quem ex communi usu habent, verborum sensus amittitur: accidentaliter autem mutari tunc dicitur, quando eodem permanente sensu, verba proferuntur paululum immutata: quod infra clarius exponetur.

Dicendum est itaque cassum irritumque fieri Sacramentum, dum substantialis mutatio materiæ, vel formæ contigerit. Quotiescunque enim ritus à Christo in Sacramentis institutus, nobisque præscriptus, substantialiter variatur, ipsa quoque Sacramenti substantia varietur oportet; atque ita cassum illud irritumque reddetur: nam Sacramenta non nisi ex Christi institutione signa sunt gratiæ. Atqui dum materia, formaque Sacramentorum substantialiter variantur, substantialiter variatur etiam ritus, quem Christus instituit, præscripsitque: ergo, &c.

Accidentalis vero mutatio non facit irritum Sacramentum, cum tunc illud rebus, verbisque perficiatur à Christo institutis. Hinc uti legitur in cap. *Retulerunt* de Consecr. Dist. 4. num. 86. cum quidam latinæ linguæ imperitus sub hac forma baptizasset, *In nomine Patria, Filia, et Spiritu Sancta*; censuit Zacharias R. P. sic baptizatum non esse iterum baptizandum. Et S. Augustinus in lib. 6. de Baptismo c. 25. scribit, sanctificari baptismatis aquam, *cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit.* Præterea nunquam Romana Ecclesia repudiavit Sacramenta à Græcis collata verbis, quæ à forma à nobis usurpata accidentaliter discrepant.

Observandum autem hic est, quod si integra permanente Sacramentali forma verba alia adderentur, quibus præcedentium sensus immutaretur; non accidentalis, sed substantialis mutatio esset, ideoque Sacramentum invalidum redderetur. Ita si quis Basilidis, aut Marcionis imbutus errore hisce verbis azymum consecraret: *Hoc est corpus meum, quod äerium, et umbraticum est*, nefario hoc additamento perverteret significationem, quam præfert vocabulum

illud *corpus.* Idem asserendum est, si Arii, aut Macedonii infectus hæresi baptismi formam hac impietate proferret: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, qui alterius sunt à Patre substantiae*: hæc enim postrema verba præfracte id negant quod Filii, ac Spiritus Sancti nomina indicant, verbisque Evangelicis pravum sensum affigunt. Atque hoc pacto additio quælibet pravam intelligentiam præcedentium verborum inducens, nullum reddit ac irritum Sacramentum.

Item substantialis censenda est formæ mutatio, dum ita transferuntur verba, ut sensum formæ corrumpant. Hinc si quis hisce verbis in Baptismo uteretur: *Filii ego te baptizo in nomine Patris, et Spiritu Sancti*, prorsus invalide baptizaret. Accidentalis autem mutatio esset, et Baptisma valeret, si quis ita formam efferret: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ego baptizo te*; nam ejuscemodi transpositio sensum verborum Christi non mutat.

Tum si in Sacramentorum collatione tamdiu interrumpantur verba, ut ex communi judicio non censeatur esse una eademque moralis actio, sive locutio, et varietur pronunciantis intentio; tunc verborum sensus tollitur, et contingit substantialis mutatio formæ, et non perficitur Sacramentum. Uti si quis post illa verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Horas Canonicas recitaret, ac deinde ad prius ministerium revertens adjungeret, *Filii, et Spiritus Sancti.* Si vero interruptio parva esset, ac moraliter conseretur, quod Minister locutionem prosequi intendisset; tunc sensus formæ persisteret, validumque fieret Sacramentum.

Substantialiter etiam tunc forma mutatur, quando omittitur verbum aliquod, quod ad integritatem sensus necessarium judicatur. Ut si quis baptizans unam ex personis SS. Trinitatis omitteret, vel diceret: *Ego baptizo in nomine Patris*, non exprimendo te, vel baptizandi nomen, ut faciunt Græci. Quod si verbum aliquod omittatur, quod non sit de substantia formæ, talis omissio sicuti verborum sensum non tollit, ita Sacramentorum perfectioni non officit. Ut si quis in proferenda Eucharistiæ forma, *Hoc est enim corpus meum*, prætermitteret illud *enim.*

Præterea substantialis formæ mutatio contingere aliquando potest non tantum per verborum, sed et per syllabarum, imo et per unius litteræ variationem; ut si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Matris, Filii, et Spiritus Sancti.* Plerumque enim fit, ut littera, quæ in dictionis initio variatur, formæ sensum tollat, ut patet in exemplo mox allato; quæ vero variatur in fine, ipsum *per se* non tollit, sed tantum ex proferentis intentione: nam ex communi usu voces, in quibus ultima tantum littera mutatur, perinde sumuntur, ac si ejuscemodi mutatio minime contigisset. Lege S. Thomam in p. 3. q. 60. a. 7. ad 3. Huc facit, quod laudatus supra Zacharias Papa, ut habetur in c. *Retulerunt* de Consecr. d. 4., loquens de Baptismo sub ea forma collato: *In nomi-*

ne Patria, Filia, et Spiritu Sancta, inquit: *Si ille qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.* Ut vero hæc clariora reddantur, sit

Dubium 2. An cassus semper Sacramenti valor evadat, dum forma eo fine corrumpitur, ut aliqua hæresis inducatur?

Resp., quod nullo interiori errore, quicunque sit ille, violetur veritas Sacramenti, quod ritu legitimo celebratur; non enim ad Sacramenti valorem fides Ministri requiritur, neque verborum sensus ex mentali proferentis intentione, sed ex communi usu dependet. Unde S. Augustinus in lib. 4. de Bapt. c. 15. scribit: *Jam satis ostendimus, ad baptismum, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel recipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam coelestis doctrina insinuat.* Hinc profecto valebat datum ab Arianis illis Baptisma, qui Evangelicis verbis utebantur; esto animo crederent, Filium diversam à Patre habere substantiam. Ita quoque irritum Baptisma non erat per trinam immersionem collatum à quibusdam Hispanis, quamvis (uti scribit Gregorius Magnus ad Leandrum Hispalensem Episcopum) illam adhiberent, ut profiterentur suum de triplici substantia in divinis errorem.

Validum est etiam Sacramentum, si Minister exterius ita suum manifestat errorem, ut hic debitum sensum formæ non tollat, aut formam non afficiat, et in eam minime refundatur. Tunc enim intacta relinquitur ipsa formæ substantia, quæ in verborum sensu consistit; qui quidem sensus, ut superius dictum est, non ex privata Ministri intentione, sed ex publico hominum instituto, et ex Ecclesiæ usu desumitur. Ita valide consecraret, qui post hæc verba: *Hoc est corpus meum*, Calvinistarum errorem adjungeret, diceretque: *Et illud in Coelis ad dexteram Patris positum adoramus, cujus figuram tantum in terris nobis praebet*: Si tamen additionem istam non quasi partem formæ sacramentalis apponere intenderet, sed ut errorem suum aliis proderet, eosque ad idem sentiendum induceret.

Denique, si ex corruptione formæ verborum sensus aut aperte corrumpatur, aut saltem reddatur ambiguus, ex perversa intentione Ministri volentis errorem vel hæresim inducere, ambiguus sensus ad pravum sensum determinatur et tunc substantialis corruptio evenire censetur, cum qua Sacramenti substantia non persistit. Ita, ut superius adducta illustremus exempla, cum quis Baptisma conferret in nomine Matris, Filii, et Spiritus Sancti, esset manifesta corruptio, et aperte contraria sensui, quem Christi verba portendunt. Si quis autem baptizaret in nomine Patria, Filia, et Spiritu Sancta, sensus tunc esset ambiguus: proindeque si ex circumstantiis, et ex audientium judicio corruptio ista contingeret ob la-

tini sermonis inscitiam, vel ob linguæ defectum, accidentalis mutatio esset; si vero ex intentione inducendi errorem vel hæresim oriretur, quasi quod feminei sexus aliqua foret in Deo persona, essentialis esset corruptio, quæ compati non posset cum sensu verborum, quibus Christus Baptisma conferri mandavit: atque id est quod in responsione sua Zacharias asseruit. Legi hac de re potest S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 1. a. 2. q. 3.

Dubium 3. An vetita sit quæcunque materiæ vel formæ mutatio in Sacramentis?

Resp., quod qui ex industria, aut crassa negligentia materiam, vel formam ita mutaret, ut irritum redderet Sacramentorum, gravissimo se sacrilegii crimine macularet; quia maximam irrogaret injuriam Deo Sacramentorum auctori, cujus institutionem, legemque contemneret; gravem etiam inferret injuriam suscipienti, qui Sacramenti fructu careret.

Lethaliter etiam peccaret, qui quacunque materiæ, vel formæ mutatione novos ritus, aut errores ab Ecclesia reprobatos inducere moliretur, aut ritus ab Ecclesia in Sacramentorum administratione præscriptos temere præteriret. Quare Synodus Tridentina in sess. 7. can. 13. definivit: *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Sed hac de re infra prolixius disseretur.

Notabilis ergo mutatio, quamvis substantiam materiæ vel formæ non variet, à lethali crimine non excusat illum, qui Sacramenta *ex officio* administrat. Neque excusare eum potest ignorantia juris, quia quæcunque necessaria ad officium, munusque suum rite obeundum scire tenetur. Excusari tamen à mortali culpa posset laicus, qui in necessitate baptizans, circa materiam, vel formam aliquo modo deficeret.

Hinc gravis culpæ reus esset Sacerdos Latinus, qui Grecorum more sub hac forma Baptisma conferret: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: cum Concilium Florentinum in Decreto Unionis injunxerit, ut quisque Minister, sive Latinus, sive Græcus, suæ Ecclesiæ ritus observet.

Peccaret quoque lethaliter Sacerdos Latinus, qui in solemni Baptismi administratione formam ejus alio idiomate, quam latino proferret. Quidquid enim Protestantes asserant, Sacramentorum formæ non sunt proferendæ secundum uniuscujusque idioma; sed mos et usus Latinæ ecclesiæ servandus est, quæ latino idiomate Sacramentorum formas ennunciat. Si tamen Minister *necessitatis* sit, et latinam linguam ignoret, uti sunt obstetrices; potest, imo satius est, ut in patria lingua Baptismi verba pronunciet. Eadem denique ratione peccaret Latinus Sacerdos, qui in fermentato pane, uti Græci faciunt, consecraret.

Dubium 4. An liceat in Sacramentorum collatione materiam formamque dubiam usurpare?

Resp. 1., quod si urgeat extrema necessitas, liceat uti materia, ac forma dubia ad confectionem Sacramentorum, quæ ad justificationem necessaria sunt, necessitate medii. Vult enim Christus præ summa erga homines charitate, ut illorum saluti etiam cum suorum Sacramentorum periculo consulatur, quando alio eis medio auxilium ferri non potest: non enim hominem propter Sacramenta, sed Sacramenta propter hominem instituit. Qua sane ratione permotus Augustinus in lib. 1. de Adulterinis conjugiis c. 28. ait, dandum esse Baptismum, et Pœnitentiæ reconciliationem homini jam morituro, nec pro se respondere valenti; quamvis ob anteactam ejus malam vitam dubium adsit, an sit rite dispositus: *nec ipsos enim*, inquit S. Doctor, *sine arrha suae pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Hinc sacri quoque Canones, Pœnitentiæ Ministris injungunt, ut cuilibet Fideli in extremis posito, et reconciliationem vel voce, vel signo aliquo postulanti, absolutionis beneficium conferatur, quamvis contritionem suam nullis probaverit pietatis operibus; ac proinde quamvis maxime dubium sit, an adsit necessaria Sacramenti materia.

Resp. 2., quod extra casum necessitatis extremæ non liceat dubiam materiam usurpare vel formam in iis etiam Sacramentis, quæ necessitate medii necessaria sunt ad salutem. Constat id ex regula, quam tradidit Augustinus in lib. 1. de Bapt. c. 3. ubi de eo, qui certus esset, Baptismum apud Catholicos recte accipi, esset autem dubius, an apud Donatistas recte acciperetur, affirmat, quod *graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta praeponeret.* Imo quanquam probabile esset, materiam aliquam vel formam ad essentiam Sacramenti valere; illam extra necessitatis casum usurpare non posset, in concursu probabilioris, ac tutioris: quia tunc speculativa quidem, non tamen practica probabilitas haberetur, ita ut eas extra casum necessitatis adhibere liceret, maxime post decretum Innocentii XI. qui anno 1679. sequentem proscripsit propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Resp. 3. In aliis à Baptismo et Pœnitentia Sacramentis uti non licet dubia materia vel forma, quamvis instet extrema necessitas. In iis enim Sacramentis dubia materia vel forma uti possumus, extrema necessitate premente, quæ si non conferantur, hominis anima periculo æternæ damnationis exponitur; cum eo in casu permittat Christus, ut potius Sacramentum suum in discrimen veniat, quam ut anima tali tantoque periculo exponatur. Atqui excepto Baptismo, ac Pœnitentia, si reliqua Sacramenta non conferantur,

cum necessaria non sint necessitate medii, anima non exponitur periculo damnationis æternæ: ergo, &c. Hinc aperte consequitur, non licere Presbytero hostiam consecrare, de qua prudenter dubitat, an sit verus panis; quamvis id efficeret, ut Christi Corpus homini jamjam morituro præberet: neque licere uti liquore, de quo prudenter dubitat, an sit verum oleum, ut hominem extremo morbo laborantem inungat.

Dubium 5. Quotuplex est Sacramentorum forma, et quid speciatim de forma conditionali dicendum occurrit?

Resp., Sacramentalem formam aliam absolutam esse, aliam vero conditionalem; prior sine ulla conditione profertur, ut si dicas: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Posterior conditionem includit, ut si dicas: *Si non est baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

Affirmant præclari Theologi, quod antiquis temporibus ad octavum usque sæculum conditionalis forma fuerit penitus inaudita, idque sequentibus præsertim argumentis ostendunt. I. Exorta sæculo 3. quæstione, an valeret Baptismus per aspersionem collatus Clinicis, iis nempe, qui in lecto decumbunt, S. Cyprianus in epist. 76. alias 69. ad Magnum ait, se quidem existimare Clinicos istos divinam gratiam consecutos; verum adjungit, *si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes, et vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur.* Ubi, ut liquet, nulla conditionalis forma præscribitur.

Deinde cum Cæciliani Carthaginensis Episcopi Ordinatio in dubium vocata fuisset ab auctoribus schismatis Donatistarum, eo prætextu, quod illam accepisset à Felice Aptungitano sacrorum Codicum traditore; Cæcilianus alteri Ordinationi, quasi prior fuisset invalida, se paratum exhibuit, nulla prorsus facta conditionis mentione. Ita refert Optatus in lib. 1. de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum.

Ad hæc, Gregorius Magnus in epist. 32. nunc 17. libri 14. ad Felicem Messanensem Episcopum ait: *Hoc vos rite tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus: id est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiae consecratae sint; ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiae canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.* Ubi profecto SS. Pontifex conditionis apponendæ non meminit.

Eadem quoque Gregorius II. Christi anno 726. scripsit ad nonam Consultationem S. Bonifacii, extatque Gregorii definitio in dist. 4. de Consecr. c. *Parvulos.* Ex his ergo momentis, aliisque, quæ apud Tournely, Gotti, Berti, pluresque Theologos leges, aperte

concluditur, conditionalem formam fuisse ad plura sæcula incompertam. Si enim octavo ineunte sæculo, aut elapsis tunc temporibus obtinuisset illa formula, ejus utique mentionem fecissent aliquam, qui de conferendo baptismate in casu dubii propriam protulere sententiam. At hi, summa licet eruditione conspicui, ac suprema in Ecclesiis auctoritate præditi, de hac quæstione interrogati conditionalis formæ nullatenus meminerunt.

Octavo postmodum vertente sæculo primum occurrit mentio baptizandi sub conditione, uti constat ex Capitularibus Caroli Magni, quæ ab Ansegiso Abbate collecta fuerunt anno 807. In his enim lib. 6. n. 181. legitur: *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur: his tamen verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Tum Alexander III. sæculo 12. eandem formulam approbavit, ut patet ex ejus rescripto, quod legitur cap. *De quibus*, Extra. de Baptismo n. 2. in quo præscribitur, baptizandos eos de quibus dubium est, an fuerint baptizati, verbis hisce præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.*

Nihilo tamen minus neque octavo, neque duodecimo sæculo, etiam post Alexandri III. decretum, usus conditionalis formæ ubique plane receptus, ac confirmatus fuisse videtur. Nam vivente adhuc Alexandro III. et etiam post ejus obitum, multi (quibus haud dubie Pontificia Decretalis non innotuerat) oppositum censuerunt, ut Petrus Lombardus in lib. 4. Sent. d. 6. ejusque discipulus Petrus Pictaviensis Commentario in illum Lombardi textum, et Petrus Cantor in summa MSS. folio 156. ubi narrat excitatam tunc temporis inter Doctores Parisienses præsentem controversiam, contendentibus aliis sub conditione, aliis vero, quibus ipse suffragatur, absolute in dubio conferendum esse Baptismum.

Tunc ergo communiter in Occidentali Ecclesia recepta fuit conditionalis forma, quum Gregorius IX. sæculo 13. Jus Canonicum promulgavit, in quo lib. 3. cap. 2. reperitur præcitatum Alexandri rescriptum ad Pontium Claromontanum Episcopum, uti nonnulli conjectant.

Hic insuper observandum est, quod usque ad Concilium Tridentinum conditionalis formæ usus in iis dumtaxat Sacramentis invaluisse videtur, quæ imprimunt characterem; at postmodum in Sacramentis etiam, quæ iterari possunt, ejuscemodi usus invaluit. Nostris namque temporibus, si quis subito morbo correptus, nec voce nec signo peccata, animique dolorem manifestare potest, sub conditione ei absolutio sacramentalis impenditur: nam et Clemens VIII. referente Homobono in Examine Ecclesiastico p. 1. tract. 7. c. 18. q. 84. labentem è fabrica Templi Vaticani hisce verbis ab-

solvit: *Si es capax, absolvo te, &c.* Item cum Minister ob mentis evagationem, aut ob alias causas non est certus, quod absolutionis, vel consecrationis verba protulerit, potest conditionalem formulam usurpare.

Postremo notamus, quod Sacramentum sub conditione iterari non debet, nisi prudens dubium adsit, ac diligens præmittatur examen. Quamvis et illud verum sit, in Sacramentis, quæ non imprimunt characterem, tanto examine opus non esse, ut conditionalis forma adhibeatur, quanto in iis, quæ ex sese iterari non possunt: nam in Pœnitentia minus dubium, dummodo probabile sit ac fundatum, sufficit, ut sub conditione formula replicetur. Sed hac de re fusius agunt moralis disciplinæ Doctores.

CAPUT V.

Num in statu innocentis naturae Sacramenta aliqua fuerint, aut futura fuissent, si diutius ille durasset?

Hucusque Sacramentorum essentiam explicare studuimus, nunc de eorundem existentia disseremus. Cum vero genus humanum in quadruplici statu considerari possit, innocentiæ scilicet, legis naturæ, legis scriptæ, ac denique legis Evangelicæ; idcirco primo hic loco quærimus, num in priori innocentis naturæ statu Sacramenta quædam extiterint, vel saltem, perseverante Adamo, extitura fuissent.

Propositio 1. Sacramenta, prout signa sunt gratiæ, in statu innocentiæ non repugnant. Ita tum alii sentiunt, tum præsertim Alexander Alensis in p. 4. q. 1. membro 2. a. 1.

Probatur. Homo non tantum anima, sed et corpore constat: ergo in quocunque statu potest per corporalia signa in spiritualium rerum devenire notitiam. Unde S. Augustinus in lib. 8. de Genesi ad lit. c. 4. scribit: *Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter praesentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem Sacramentum.* Et ibidem c. 5. ait, *potuisse per lignum, idest per corpoream creaturam, tanquam Sacramento quodam, significari sapientiam in paradiso corporali.*

Imo neque cum innocentiæ statu repugnant Sacramenta, prout sunt practica gratiæ signa, et eandem efficiunt. Nam quamvis nullo tunc existente peccato, medicinali ac sanante gratia opus homini non fuisset; potuisset tamen ei talis gratia per Sacramenta conferri, quæ pristinam gratiam foveret, vel ejusdem etiam tribueret incrementum. Et sane nulla imperfectio est, quod homo non tantum ex proprio merito et actione, verum et ex sensibilis alicujus signi applicatione gratiam assequatur.

Propositio 2. Est prorsus incertum, num in innocentiæ statu

reipsa Sacramenta quædam extiterint; incertumque pariter est, num extitura fuissent, si felix ille status diutius perdurasset.

Probatur. Et primo quidem ea, quæ à solo Dei dependent arbitrio ut instituantur, vel non instituantur, perperam quis affirmabit instituta, vel non instituta fuisse, nisi aliquod hac de re in Scriptura, vel Traditione testimonium habeatur: cum ergo nullum nobis Scriptura, ac Traditio suppeditet argumentum institutionis, vel non institutionis Sacramentorum in innocentiæ statu, incertum esse dicendum est, &c. Id autem clarius ex sequentibus apparebit.

Hac etiam ratione pars secunda propositionis hujusce facile demonstratur. Quanquam enim Sacramentorum institutio nihil in se habeat, quod cum perfectione innocentis naturæ repugnet, uti superius dictum est; inde tamen certo inferre non possumus futurum ut Deus Sacramenta eo in statu instituisset, si prolixius ille durasset: neque enim Deus id semper agit, quod nobis congruum magis, meliusque videtur. Lege quæ diximus in lib 10. c. 12.

Objices 1. contra 1. propos. Perfectissimus innocentiæ status expostulat, ut superiora ab inferioribus nullo modo dependeant: ergo repugnat, quod eo in statu spiritualis anima vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam perficiatur per sensibilia signa, cujusmodi sunt Sacramenta.

Resp., pugnare utique cum innocentiæ statu sensuum rebellionem, et corporalium rerum imagines, quæ pertrahant in errorem, non autem sensibilia signa, quæ animam corporis insitam in cognitionem spiritualium rerum adducant. Ea enim est hominis tum innocentis tum lapsi natura, ut ex rebus sensu perceptis in notitiam intelligibilium rerum assurgat: quare poterant in innocentiæ statu institui Sacramenta tanquam externa signa, quæ hominem ad cogitandas res spirituales per ea significatas excitarent, et ad easdem intelligendas instruerent. Hinc et de innocente homine dici potest, quod de lapso dicit Chrysostomus hom. 83. in Matth. et hom. 60. ad Populum Antiochenum: *Si incorporeus esses, nuda et incorporea dedisset tibi Deus dona; sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi praebet.*

Sicut igitur innocentiæ statui minime adversatur, quod homo phantasmatibus ad plurium objectorum scientiam indigeret, egeretque corporeis cibis ad vitam alendam: ita neque eidem statui opponitur, quod volente Deo, homo per sensibilia signa adjutus spiritualia objecta cognosceret. Ac tandem sicuti contra dignitatem innocentis naturæ non fuit, quod in signum subjectionis et obedientiæ Deus homini usum ligni scientiæ boni, et mali vetaret; ita pariter contra ejusdem status dignitatem non fuisset, si propter obedientiæ meritum, humilisque subjectionis testimonium, voluisset Deus, quod homo ad sanctificantis gratiæ conservationem, vel augmentum signis sensibilibus uteretur. Neque tunc proprie subjectus inferioribus rebus ac sensibilibus signis homo fuisset, sed Deo tantum,

qui eorumdem signorum usum pro supremo suo dominio imperasset. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 1. p. 1. dub. 8.

Objicies 2. contra 2. propos. Plura sunt momenta; ex quibus pro certo colligitur, Sacramenta in statu innocentiæ minime extitisse. Et 1. Sacramenta signa sunt in religione stabilia ac permanentia: non ergo locum habuerunt in eo statu, qui brevissimo tempore perduravit.

2. Nos duplici ex capite Sacramentis egemus; scilicet ut curemur, et ut erudiamur: atqui Adam ex neutro capite Sacramentis indiguit. Probatur. Non ut curaretur, quia non erat infirmus: Ut autem Christus ait Matth. 9. v. 12. *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus.* Neque ut erudiretur, quia spiritualium, et supernaturalium rerum cognitionem non ex sensibilibus, sed à Deo per species immediate ipsi infusas acceperat.

Postremo Sacramenta vel ad gratiam recipiendam, vel ad servandam, vel ad augendam instituuntur: in statu autem originalis justitiæ jam gratia absque ullo Sacramentorum adminiculo collata fuerat. Tunc etiam nil homines fuissent passi noxiæ cupiditatis, sensuumque luctaminis; ideoque potuissent absque sensibilibus elementis acceptam custodire justitiam. In hac quoque proficere potuissent, sicut Angeli sancti, per liberum arbitrium perseverando, fecerunt.

Resp. ad 1., innocentiæ statum non fuisse quidem diuturnum ac permanentem ob liberam primi hominis prævaricationem; ea tamen adminicula habere potuisse, quæ statui diuturno ac permanenti conveniunt: quemadmodum in eo ad servandam corpoream vitam salubris ligni alimenta minime defuerant; etsi transgressor homo eisdem privari meruerit.

Ad 2. et 3. Concedimus certum esse, quod Sacramenta in statu innocentiæ instituta non fuerint ad peccati medelam, neque vim habuerint conferendi gratiam intuitu passionis D. N. Jesu Christi. At incertum esse defendimus, num Sacramenta ad eruditionem, sive ad experimentalem spiritualium rerum cognitionem, et ad gratiæ efficientiam fuerint instituta. Nam etsi sine ullo Sacramentorum adminiculo originalem justitiam ac primam gratiam primus homo receperit, et licet fuerit noxia cupiditate prorsus immunis; potuit tamen per sensibilia signa uberiorem gratiam adipisci, qua facilius originalem justitiam custodiret, et in virtute ac sanctitate proficeret. Id autem num ita contigerit, latet omnino, Scriptura ac Traditione silentibus.

Neque de Angelo, et de primo homine eadem ratio est, dum sermo de Sacramentis habetur. Ille enim spiritualis cum sit, nec animum habeat insertum carni, non debuit spiritaliter vivere mysteriis intelligibilium rerum corporaliter præsentatis; quod de homine etiam innocente in supracitato loco S. Augustinus affirmat.

Objicies 3. Ambiguum non esse videtur, quod Sacramenta reip-

sa in statu innocentiæ fuerint instituta. Eo enim in statu Adam inter, et Evam verum extitit matrimonium: atqui matrimonium est verum ac proprium Sacramentum.

Deinde S. Augustinus in lib. 8. de Gen. ad lit. c. 4. in ligno vitæ Sacramenti rationem agnoscit. Et ibidem c. 5. necnon in lib. 11. c. 40. scribit, lignum illud non solum fuisse invisibilis sapientiæ visibile Sacramentum, verum et invisibili virtute immortalitatem primo homini contulisse. Atqui immortalitas primi hominis erat gratiæ donum: non naturalis ejusdem conditio. Ergo lignum vitæ et fuit corporale signum rei sacræ, et donum gratiæ contulit: quod munus est veri ac proprii Sacramenti.

Resp. ad 1. cum S. Thoma in p. 3. q. 61. ad 3. "quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ non secundum quod est Sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ: ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, et Ecclesiam, et omnia alia in figura Christi præcesserunt."

Itaque matrimonium in lege dumtaxat Evangelica ad Sacramenti dignitatem à Christo Domino evectum est. In innocentiæ autem statu institutum non fuit, ut per illud homines sanctificarentur, sed ut multiplicarentur; et idcirco non erat Sacramentum, nisi lato dumtaxat in sensu, quatenus *mysterium* præsignabat, Christi scilicet et Ecclesiæ unionem.

Juxta hanc etiam ampliorem significationem S. Augustinus lignum vitæ Sacramentum appellat, quia nempe rem designabat arcanam. Docet enim in ligno vitæ præfiguratum fuisse Christum, qui vera Sapientia est; sicuti præmonstratus etiam fuit in petra, de qua aquæ fluxerunt. *Erat ergo*, ait S. Doctor, *et lignum vitae, quemadmodum petra Christus*; *nec sine mysteriis rerum spiritualium, &c.* uti in 1. propositione leguntur. Atqui petra verum propriumque Sacramentum, ut in præsentia accipitur, nequaquam fuit: ergo nec lignum vitæ.

Dum vero in c. 5. asserit Augustinus, lignum vitæ contulisse sanitatem stabilem *inspiratione salubritatis occulta*, non significat gratiam collatam animæ, sed tributam corpori firmitatem; non vi aliis cibis communi, sed occulta, et mirabili, qualis apparuit in subcinericio pane, quo Elias quadraginta dierum itinere pervenit ad montem Horeb, 3. Regum c. 19. v. 8. aut in farina, et oleo viduæ Sareptanæ, 3. Regum c. 17. v. 16. Hæc enim exempla ibidem S. Doctor adducit. Quis vero aut subcinericium illum panem, aut farinam, et oleum Sacramenta in propria significatione vocaverit?

At dices. Quamvis certo affirmari non possit, Sacramenta reipsa in statu innocentiæ extitisse; videtur tamen pro certo tenendum, quod instituenda fuissent, si diutius status ille durasset. Et profecto, uti scribit Augustinus in lib. 19. contra Faustum c. 11. *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum vi-*

sibilium consortio colligentur. Cum itaque in statu innocentiæ futurus esset Dei cultus et vera Religio; opus sane fuisset, ut pro eo statu instituerentur Sacramenta, ejusdem nempe Religionis sacra signacula.

Eodem quoque in statu extitissent oblationes, et sacrificia; cum homo ex jure naturæ non tantum interiori, sed et exteriori actu Deum colere teneatur. Alicujus autem meriti sacrificia illa fuissent; proindeque gratiæ contulissent incrementum, vel saltem ad illud conferendum fuissent idonea; quod ad rationem veri Sacramenti sat esse videtur.

Resp. ad 1. loqui Augustinum de Religione, quæ modo est, vel potest esse; nimirum, aut vera, aut falsa; quæ in statu innocentiæ non fuisset. Eo enim perseverante statu unum Deum omnes homines adorassent, eandemque rempublicam constituissent; et ideo non fuisset opus, ut aliquibus signaculis homines colligarentur, et distinguerentur ab aliis, quibus diversam religionem profiteri liberet.

Quod si affirmare volueris, S. Doctorem loqui de Religione, quæ quocunque in statu esse potest; cum quibusdam Theologis observandum est, eum non *copulative*, sed *disjunctive* dixisse, *nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum, &c.* ut fortassis agnosceres, quod ut homines in aliqua Religione coadunentur, alterutrum requiratur, ut nempe vel in signaculis, sive sacrificiis externisque ritibus, vel in Sacramentis inter se invicem colligentur; non vero quod requiratur utrumque.

Ad alterum reponimus, aliam de sacrificiis, aliam de Sacramentis habendam esse rationem. Sacrificia enim protestativa sunt religiosi cultus, ac per illa homo Deum, ut rerum omnium Dominum, recognoscit: ideoque cum ille ex sui natura non spiritu tantum, sed et corpore constet, Deo litare debet non spiritualibus solum, sed et corporalibus ritibus, in quocunque statu ponatur. Neque aliter per sacrificia gratiam consequimur, quam per modum meriti, sicuti nempe per eleemosynas, et jejunia eandem gratiam impetramus. At Sacramenta proprie dicta non ad protestationem divini cultus primario ordinantur, sed ad hominis sanctificationem, quam vel primo tribuunt, vel adaugent, vel conservant; et illorum institutio non ex immutabili naturæ jure descendit, sed ex libera Dei voluntate dependet: unde num in innocentiæ statu fuerint, vel futura fuissent, merito dubitamus; cum nihil hac de re, Deique voluntate nobis Scriptura, vel Traditio manifestent. Potuisset enim Deus pro sua tunc libertate decernere, quod homo vel per sensibilia signa, vel sine illis, gratiam reciperet, receptamque servaret, et augere studeret.

CAPUT VI.

An in lege naturae, et in lege scripta extiterint Sacramenta?

Durandus, Soto, Ledesma, ac nonnulli alii Scholæ Doctores affirmarunt, quod in statu legis naturæ, præsertim ante Circumcisionem, nulla fuerint Sacramenta, eo quod ad justificationem sola fidei protestatio absque ullo signo sensibili satis esset; et si aliquando Patriarchæ istiusmodi signum exhibuerint, non erat illud determinatum, neque divinitus institutum. Quidam vero, uti Suarez, et Juenin, etiam ante Circumcisionem extitisse putant Sacramentum aliquod pro parvulis ab originali culpa expiandis, non autem pro adultis, quibus sat erat fides in futurum Liberatorem, quocunque tempore necessaria ad salutem. Complures denique tam pro parvulis, quam pro adultis, in statu naturæ Sacramenta extitisse propugnant, inter quos recensendi sunt Canus, Gotti, Tournely, et Cl. P. Berti.

Propositio I. Tempore legis naturæ extitit aliquod pro parvulis Sacramentum.

Probatur ex Augustino, qui in lib. 5. contra Julianum c. 11. ait: *Nec ideo tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramentorum ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.*

Item Auctor de Cardinalibus operibus Christi, inter opera S. Cypriani, in cap. de Circumcisione, hæc habet: *Sane originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari; licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quae figurarum operiebatur velamine. Et licet Sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen et effectus eorum ignorari non poterat.*

Denique Innocentius III. cap. *Majores*, lib. 3. Decret. tit. 42. postquam asseruit, originale peccatum in veteri lege per Circumcissionem fuisse deletum, in nova autem per Baptismum, generalem hanc causam et rationem assignat: *Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Quæ sane ratio ad eos etiam parvulos extenditur, qui in lege naturæ vixerunt; et remedii nomine S. Pontifex Sacramentum intelligit, cum ibidem de Circumcisione, et de Baptismo disputationem instituat.

Ex dictis non obscura colligitur assertionis nostræ ratio. Deus enim, cum velit omnes homines salvos fieri, proculdubio parvulorum saluti in lege naturæ consuluit, per remedium aliquod des-

tinatum ad originalem maculam eluendam: atqui remedium illud per visibile quoddam signum erat eisdem infantibus applicandum: ergo fuit verum ac proprium Sacramentum. Minor propositio patet: visibilibus enim signis ad Deum redeundum est, quemadmodum ab invisibilibus per visibilia cecidimus; *ut quo casu*, inquit Gregorius M. in lib. 26. Mor. c. 8. nunc 12. *anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque iisdem, quibus corruit, passibus surgat*: ex quo capite præclari plerique Theologi Sacramentorum necessitatem evincunt.

Deinde remedium quo Deus etiam in naturæ lege parvulorum saluti providit, aliud profecto non fuit, quam fides in Christum; ut enim scribit Augustinus in lib. 2. de Nupt. et Concup. c. 11. *Eadem fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis.* Atqui ut fides ista opitularetur infantibus, oportebat, ut eorum parentes interiorem actum visibili aliquo signo proderent, et exterius declararent. Cum enim illi justificationem percipere propria actuali fide non possent, parentum fide justificabantur: interior autem fidei protestatio non videtur sufficiens fuisse remedium ad obtinendam justitiam, et salutem; alioquin infantes etiam in matrum utero decedentes regenerationis gratiam consequi potuissent; cum potuisset illis subvenire parentum, aut extraneorum fides, nisi applicandum eisdem esset sensibile Sacramentum: motus enim mentis æqualiter ad natos, et ad non natos se potest extendere. Secundum vero ordinariam Dei legem nemo, antequam nascatur, potest ab originali culpa mundari: cum prius nasci oporteat, quam renasci.

Propositio 2. In statu legis naturæ etiam pro adultis Sacramenta aliqua extitere.

Probatur. Idcirco instituta fuerunt Sacramenta, ut homo ad invisibilium rerum intelligentiam signis visibilibus excitetur; uti Patres affirmant. Atqui etiam adulti visibilibus signis erant ad invisibilium intelligentiam excitandi, in eo præsertim statu, in quo pœnalis cæcitas plurimum grassabatur.

Accedit, quod actus fidei, et contritionis, neque in statu legis gratiæ semper ad justificationem sufficiunt absque adminiculo Sacramentorum: vero autem simile non videtur majorem tunc habuisse, quam habeant modo vim, et efficaciam ad expianda peccata.

Tandem illo in statu Sacrificia Deo fuerunt oblata, uti patet exemplis Abel, Cain, Job, Abrahæ, Melchisedech, aliorumque; quidni ergo fuere tunc etiam Sacramenta? Maxime quod idem ritus exterior, simul et rationem Sacrificii ad cultum Dei, et Sacramenti ad sanctificationem hominis habere potuerit.

Objicies contra 1. propos. Nonnulli Patres apertis verbis affirmant, quod in lege naturæ per solam fidem justificati fuerint tam parvuli, quam adulti: non ergo per aliquod sensibile signum sive Sacramentum divinitus institutum. Probatur antecedens. Grego-

tius M. in lib. 4. Mor. c. 3. scribit: *Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.*

Beda lib. 1. in Lucam c. 8. sic loquitur: *Qui vel ante tempora Circumcisionis, vel etiam post datam Circumcisionem de ceteris gentibus extitere Fideles, ut exemplar patientiae Job, et amici liberique illius, sive victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant; quia Justus ex fide vivit, &c.*

Bernardus in epist. 77. ad Hugonem c. 1 n. 4. postquam asseruit, Abrahamo, ejusque posteris datam fuisse Circumcisionem in originalis peccati remedium, ita pergit: *In nationibus vero quotquot inventi sunt Fideles, adultos quidem fide, et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem.*

Clarius etiam S. Thomas in 3. p. q. 70. a. 4. ad 2. ait: *Sicut ante institutionem circumcisionis sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam et circumcisione data: sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus coeperant adunari ad cultum unius Dei.*

Denique ante hos omnes Tertullianus in lib. de Baptismo c. 13. inquit: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem; at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem et resurrectionem ejus, addita est ampliatio Sacramenti, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda.*

Resp. non idcirco dixisse Patres, quod sola fides in lege naturæ justificaret infantulos, ut sensibile signum excluderent interioris fidei protestativum; sed ut excluderent sacrificium, quo justificabantur adulti, excluderentque Circumcisionem, quæ data pro iis dumtaxat fuit, qui ex Abrahæ stirpe prodierant. Id non obscure deducitur ex laudatis Gregorii, Bedæ, ac Bernardi testimoniis, si diligentius expendantur. Quare Patres isti fidei nomine non interiorem solum fides actum intelligunt, verum et exteriorem, quo veteres Patriarchæ fidem suam per sensibilem signum aliquod parvulis applicabant, eo nempe in sensu, quo fidei Sacramentum, sive Baptimus, fides dicitur, et exterior fidei negatio ex communi loquendi modo solet infidelitas appellari. Lege Ven. Scotum in 4. d. 1. q. 7.

Alia insuper ex causa Patres asserunt, infantes olim sola parentum fide obtinuisse justitiam ac salutem. Cum enim in quolibet statu ea extiterint Sacramenta, quæ ipsimet statui congruebant, ita ut in lege scripta, latis à Deo ritibus, certisque præceptis, eadem Sacramenta, et peculiaria religionis signacula fuerint determinata; in naturæ tamen lege, cum homines solo interiori instinctu

ad Deum colendum moverentur, ex eodem Dei instinctu, nulla lege exterius lata, ipsi homines determinabant res sensibiles, quibus, ut peccata expiarent Deumque colerent, utebantur. Unde Doctor Angelicus in p. 3. q. 60. a. 5. ad 3. ait: *Sicut Augustinus dicit lib.* 19. *contra Faustum c.* 16. *diversa Sacramenta diversis temporibus congruunt; sicut etiam diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet praesens, praeteritum, et futurum. Et ideo sicut in statu legis naturae homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur: postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturae ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi, per quam humanum genus sanctificatur: et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis.* Quod etiam indicasse videtur Tertullianus in citato lib. de Baptismo.

Dum itaque S. Thomas objecto in loco scribit, ante Circumcisionem justificasse solam Christi fidem absque signo aliquo protestativo, dumtaxat excludit signum lege determinatum atque praescriptum, non illud, quod interiori instinctu ducti homines in protestationem fidei adhibebant. Hinc post adducta verba subjungit: *Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro se ipsis preces, et sacrificia offerebant.*

Ex dictis apparet, quomodo signaculum justitiæ fuerit, et non fuerit determinatum in lege naturæ. Erat namque determinatum interiori instinctu protestantium fidem suam ejusdem signaculi exhibitione; non erat determinatum præscriptione legis, latoque præcepto. Ita pariter signaculum illud institutum à Deo non fuit per præscriptum legis; institutum autem fuit per interiorem instinctum, quo ad Religionem, cultumque sui tunc temporis Deus homines permovebat: atque id sufficit ad rationem Sacramenti pro statu legis naturæ, etsi ad Sacramenta legis scriptæ, vel Evangelicæ requiratur divina institutio, ac determinatio specialius indicata. Neque tollitur essentialis ratio Sacramenti per hoc, quod vigente statu naturæ possent pro libito homines fidem suam isto vel illo signaculo protestari; determinatio enim signi pertinet ad causam extrinsecam, non ad naturam, rationemque Sacramentorum, uti plures Theologi recte notarunt. Neque etiam infertur, fuisse tunc facilius salutis remedium quam modo sit; quoniam nunc et in elemento obvio communique positum est, et cum sit à Christo determinatum, omnibus innotescit, et denique non ex applicantium fide dependet, sed ex sese efficaciter operatur.

Quod si quæsieris, quo modo parentum fides causa fuerit jus-

stificationis infantium ? reponemus, fidem illam justificandi vim habuisse, non praecise ut erat actus personae credentis; sed prout respiciebat objectum creditum, Christum scilicet in carne venturum: unde ob Christi meritum, non ob meritum fidei parentum, vel aliorum qui parentum vices gerebant, parvuli mundabantur. Ut enim ait S. Thomas in q. 4. de Malo a. 8. ad 12. *Fides Antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem, non prout erat quidem actus meritorius credentium; unde non requirebatur, quod esset actus fidei formatae: sed ex parte rei creditae, scilicet ipsius Mediatoris. Sic enim et Sacramenta, quae postea sunt instituta, valent, in quantum sunt quaedam fidei protestationes. Unde non sequitur, quod infidelitas parentum filiis noceret, nisi per accidens, sicut removens remedium peccati.*

Postremo extra controversiam positum est, quod in lege scripta extiterint Sacramenta aliqua, et quidem à Deo specialiter instituta. Plures enim tunc præscripti fuere ritus, pluresque cæremoniæ, quæ animarum sanctificationem, et Christi gratiam præsignabant; cujusmodi fuerunt Paschalis Agnus, Levitarum inunctio, expiationes ac lustrationes, quæ gratiam per Christum conferendam sub figurarum velamine promittebant; obtinuitque eo temporis Circumcisio, de qua plura inferius disseremus. Vetera item Sacramenta commemorat Florentina Synodus in Decreto Eugenii ad Armenos, et Tridentina in sess. 7. can. 2. ubi de discrimine agitur, quæ inter novæ, veterisque legis Sacramenta versatur.

CAPUT VII.

Quod in Evangelica lege septem instituta sint Sacramenta. Ubi et de eorumdem necessitate, ac dignitate breviter aliquid adnotatur.

Archontici, aliique nonnulli priorum sæculorum hæretici nullum prorsus in Christi Ecclesia Sacramentum admittendum esse dixerunt, nullis signis utendum esse putantes. Illos ex Lutherano grege secuti sunt Schwenckfeldiani, qui spirituales se esse gloriantes, sensibilia omnia, et Sacramenta etiam, tanquam ad salutem inutilia, rejecerunt.

At alii non Catholici tantum, verum et hæretici communi passim consensione tuentur; quod in nova quoque lege convenienter instituta fuerint Sacramenta, quibus tanquam sensibilibus signaculis coadunantur homines in veram Christi religionem, et à naturæ infirmitate ac à peccato sanantur. Ablatis itaque veteribus Sacramentis, quoniam quidquid prænunciabant, fuerat jam impletum: *alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*: uti loquitur Augustinus in lib. 19. contra Faustum c. 13. Qua de re legendi sunt etiam S. Thomas in

p. 3. q. 61. a. 4. et S. Bonaventura in 4. d. 2. a. 1. et 2. Hinc si quis objectare voluerit, Evangelicam legem eliminare figuras, et signa auferre, cum aperte prædicet veritatem; ex S. Bonaventura ibi a. 1. facilem dabimus responsionem: *Quod quaedam figurae erant tantum ad signandum, quaedam autem sunt ad signandum, et sanctificandum. Figuras primas evacuat,* Evangelica lex; *sed secundas instituit: quia est lex justificationis, non tantum veritatis.*

Quod vero ad Sacramentorum numerum attinet, prætermissis veterum hæreticorum deliriis, observamus, varios hac in re fuisse Novatorum errores. Lutherus primo rigidior unum dumtaxat Sacramentum admisit, nempe Baptisma. Postea mollior factus duo probavit, Baptismum scilicet, et Eucharistiam; quibus et Pœnitentiam addidit: quamvis sibi semper inconstans, iterum duo dumtaxat asseruit, nempe Baptismum, et Panem. Magistri inconstantiam secuti sunt discipuli, ac de Sacramentorum numero diversa senserunt. Communis autem, et magis recepta hæreticorum sententia est, duo tantum esse proprie dicta Sacramenta idest Baptismum, et Cœnam; quod et Calvinus in Antidoto adversus sessionem 7. Concilii Tridentini propugnat.

Catholica tamen Ecclesia docet, docuitque semper, novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora esse, quam septem; nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium. Esto itaque

Propositio. Septem sunt, nec plura, nec pauciora Ecclesiæ Sacramenta.

Probatur 1. ex Scripturis, ex quibus septenarius Sacramentorum numerus aperte colligitur. De Baptismo enim tum alibi passim, tum præsertim Matth. ult. v. 19. habetur: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* De Confirmatione Act. 8. v. 27. legitur: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* De Eucharistia Matth. 26. v. 26. *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, &c.* De Pœnitentia Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema Unctione Jacobi c. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* De Ordine in 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* De Matrimonio tandem ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Hæc autem Scripturarum loca vindicabimus ab hæreticorum cavillationibus, ubi sigillatim de quolibet Sacramento tractabimus.

Probatur 2. ex Conciliorum definitionibus. Constantiense Concilium celebratum anno 1415. septenarium numerum Sacramentorum agnoscit, dum sess. 15. damnat octavum articulum Joannis

Hus asserentis: *Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infidelium sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, &c.*

Item Florentinum Concilium, et R. P. Eugenius IV. in Decreto Unionis edito anno 1439. ita definit: *Novae legis septem sunt Sacramenta, videlicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, et matrimonium.*

Denique Synodus Tridentina in sess. 7. can. 1. septem Sacramenta ita recenset: *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum; anathema sit.*

Probatur 3. ex constanti utriusque Ecclesiæ Latinæ scilicet, et Græcæ consensu, ac Traditione. Hanc enim fuisse semper in Romana Ecclesia aliarum omnium Magistra doctrinam, ostendunt quæ nuper adduximus Œcumenicorum Conciliorum decreta; quæ etsi plura post sæcula fuerint celebrata, non primo tamen Sacramentorum numerum invexerunt, sed illum recensuere tanquam omnibus jam multo ante compertum; ita nimirum, ut nihil hac in re Florentinis Patribus opposuerint vel ipsi Græcorum schismatum Auctores. Imo exortis recentioribus Lutheri et Calvini hæresibus Hieremias Patriarcha CP. acceptam à Witthembergensibus Augustanam Confessionem anno 1576. gravissima censura proscripsit, in qua ex Patrum traditione docetur, *in Catholica et Orthodoxa Ecclesia septem divina Sacramenta esse, baptismum scilicet, sacri unguenti unctionem, sacram communionem, ordinem, matrimonium, poenitentiam, et extremae unctioni oleum*: ac deinde subjungitur: *Haec igitur sunt Ecclesiae Dei Sacramenta, totque numero, hocque modo, et ratione, quod dictum est, nobis tradita.*

Anno item 1642. Parthenius CP. Patriarcha Synodum coegit, in cujus actis num. 15. hæc de Calvino leguntur: *In decimoquinto negat Ecclesiae Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram unctionem, sacrum oleum, confessionem cum poenitentia, et honorabiles nuptias; quae omnia, ut sacra, et divinam gratiam conferentia, antiqua nobis Traditio reliquit.*

Probatur 4. prædictus Sacramentorum numerus probabili ratione deducta ex iis rebus, quæ à naturali vita ad vitam spiritualem per similitudinem transferuntur. Ut enim ait Catechismus Romanus in p. 2. c. 1. n. 20. "Homini ad vivendum, vitamque „conservandam, et ex sua, reique publicæ utilitate traducendam, „hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, au„geatur, alatur, si in morbum incidat, sanetur, imbecilitas virium „reficiatur; deinde, quod ad Rempublicam attinet, ut Magistra„tus nunquam desint, quorum auctoritate, et imperio regatur, ac „postremo legitima sobolis propagatione, seipsum, et humanum

» genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ illi, qua anima Deo » vivit, respondere satis apparet, ex iis facile Sacramentorum nu» merus colligitur.»

Deinde n. 21. subjungit: «Primus est Baptismus, veluti cete» rorum janua, quo Christo renascimur. Deinde Confirmatio, cu» jus virtute fit, ut divina gratia augeamur, et roboremur. . . . Tum » Eucharistia, qua tanquam cibo vere cœlesti spiritus noster alitur, » et sustinetur. . . . Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope sa» nitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Po» stea vero extrema unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, et » animi virtutes recreantur. . . . Sequitur Ordo, quo publica Sacra» mentorum ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque » omnes functiones exequendi potestas traditur. Postremo additur » Matrimonium, ut ex maris et feminæ legitima, et sancta con» junctione, filii ad Dei cultum, et humani generis conservatio» nem procreentur, et religiose educentur.» Videndi sunt etiam hac super re S. Thomas in p. 3. q. 65. a. 1. et S. Bonaventura in 4. d. 2. a. 1. q. 3. et Ven. Scotus in 4. d. 2. q. 1. Sanctorum vero Patrum testimonia proferemus, quum de singulis Sacramentis suo loco sermonem habebimus.

Objicies 1. cum Kemnitio. Nullibi Scriptura septem enumerat Sacramenta, nisi forte Apoc. c. 17. v. 7. ubi Sacramenta dicuntur septem capita bestiæ. Non ergo alicubi, nisi in Ecclesia Antichristi, Sacramenta sunt septem.

Resp., quod argumentum istud facile possit in ipsos hæreticos retorqueri: nam neque Scriptura aliquo in loco duo tantum, vel tria esse Sacramenta commemorat. Deinde negamus, in Scripturis singula Sacramenta minime commendari. Præterea non sola Scriptura, sed Apostolicis etiam Traditionibus inconcussa Ecclesiæ dogmata continentur. Postremo etsi Scriptura nullibi tradat quatuor esse Evangelia, quatuor tamen ea esse credunt Hæretici; cur ergo non similiter de septenario Sacramentorum numero sentiunt?

Quod vero Kemnitius ait, septem Sacramenta esse septem Antichristi capita, singularem per id dementiam suam, maximamque temeritatem ostendit. Si enim ita esset; ergo et Baptismus, et Eucharistia forent capita Antichristi; quod est contra Kemnitium. Deinde eo in loco non dicitur, septem Sacramenta esse septem capita bestiæ, sed unum *Sacramentum mulier, et bestia, quæ portat eam, et habet capita septem, et cornua decem*: ideoque si nugari liceret, eadem bestia dicenda esset hæresis Lutherana, septem polluta vitiis, ac multiplici iniquitate turpata, et quæ aliquando unum dumtaxat dari asseruit Sacramentum, nempe Baptismum. At lege interpretes, et contextum.

Objicies 2. Septenario Sacramentorum numero Patrum traditio evidenter opponitur. Primo enim nunquam apud antiquos numerum istum invenies, ac nunquam primæva Ecclesia hunc Catalogum definivit. Deinde cum Veteres fidei mysteria gentibus occul-

tare solerent, duo dumtaxat ex Patribus occultata cognovimus, Baptismum scilicet, et Eucharistiam; nam Augustinus in Psal. 103. n. 14. ait: *Quid est, quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiae. Opera enim nostra vident et pagani; Sacramenta vero occultantur illis.*

Resp. ad 1. neque olim Ecclesiam definivisse, quod Sacramenta sint duo dumtaxat, aut tria. Praeterea idcirco non definivit, quoniam res erat cuique fidelium explorata. Hunc insuper numerum servasse dicenda est, quando anathemate percussit Sacramenta aliqua denegantes, ut saeculo 3. Novatianos non confirmantes neophytos; 4. saeculo Manichaeos damnantes nuptias, saeculo 14. Wiclefistas Unctionem abjicientes extremam. Tandem Ecclesia, uti Scripturarum Canonem, ita Sacramentorum numerum definivit, quando ad reprimendam haereticorum audaciam opportunum id esse cognovit.

Quod de sacrorum mysteriorum occultatione objectum est, adversus haereticos retorquetur. Basilius enim in lib. de Spiritu Sancto c. 27. inter arcana, quae scripto non producuntur, enumerat *olei inunctionem.* Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Cor. inter arcana solis initiatis manifesta recenset sacram Ordinationem, precesque, et ceremonias in illa adhibitas. Augustinus denique eodem sermone in Psal. 103. n. 9. scribit: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis Sacramentis.* Quum igitur num. 14. duo Sacramenta commemorat, reliqua non excludit.

Objicies 3. Antiquiores Ecclesiae Patres septenarium Sacramentorum numerum ignorarunt. Justinus enim in Apologia ad Antoninum, quae secunda dicitur, et Tertullianus in 4. contra Marcionem c. 34. Baptismi et Eucharistiae solummodo meminerunt. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesibus Mystagogicis de tribus tantum Sacramentis pertractat, Baptismo nimirum, et chrismate, et Eucharistia. In eundem quoque numerum consentit Ambrosius lib. 6. de Sacramentis c. 2. ubi postquam de hisce tribus prolixe pertractat, ita concludit: *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia.* Tenet eundem numerum Gregorius M. relatus in cap. *Multi saecularium*, 2. p. Decreti q. 1. causa 1. num. 84. ubi ait: *Sunt autem Sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus, et Sanguis Christi.* Ergo duo, vel ad summum tria Sacramenta sunt ex Patribus retinenda.

Resp., laudatos Patres duo, vel tria Sacramenta commemorasse, prout suscepti operis ratio postulabat. Justinus de Baptismo egit, ut retunderet impactam Christianis calumniam, quod malefica superstitione initiarentur; ac reponit, *etiam daemones cum lavationem hanc audissent per Prophetam promulgatam, effecisse, ut ingressuri in delubra eorum, et accessuri ad illos, atque libationibus, et adipis nidoribus offerendis operaturi seipsos aquas*

aspersione lustrarent. Unde consequitur non posse in Christifidelibus damnari regenerationis lavacrum ab iis, qui corporum lustrationes in suis mysteriis adhibebant.

Pertractat etiam S. Martyr de Eucharistia ad repellendam illorum accusationem, qui arbitrabantur in Ecclesiarum conventibus, et in sacra Altaris mensa trucidatas infantium carnes apponi: unde ait, illic panem vinumque distribui, ac demonstrat non posse id redargui à paganis, quoniam et similia *in mysteriis, atque initiationibus Mithrae fieri docuerunt per imitationem pravi daemones*. In sacrificiis enim Mithræ, qui initiabantur, panem, et aquæ poculum apponebant. Laudata igitur in Apologia Justinus ea vindicat, quæ opponebantur; si cetera irrisoribus manifestasset, nec se gessisset prudenter, nec disciplinam servasset arcani, nec suos intra fines Apologiam continuisset.

Tertullianus in 4. contra Marcionem Baptismum, et Eucharistiam idcirco commemorat, quia hæc duo Sacramenta etiam Marcion admittebat, quem ita eo loci perstringit: *Si omnino negas permitti divortium à Christo, quomodo tu nuptias dirimis? Nec conjungens marem et feminam, nec alibi conjunctos ad Sacramentum Baptismi, et Eucharistiae admittens, nisi inter se conjuraverint adversus fructum nuptiarum?* Ceterum ex lib. de Præscriptionibus c. 40. constat, quod alia quoque Sacramenta Tertullianus admiserit.

Cyrillus, et Ambrosius dum Catechumenos instruunt, de tribus illis Sacramentis plenissime tractant, quæ simul conferebantur; cetera autem non expungunt. Numquid enim Ambrosius negat Pœnitentiæ Sacramentum, de quo duos libros adversus Novatianos ornavit? Idem asserendum est de c. *Multi saecularium*, in quo ideo trium Sacramentorum fit mentio, quoniam nonnulli temere affirmabant sanctificata non esse, dum conficiuntur eorum officio, *quorum vita aliorum oculis apparet ignobilis*: quanquam sententiam illam frustra inter Gregorii opera quis requiret.

Objicies 4. Sacramenta plura videntur esse, quam septem. 1. enim Baptismus est triplex, fluminis nempe flaminis, et sanguinis. 2. Pœnitentia duplex est, publica scilicet, et secreta. 3. Non unus est Ordo, sed septem, qui plura Sacramenta constituunt. 4. Quidam Græci Monasticam professionem inter Sacramenta recensent. 5. Aqua benedicta, aliæque res plures Sacerdotis benedictione consecratæ Sacramentorum loco contra peccata venialia adhibentur: ergo

Resp. ad 1., cum S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 2. a. 1. q. 3. *quod baptismus sanguinis non est Sacramentum, quia deficiunt ei omnia, quae sunt de ratione Sacramenti, scilicet repraesentatio ex similitudine, significatio ex institutione, sanctificatio ex verbi prolatione*. Ergo per analogiam dumtaxat Baptismus sanguinis, et Baptismus hominis ita dicuntur, propter scilicet interiorem purificationem, quam ad instar Baptismi flaminis operantur. Solus an-

tem Baptismus fluminis est Sacramentum, quia solus ex Christi institutione per exteriorem aquæ ablutionem, ac per verbum sacramentale confertur, gratiamque per sensibile signum illud impertit.

Ad 2. Pœnitentia publica solo ritu, externaque disciplina à pœnitentia secreta distinguitur, tamquam istius appendix; et ideo utraque unum constituit Sacramentum.

Ad 3. S. Thomas in suppl. tertiæ partis q. 37. a. 1. ad 2. ait, "quod divisio Ordinis non est totius integralis in suas partes, ne» que totius universalis, sed totius potentialis; cujus hæc est na» tura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in » aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic; tota enim » plenitudo Sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdo» tio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis. . . . Et ideo om» nes Ordines sunt unum Sacramentum." Similia leges apud S. Bonaventuram in 4. d. 24. p. 1. a. 2. q. 4.

Ad 4. Professio Monastica non alia ratione à quibusdam Græcorum dicitur Sacramentum, nisi quatenus per eam sacris mysteriis Viri religiosi initiantur, aut saltem devovent se sacræ cuidam militiæ; cum nullam talis professio largiatur sanctitatem, nisi ob devotionem, humilitatemque voventium, qua novam vitam inchoare dicuntur; ac propterea professio illa secundum Baptisma vocatur.

Ad 5. Aqua benedicta non à Christo, sed ab Ecclesia institutionem accepit; neque ad remissionem venialium peccatorum *per se* valet, neque gratiam ex opere operato confert; sed ex opere operantis ex devotione scilicet eorum qui asperguntur, et ex precibus Ecclesiæ contra dæmonum insidias, et contra venialia peccata vim habet, ut Sacramentale quoddam, non ut verum ac proprium Sacramentum. Quod idem asserendum est de sacris cineribus qui in feria quarta quando quadragesimale jejunium inchoatur, fidelium capitibus imponuntur; idem quoque dicendum de Cereis, palmarum ramis, aliisque Sacramentalibus, quæ passim in Eclesia usurpari videmus.

Objicies 5. Lotio pedum est verum novæ legis Sacramentum: ergo plura sunt Sacramenta, quam septem. Probatur antecedens. Est enim visibile signum, externoque ritu peragitur, non secus ac ipse Baptismus: unde Joan. 13. v. 5. legitur, quod Jesus *mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum.* Adnexam quoque habet gratiæ promissionem; nam Christus ibi v. 8. Petro dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Habet tandem divinum præceptum, dicente eodem Christo v. 14. *Vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ergo pedum lotio omnia comprehendit, quæ ad veri Sacramenti rationem requiruntur.

Resp. Christum Apostolorum pedes non idcirco lavasse, ut institueret efficax signum aliquod gratiæ conferendæ; sed humilitatis præberet exemplum, et ad internam animi munditiem hortaretur Apostolos, qui mox futuri erant corporis sui sanguinisque participes. Hinc aqua illa in pelvim missa ad lavandos pedes non di-

citur *lavacrum vitae*, aut *regenerationis*, aut *renovationis*, aut *remissionis peccatorum*, quemadmodum Baptisma vocatur. Neque ea Christi verba: *Si non lavero te*, &c. promissionem gratiæ continent; sed ostendunt Petrum non habiturum fuisse cum Christo partem, nec ulterius futurum Domini familiarem et amicum, ob inobedientiam, non ob alicujus Sacramenti contemptum. Denique et illud: *Vos debetis* &c. exercitium sanctæ humilitatis et charitatis insinuat. *Si ergo*, inquit Christus, *ego lavi pedes vestros Dominus, et Magister; et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Quibus proculdubio docet impendendum esse proximo quodlibet humanitatis officium, neque, ubi id aliorum salus expostulet, infima atque vilissima ministeria fugienda esse; quum omnium Dominus, ac Magister linteo præcinctus discipulorum pedes laverit, et exterserit.

Non igitur inter novæ legis Sacramenta pedum lotio recensenda est. Hinc diversa fuit Ecclesiæ disciplina, et praxis in usurpanda ejuscemodi lotione: ut enim scribit Augustinus ad Januarium epist. 55. n. 33. *Ne ad ipsum sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem, ut hoc et sacratiore tempore commendarent, et à Baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum, vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.*

Postremo et illud observandum adjungimus, quod nempe ut aqua, sive elementum, aut materia alia naturam induat Sacramenti, gratiamque producat, oportet, ut verbis, quæ formæ vicem gerunt, determinetur ad eandem gratiam producendam. Atqui neque Christus dum discipulorum pedes lavit, neque Sacerdotum quispiam exemplo Christi lotionem illam exercens, determinavit unquam consecratoriis verbis aquæ elementum ad gratiam efficiendam. Ergo pedum lotio nunquam ad Sacramenti dignitatem evecta est.

Sed dices S. Ambrosius in lib. de Mysteriis cap. 6. n. 32. scribit: *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens, et persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut haereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per Baptismum relaxantur*. Et in lib. 3. de Sacram. c. 1. n. 5. refellens eos qui asserebant, non in mysterio lavari pedes baptizatorum, sed in signum humilitatis, veluti dum hospites excipiuntur, ait: *Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est, et sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem.*

Item Bernardus in serm. de Cœna Domini n. 2. lotionem pedum inter Sacramenta connumerat, inquiens: *In hunc itaque mundum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili praesta-*

retur. *Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiae participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium.* Ac deinde n. 4. probat pedum lotionem non fuisse solum factam ad humilitatis exemplum, verum etiam ut Sacramentum ad peccatorum expiationem; ait enim: *Vis autem nosse, quod pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? illud attende quod Petro dictum est, Si non lavero te, non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei.*

Auctor etiam sermonis de ablutione pedum inter opera Cypriani scribit: *Ait Dominus, nisi lavero te, non habebis partem mecum. Paulatim mysterii hujus declaratur necessitas, quam conditio proposita inevitabilem reddit*: indeque subjungit: *Hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum.* Quibus similia profert S. Eligius Noviomensis Episcopus hom. 4. in Cœna Domini.

Resp. Ambrosium non alio in sensu dixisse, quod abluantur pedes, ut hæreditaria peccata tollantur, nisi quatenus concupiscentia, serpentis fraude ingenerata, per quam quotidie in plura peccata prolabimur, pedum lotione, et humilitatis exercitatione frenatur; atque ita pedum lotio peccati inquinamenta non delet, sed tribuit aliquod sanctificationis auxilium. Seipsum exponit Ambrosius in lib. 3. de Sacram. c. 1. n. 7. *In Baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus à diobolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.*

Ob eandem etiam rationem citato mox in lib. n. 5. scripsit Ambrosius in lotione pedum latere mysterium sanctificationis, nec esse illam eodem loco tenendam, quo habetur ablutio hospitum facta ad solam honestatem hospitii. Est enim ritus sacer, ac mysticus, quo significatur egere nos præter gratiam, quam conferunt principalia Sacramenta, quotidiana oratione, charitate, et humilitate; ut venialia in pulvere pedum expressa nobis divinitus condonentur, et ne concupiscentia nobis vitio primi hominis inseminata, in graviora flagitia, æternamque perditionem impellat.

Tandem Ambrosius in citato lib. 3. de Sacr. c. 1. n. 5. haud obscure significat lotionem pedum ceremoniam quandam esse receptam consuetudine Mediolanensis Ecclesiæ; et ad disciplinam solummodo pertinere, non autem Sacramentum esse proprie dictum, aut ad dogma spectare. Inquit enim: *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, et formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet.*

Eadem quoque est Bernardi sententia, qui citato in loco ait quidem pedum ablutionem esse Sacramentum, sed non proprie dictum conferens peccatorum remissionem: est enim Sacramentum late acceptum significans remissionem peccatorum quotidianorum, et aspersionem pravarum affectionum, quæ non pedum lotione purgantur, sed largitate divina, quam in Dominica oratione quotidie postulamus. Quare etsi Bernardus pedum ablutionem inter Sacramenta recenseat simul cum Eucharistia, et Baptismo; innuit tamen adesse discrimen, quod ista duo sint signa gratiæ efficacia, ideoque sint propria Sacramenta; at lotio pedum significet, non operetur remissionem venialium peccatorum. Et quidem in eodem sermone n. 2. de Baptismo ait: *Quae est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? Utique purgatio delictorum.* De Eucharistia etiam n. 3. inquit: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.* At nihil tale S. Pater de lotione pedum affirmat. Ait quidem in hac latere Sacramentum, scilicet quotidianorum peccatorum remissionem; sed non ait remissionem istam ipsamet pedum ablutione conferri. Nam si ipsa pedum lotio ad venialia expianda requireretur, non quod ea lotione significatum est; non semel in anno pedes sacro ritu lavandi essent, sed omni prorsus die; cum quotidianis peccatis quotidiana sint adhibenda remedia.

Sed ipsum juvat audire Bernardum, eo in loco n. 4. ita scribentem; *Unde scimus, quia ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem, et à quibus plane cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus et caput ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, idest intentio, et manus idest operatio, et conversatio munda est: sed pedes, qui sunt animae affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt; quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes.* At postremo innuens horum peccatorum remedium ita concludit: *Nemo perniciosa securitate dormitet.... quoniam, ut audivit Petrus, nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, imo et libenter, si tantummodo nos agnoscamus.... Hinc est quod in oratione, quam ipse constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare.* Quibus profecto verbis non asserit Bernardus venialia peccata per pedum lotionem expiari, sed per agnitionem propriæ infirmitatis, et per assiduam orationem.

Neque oppositum sensit Arnoldus Bonæ Vallis, auctor, ut fertur, sermonis illius de ablutione pedum. Commendat enim *mysterii hujus necessitatem*, quia necessarium nobis est, ut Christi exemplo non dedignemur humilitatis officia in alterutrum exercere; quoniam *ad expiationem proficit humilis pietas, et pia hu-*

retur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiae participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium. Ac deinde n. 4. probat pedum lotionem non fuisse solum factam ad humilitatis exemplum, verum etiam ut Sacramentum ad peccatorum expiationem; ait enim: *Vis autem nosse, quod pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? illud attende quod Petro dictum est, Si non lavero te, non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei.*

Auctor etiam sermonis de ablutione pedum inter opera Cypriani scribit: *Ait Dominus, nisi lavero te, non habebis partem mecum. Paulatim mysterii hujus declaratur necessitas, quam conditio proposita inevitabilem reddit*: indeque subjungit: *Hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum.* Quibus similia profert S. Eligius Noviomensis Episcopus hom. 4. in Cœna Domini.

Resp. Ambrosium non alio in sensu dixisse, quod abluantur pedes, ut hæreditaria peccata tollantur, nisi quatenus concupiscentia, serpentis fraude ingenerata, per quam quotidie in plura peccata prolabimur, pedum lotione, et humilitatis exercitatione frenatur; atque ita pedum lotio peccati inquinamenta non delet, sed tribuit aliquod sanctificationis auxilium. Seipsum exponit Ambrosius in lib. 3. de Sacram. c. 1. n. 7. *In Baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus à diobolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.*

Ob eandem etiam rationem citato mox in lib. n. 5. scripsit Ambrosius in lotione pedum latere mysterium sanctificationis, nec esse illam eodem loco tenendam, quo habetur ablutio hospitum facta ad solam honestatem hospitii. Est enim ritus sacer, ac mysticus, quo significatur egere nos præter gratiam, quam conferunt principalia Sacramenta, quotidiana oratione, charitate, et humilitate; ut venialia in pulvere pedum expressa nobis divinitus condonentur, et ne concupiscentia nobis vitio primi hominis inseminata, in graviora flagitia, æternamque perditionem impellat.

Tandem Ambrosius in citato lib. 3. de Sacr. c. 1. n. 5. haud obscure significat lotionem pedum ceremoniam quandam esse receptam consuetudine Mediolanensis Ecclesiæ; et ad disciplinam solummodo pertinere, non autem Sacramentum esse proprie dictum, aut ad dogma spectare. Inquit enim: *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, et formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet.*

Eadem quoque est Bernardi sententia, qui citato in loco ait quidem pedum ablutionem esse Sacramentum, sed non proprie dictum conferens peccatorum remissionem: est enim Sacramentum late acceptum significans remissionem peccatorum quotidianorum, et aspersionem pravarum affectionum, quæ non pedum lotione purgantur, sed largitate divina, quam in Dominica oratione quotidie postulamus. Quare etsi Bernardus pedum ablutionem inter Sacramenta recenseat simul cum Eucharistia, et Baptismo; innuit tamen adesse discrimen, quod ista duo sint signa gratiæ efficacia, ideoque sint propria Sacramenta; at lotio pedum significet, non operetur remissionem venialium peccatorum. Et quidem in eodem sermone n. 2. de Baptismo ait: *Quae est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? Utique purgatio delictorum.* De Eucharistia etiam n. 3. inquit: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.* At nihil tale S. Pater de lotione pedum affirmat. Ait quidem in hac latere Sacramentum, scilicet quotidianorum peccatorum remissionem; sed non ait remissionem istam ipsamet pedum ablutione conferri. Nam si ipsa pedum lotio ad venialia expianda requireretur, non quod ea lotione significatum est; non semel in anno pedes sacro ritu lavandi essent, sed omni prorsus die; cum quotidianis peccatis quotidiana sint adhibenda remedia.

Sed ipsum juvat audire Bernardum, eo in loco n. 4. ita scribentem; *Unde scimus, quia ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem, et à quibus plane cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus et caput ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, idest intentio, et manus idest operatio, et conversatio munda est: sed pedes, qui sunt animae affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt; quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes.* At postremo innuens horum peccatorum remedium ita concludit: *Nemo perniciosa securitate dormitet.... quoniam, ut audivit Petrus, nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, imo et libenter, si tantummodo nos agnoscamus.... Hinc est quod in oratione, quam ipse constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare.* Quibus profecto verbis non asserit Bernardus venialia peccata per pedum lotionem expiari, sed per agnitionem propriæ infirmitatis, et per assiduam orationem.

Neque oppositum sensit Arnoldus Bonæ Vallis, auctor, ut fertur, sermonis illius de ablutione pedum. Commendat enim *mysterii hujus necessitatem*, quia necessarium nobis est, ut Christi exemplo non dedignemur humilitatis officia in alterutrum exercere; quoniam *ad expiationem proficit humilis pietas, et pia hu-*

militas, et per ablutionem pedum *recte cognitam et intellectam adhaerentes animae sordes quotidiana satisfactione lavantur.* Ubi non ait, lavari sordes ipsa pedum materiali ablutione, sed *ablutione recte cognita et intellecta*; idest, quotidiana satisfactione, sive humilitate quotidie exercenda.

Tandem id ipsum docuit S. Eligius, et, quoniam eo tempore reconciliatio pœnitentium fiebat feria 5. in Cœna Domini, ideo ille in laudata homilia admonet lavandos esse pedes ad reconciliationem obtinendam idest, dimittenda invicem esse peccata, atque insignum fraternæ reconciliationis pedes invicem abluendos. *Nos quoque*, ait, *Christi exemplo, et mandato commoniti, et corporaliter hoc agere, et multo magis spiritaliter debemus invicem pedes lavare: hoc est, alterutrum peccata dimittere, et pro eisdem à Deo dimittendis invicem exorare.*

Hic postremo restat, ut breviter aliquid de Sacramentorum novæ legis necessitate, et dignitate notemus. Quod ad primum attinet, extat Canon 4. sess. 7. Concilii Tridentini, qui sic habet: *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Necessaria sunt igitur Sacramenta, tanquam justificationis nostræ instrumentales causæ, quæ indita sibi à Deo virtute conferunt sanctitatem.

Neque tamen Sacramenta omnia singulis necessaria sunt, ut in adducto Canone legitur: nam Baptismus, et Pœnitentia relate ad eos qui vel originali, vel actuali peccato fœdantur, sunt Sacramenta necessaria necessitate medii; sive sunt medium necessarium; sine quo, ex Christi institutione, æterna salus comparari non potest. Ordo autem et Matrimonium non sunt singulis necessaria; cum homo libertate præditus nequeat, nisi causa impellente, sive Ecclesiæ ministerio, sive vinculo conjugali constringi: sunt tamen necessaria necessitate medii relate ad Ecclesiam universim inspectam; nam sine Ordine non posset Corpus Dominicum consecrari, neque posset lapsis beneficium absolutionis impendi; et sine Matrimonio non possent cum sanctitate nuptiarum Ecclesiæ filii procreari.

Præterea, Confirmatio, et Eucharistia necessariæ sunt omnibus adultis necessitate divini præcepti; cum Christus horum Sacramentorum receptionem omnibus fidelibus adultis injunxerit; sicut et eisdem, dum periculose ægrotant, Extremæ Unctionis recipiendæ præceptum imposuit. Hæc autem fusius exponentur, quum infra de singulis in specie Sacramentis agemus.

Quod vero spectat ad Sacramentorum dignitatem, ita Synodus Tridentina in sess. 7. can. 3. contra recentiores hæreticos definivit: *Si quis dixerit, haec septem Sacramenta esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Inter cetera autem novæ legis Sacramenta dignissimum est illud Eucharistiæ: ut

enim laudata Synodus in sess. 13. cap. 3. ait: *Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est.* Etsi autem Eucharistia quoad substantiam longe reliqua Sacramenta præcellat; singula tamen peculiarem habent effectum, quo unice considerato præstantiora sunt reliquis. Ita præstat Baptismus in abluenda originali macula, præcellit Pœnitentia in reconciliatione lapsorum, sicque de ceteris eodem modo dicendum est. Lege Catechismum Romanum in p. 2. c. 1. n. 22.

CAPUT VIII.

Ubi de Sacramentorum novae legis Auctore breviter disputatur.

Ferunt aliquos olim de Schola Theologos autumasse, quod Apostoli, pro concessa sibi à Christo Domino potestate, nonnulla instituerint Sacramenta, ac præsertim Confirmationem, et Unctionem extremam: ex quo liquido constat, eosdem Theologos non putasse, quod omnia novæ legis Sacramenta à Christo immediate fuerint instituta.

At postquam Tridentina Synodus in sess. 7. can. 1. definivit, omnia novæ legis Sacramenta à Christo instituta fuisse, nemo unquam denegavit, Christum immediatum fuisse Sacramentorum omnium Auctorem; ita nimirùm, ut Cl. quidam Viri affirmare non dubitaverint, immediatam institutionem istam ad fidei decreta spectare; quod hic inferius expendemus.

Quærere hic quoque Scholastici solent, num potestas instituendi Sacramenta communicari possit simplici creaturæ, quæ nempe Deo hypostatice unita non sit. Hac autem in re etsi discrepantes circumferantur opiniones, invicem tamen illæ facile conciliantur, si multiplex distinguatur potestas, ut mox dicemus. Interim sit

Propositio 1. Christus omnia Sacramenta novæ legis instituit, et quidem immediate.

Probatur 1. pars. Institutum à Christo fuisse Baptismum apparet ex Matth. c. ult. v. 18, Eucharistiam vero ex Matth. 26. v. 26. Et Pœnitentiam Joan. 20. v. 21. ubi quoque Ordinem instituisse videtur, quem præterea instituisse credendum est, cum Lucæ 22. Eucharistiam instituens, eam conficiendi Apostolis tradidit potestatem, dicens v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Tria autem reliqua Sacramenta, videlicet Confirmationem, Unctionem Extremam, et Matrimonium, à Christo instituta fuisse Scripturæ quidem expresse non docent; at cum de eisdem Sacramentis mentio in Scripturis occurrat, tunc illa à Christo instituta fuisse æquum est credere, quum, ut refert Lucas Act. 1. Christus post

passionem ac resurrectionem suam per dies quadraginta Discipulis apparens, loquebatur eis *de Regno Dei*; de Ecclesia scilicet; ad cujus profecto ædificationem, et administrationem fides, et Sacramenta conducunt. Hinc rectissime S. Leo in serm. 1. de Ascensione c. 2. ait: *Non ergo ii dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu: sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria.*

Præterea S. Ambrosius in lib. 4. de Sacram. c. 4. scribit: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De coelo ista Sacramenta venerunt.* Ait etiam Augustinus in lib. de Vera Religione c. 17. *Ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo libere multitudinis continerent.* Unanimem denique Patrum traditionem secuta Synodus Tridentina in sess. 7. can. 1. taliter definivit: *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta.... anathema sit.*

Accedit et ratio: nam instituere Sacramenta, nihil est aliud, quam virtutem producendi gratiam rebus sensibilibus impertiri: ergo cum res sensibiles ex seipsis nullam habeant cum gratiæ proportione, oportuit, ut ab Auctoræ gratiæ Christo virtutem illam acciperent.

Probatur 2. pars. Paulus in 1. ad Cor. c. 3. v. 4. et 5. retundens quorumdam zelum ad contentionem, qui in partes eorum, à quibus Sacramenta recipiebant, facto schismate abibant, ait: *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis.* Et eadem in epist. c. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Petrus quoque in epist. 1. cap. 4. v. 10. omnes Ecclesiarum Doctores appellat *dispensatores multiformis gratiae Dei.* Si autem cuipiam tanta collata esset dignitas et facultas, ut dici posset Sacramentorum institutor, et auctor, nonne id potius, quam mortalibus ceteris, datum fuisset Apostolis? At hi mysteriorum fuere tantummodo dispensatores: ergo, &c.

Hinc Tridentina Synodus in sess. 21. cap. 2. ita Apostolis, et Ecclesiæ tribuit potestatem instituendi ritus, et cæremonias, quæ in sacrorum misteriorum celebratione servantur, ut illis deneget facultatem immutandi, quæ ad horum substantiam pertinere noscuntur. En Concilii verba: *Declarat sancta Synodus, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Dicendum est igitur, quod Sacramenta om-

nia immediate à Christo fuerint instituta; nullum autem ab Apostolis, vel à quibuscunque Ministris Ecclesiæ.

Hujusce autem rei perspicuam rationem adducit Angelicus Doctor in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 1. *Quia Ministri Ecclesiae instituuntur in Ecclesia divinitus fundata; Et ideo institutio Ecclesiae praesupponitur ad operationem Ministrorum, sicut opus creationis praesupponitur ad opus naturae. Et quia Ecclesia fundatur in fide, et in Sacramentis; ideo ad Ministros Ecclesiae novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut nova Sacramenta instituere, aut instituta removere, non pertinet; sed hoc est potestatis excelentiae, quae soli debetur Christo, qui est Ecclesiae fundamentum.*

Postremo, Deus per se et immediate Sacramenta, antiquæ legis instituit; etsi illa essent egena infirmaque elementa: majori ergo cum ratione dicendum est, quod per se et immediate instituerit Sacramenta novæ legis, quæ pefectiora sunt, gratiamque non modo significant, verum etiam largiuntur.

Objicies 1. Quæ scripta non sunt, retinentur tanquam *ab Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta*; juxta Augustini regulam in epist. 54. ad Januarium. Cum ergo in Scripturis omnium Sacramentorum institutio non legatur, profecto consequitur, nonnulla ab Apostolis, vel ab universali aliqua Synodo instituta fuisse.

2. Auctor sermonis de ablutione pedum ait: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor et auctor: in ceteris homines Spiritum Sanctum habuere doctorem; et sicut par est Spiritui Sancto, et Christo divinitas, ita in suis institutis aequa est auctoritas et potestas: nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, et in sui commemorationem fieri praecepit.* Ex quibus inferri videtur, solum Eucharistiæ Sacramentum habere Christum auctorem, reliqua autem ab Apostolis instituta.

3. Uti Bellarminus, aliique recensent. Hugo Vict. lib. 2. de Sacram. p. 15. c. 2. et Magister lib. 4. d. 23. negant à Domino institutam Unctionem extremam. Item Alex. Alensis in p. 4. q. 9. m. 1. ac S. Bonaventura in 4. d. 7. a. 1. q. 1. tenent Sacramentum Confirmationis institutum post Apostolorum mortem in Concilio Meldensi. Tum idem Alensis q. 34. m. 3. et S. Bonaventura d. 17. a. 1. q. 3. asserunt, non à Christo, sed ab Apostolis institutum Pœnitentiæ Sacramentum. Hanc denique immediatam institutionem alii etiam de Schola aliquando vel Apostolis, vel eorum Successoribus tribuerunt.

Resp. ad 1. quod licet in Scripturis mentio institutionis quorundam Sacramentorum expresse non fiat; nihil tamen inde contrarium assertioni nostræ deducitur; tum propter rationem superius indicatam, tum quia præter Scripturam etiam Traditionem agnoscimus tanquam fidei normam, et irreformabilem regulam ve-

ritatis: cujus autem locupletissimam testem habemus Tridentinam Synodum Œcumenicam à Romano Pontifice confirmatam, et ab Ecclesia universali receptam.

Augustinus in citata ad Januarium epistola tria distinguit, primum Sacramenta à Domino instituta, sicuti sunt Baptismus, et Dominici Corporis communicatio: deinde ea, quæ ab universa servantur Ecclesia, ut anniversaria solemnitas Passionis, et Resurrectionis, et Ascentionis Christi, et Adventus Spiritus Sancti: ac tandem illa, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, ut jejunium Sabbati. Apertissimum est autem in verbis, quæ objiciuntur, S. Doctorem loqui de iis, quæ secundo loco posita sunt; ideoque nihil inde concluditur, nisi in Ecclesia præter Sacramenta retineri alia commendata et statuta: quæ si serventur ab universa prorsus Ecclesia, cujusmodi sunt prædictæ solemnitates, quamvis scripta non sint, retinenda sunt tamen; quoniam ex illorum universali consuetudine patet, aut fuisse ab Apostolis tradita, aut in Œcumenicis Synodis definita. Denique S. Doctor eo in loco Baptismum, et Eucharistiam exempli dumtaxat causa profert; proindeque sicuti alia Sacramenta non denegat, ita neque denegat immediatam aliorum Sacramentorum institutionem.

Quod secundo loco adductum est, ad rem omnino non pertinet. Dum enim sermonis illius Auctor ait homines in ceteris Spiritum Sanctum habuisse Doctorem, non affirmat ab hominibus instituta cetera Sacramenta, sed ea tradita fuisse, quæ celebrationem Sacramenti Eucharistiæ respiciunt; puta sacram liturgiam, jejunium, et alia, quæ Apostolica traditione didicimus. Ait enim non minus ratum esse, quod Christus in sui commemorationem fieri præcepit, quam ea quæ dictante Spiritu Sancto tradiderunt Apostoli; eodem ferme modo, quo Paulus in 1. ad Cor. c. 11. v. 24. postquam luculenter exposuit Domini præceptum: *Hoc facite in meam commemorationem*, ibidem v. 34. subjunxit: *Cetera autem, cum venero, disponam.* Vide quæ supra ex Tridentino Concilio adducta sunt, et quæ immediate eodem in loco subduntur.

Ad 3. respondentes advertimus, Seraph. Doctorem in 4. d. 7. 1. v. a. 1. neque sententiam nostram uti falsam refellere, neque affirmare, quod in Meldensi Concilio Confirmationis Sacramentum fuerit institutum. Sed tanquam probabilius arbitratur, quod Christus Sacramentum illud minime dispensaverit, et quod neque ipse, neque Apostoli ejusdem Sacramenti formam *in specie* determinaverint; ita nempe, ut institutionis nomine *specificam*, ut ajunt formæ determinationem intelligere videatur; quemadmodum legenti S. Doctoris verba, sensumque expendenti non difficulter apparet.

Simili etiam modo de institutione Unctionis extremæ loquitur S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 1. q. 2. quod sane Sacramentum à Christo institutum, et per Jacobum Apostolum *fidelibus commendatum, ac promulgatum*, apperte asserit Tridentina Synodus

in sess. 14. cap. 1. Cui quidem sententiæ non repugnat S. Doctor citato mox in loco.

Neque Doctor eximius denegavit unquam Pœnitentiæ Sacramentum institutum à Christo fuisse, cum citato in loco aperte scribat, *quod absolutionem, sive potestatem absolvendi Dominus instituerit, qui potestatem clavium concessit.* Tantum itaque ait, *quod Dominus confessionem per se non instituerit*, sive usurpaverit. *Cum autem Ecclesia fuit instituta, et labi homines coeperunt, tunc remedium ne desperarent, vel contemnerent, publicari oportuit; et ideo per Apostolos confessio debuit institui, auctoritate sibi à Domino tradita in clavibus sibi datis.* Lege Seraph. Doctorem in Breviloquio p. 6. c. 4.

De aliis vero Auctoribus affirmamus, quod eorum aliqui institutionis nomine promulgationem, et ministrationem expresserint. Quod si quidam ajunt, Confirmationem fuisse in Meldensi Concilio institutam, graviter hallucinantur; constat enim Meldensem Synodum anno tantum 845. coactam, quum permulti Patres Confirmationis jam antea meminissent. Dumtaxat autem Synodus illa decrevit, ne Chorepiscopi Chrisma consecrent, neque Episcopi alio tempore, quam quinta feria majoris hebdomadæ illud conficiant, neque ipsi, sive illorum ministri exigant denarios, vel munuscula quælibet à confirmandis. Tandem peculiare paucorum Doctorum placitum ineluctabilis Theologicus locus esse non potest, neque valet firma statutæ assertionis momenta convellere. Ceterum Alensis noster, præsertim quod ad Pœnitentiam pertinet, tum ab aliis, tum etiam à Cl. P. Berti defenditur, idemque irrefragabilis Doctor in p. 4. q. 8. m. 2. a. 1. apertissime scribit, quod *Sacramentum confirmationis, et extremae unctionis dedit Christus per Apostolos.* Neque objecto in loco vel verbum legitur de Meldensi Concilio. In 4. vero p. q. 14. m. 1. ubi id affirmare videtur, loquitur de determinatione specifica materiæ, et formæ Confirmationis, non asserendo, sed opinando dumtaxat.

Propositio 2. Non est fidei dogma, quod Sacramenta omnia à Christo immediate fuerint instituta.

Probatur. Nullum satis firmum ex auctoritate momentum habemus, quo fide divina credere teneamur, omnia, et singula novæ legis Sacramenta immediate ac per seipsum à Christo Domino instituta fuisse. Non quidem ex Dei verbo scripto, vel tradito, ex quo licet id uti probabilius inferatur, non tamen evidenter apparet. Neque ex Ecclesiæ definitione: nam citatus Tridentini Concilii Canon Novatorum dumtaxat perstringit errorem ajentium, à Christo Baptismum et Eucharistiam solummodo fuisse instituta, reliqua vero Sacramenta pro hominum arbitrio fuisse conficta; contra hos igitur Synodus Tridentina eò in sensu Sacramenta omnia à Christo instituta fuisse decrevit, quod ea hominum figmenta non sunt. Hinc Cl. Viri, quos inter Estius, Tournely, Berti, aliique complures affirmant, Tridentinam Synodum consulto à particula

immediate abstinuisse, quod sciret rem esse hinc inde inter Scholasticos agitatam.

At objicit Bellarminus. Nisi Tridentina Synodus statuisset singula Sacramenta à Christo immediate instituta fuisse, frustra citatum canonem posuisset; cum nemo unquam dubitaverit, quin saltem mediate Sacramenta à Deo sint instituta.

Præterea sess. 14. can. 1. Concilium sese explicat, dum ait: *Instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum, tanquam vere, et proprie Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum fidelibus commendatum, ac promulgatum.* Ubi profecto promulgatio sola Jacobo, immediata vero Sacramenti hujusce institutio Christo tribuitur.

Denique in sess. 21. cap. 2. declarat, Ecclesiam habere potestatem immutandi ritus Sacramentorum, *salva tamen illorum substantia*; ob id nempe, quod Sacramenta omnia quoad substantiam non ab alio, sed tantum à Christo immediate fuerint instituta.

Resp., neminem sane ex Catholicis dubitasse, quin mediate saltem Sacramenta omnia à Christo fuerint instituta; at id negarunt hæretici. Nam Melanchthon in Locis communibus Confirmationem vocat *ceremoniam otiosam*, et Calvinus in lib. 4. Instit. c. 19. §. 17. pœnitentiam dicit esse *mendacium et imposturam*, et ut alios omittamus, Lutherus in lib. de Captivit. Babyl. Unctionem extremam *deliramentum* appellat. Contra ejuscemodi ergo blasphemias Sancta Synodus definivit, quod Sacramenta omnia à Christo sint instituta; quatenus nullum eorum est superstitiosus ritus, nullum impostura, nullum inane vanumque figmentum: de immediata autem institutione nullam edidit fidei definitionem.

Ad 2. eadem responsio est. Cum enim Lutherus assereret Unctionem extremam institutam à Jacobo Apostolo, aut ab Ecclesia, *propria auctoritate*, Tridentini PP. rectissime docuerunt illam à Christo institutam, et à Jacobo Apostolo promulgatam; quoniam nec Jacobus, nec quispiam alter propria auctoritate Sacramentum istud invexit. Hæretici enim, ut Extremam Unctionem facilius eliminarent, Sententiarum Magistro hanc impegere calumniam, quod opinatus sit, Jacobum suomet libito, non Spiritu Sancto dictante Unctionem ipsam induxisse; quam calumniam expungit Controv. 10. Albertus Pighius, demonstrans quomodo veteres Scholastici, qui putarunt Sacramenta aliqua ab Apostolis instituta, rati nunquam fuerint, quod hoc præstiterint ex seipsis, nullaque à Domino potestate suffulti.

Ad 3. Citato in loco Synodus Tridentina declarat, in Sacramentis posteaquam instituta sunt, non posse immutari substantiam, sed cæremonias dumtaxat et ritus, ipsis Sacramentis permanentibus, quæ cum plurimum sint necessaria, in desuetudinem, cum ritibus antiquitatis, abire non possunt: num vero primum Sacramenta à

Christo immediate sint instituta, Tridentina Synodus eo in loco, expressa saltem definitione, nequaquam affirmat.

Ut denique ad id responsum damus, quod quærere Scholastici consueverunt, num videlicet simplici creaturæ possit communicari potestas instituendi Sacramenta, notamus, quod triplex hac in re potestas passim distinguatur in Scholis. Prima dicitur *auctoritatis*, quæ virtutem importat conferendi sensibilibus signis vim gratiæ productivam. Et hæc quidem potestas Dei propria est, neque potest alicui creaturæ communicari: solus enim Deus potest sensibili elemento talem conferre virtutem, ut corpus tangat, animamque sanctificet. Cum enim gratia sanctificans animam sit participatio divinæ naturæ, sitque arrha Spiritus Sancti, ac pignus cœlestis hæreditatis; nemo præter Deum nos valet ad consortium divinitatis evehere, nobisque tribuere Spiritum Sanctum, ac pignus, et arrham gloriæ, quæ à Dei beneplacito et promissione dependet. Hinc etsi creatura talem à Deo facultatem acciperet, ut statueret Sacramentorum symbola, atque pro arbitratu suo materiam determinaret, formamque præscriberet; semper tamen Deo tribuenda foret virtus supernaturalium donorum effectrix.

Altera potestas *excellentiae* dicitur, sive *ministerii principalis*; quæ potestas Christo ut homini competit, et in eo consistit, quod in Sacramentis Christus suis meritis operetur, ut nempe de condigno gratiam mereatur: 2. quod eadem Sacramenta in Christi nomine celebrentur: 3. quod potuerit Christus Sacramentorum effectum absque ullo sensibili signo conferre. Hæc potestas adæquate sumpta creaturis communicari non potest. In ipsa enim hypostatica unione fundatur, et satisfactionem infiniti pretii præsupponit, per quod Christus omnia nobis gratiarum dona de condigno potuit promereri. At si inadæquate sumatur, communicari ipsam creaturis posse omnino nihil vetat. Nam quod invocato creaturæ nomine conferantur Sacramenta, Deum posse docuit Augustinus tract. 5. in Joan. n. 7. scribens: *Potuit Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, et transferre à se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo, et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo.* Et paulo post: *Intendite: Potuit hanc potestatem servis dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, idest, ut et ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent servi.*

Neque repugnat, quod creatura per acceptam à Domino potestatem alicui sensibili signo gratiam alligaret, cum illa hanc gratiam nequaquam efficeret. Posset etiam creatura absque visibilium Sacramentorum adminiculo gratiam ceteris impertiri, non quidem tanquam causa princeps, sed tanquam à suprema dependens: qua

sane in re nihil contradictionis apparet. Non enim absolute potestas isthæc meritum exigit infinitum, cum Deus gratiarum suarum Dominus, eas possit, quando, et quomodolibet ei placuerit, dispensare. Sicut ergo poterat per nudum hominem universos redimere, non tamen præscripta rigorosa satisfactione illa, quam exhibere non poterat, nisi Deus-homo, Christus Jesus; ita potuisset etiam puræ creaturæ largiri facultatem instituendi Sacramenta, non ita tamen, ut creatura illa gratiam ceteris conferendam eo promereretur pacto, quo eam Dominus Jesus, Deus-homo promeruit.

Tertia tandem potestas est *puri ministerii*, quæ delegata est ministris Ecclesiæ, et per quam illi Sacramenta à Domino Jesu instituta parant, efficiunt, ac dispensant. Atque de hac potestate inferius è vestigio disseremus. Majoris autem claritatis causa de hoc postremo quæsito legi poterunt S. Thomas in p. 3. q. 64. qq. 2., 3. et 4. S. Bonaventura in 4. d. 5. a. 3. q. 1. et Ven. Scotus in 4. d. 11 q. 3.

CAPUT IX.

De Sacramentorum Ministris.

Hucusque de Sacramentorum institutione et auctore tractavimus, nunc oportet, ut de eo eorundem ministris agamus; qua in re neque nobiscum, neque secum invicem concordant hæretici. Lutherus enim in lib. de Abroganda Missa privata impudentissime ac mendacissime scripsit: *Ego non dicam quod Papistae dicunt, nullum Angelum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse: sed contra dico, si diabolus ipse veniret, et ego postea rescirem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiae specie hominis vocatum ad praedicandum, et publice in Ecclesia docuisse, celebravisse Missam, et absolvisse à peccatis, et tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, verum Sacramentum corporis, et sanguinis Christi nos accepisse.* Quibus sane verbis pestilentissimus hæresiarcha plures immiscet errores; duosque præsertim hoc in capite refutandos; primum nempe quod hominibus, et dæmonibus ex æquo ministerialem potestatem Sacramentorum attribuat: 2. quod omnem hominem indiscriminatim singula Sacramenta conficere posse pronunciet.

At contra Calvinus in lib. 4. Instit. c. 15. et in Antidoto Concilii Tridentini ad canonem 10. sessionis 7. iis tantum, quibus Christus ministerium commisit, non solum in Eucharistia, verum etiam in Baptismo competere autumat legitimi dispensatoris officium; adeo nempe, ut laici, ac præsertim mulieres, neque urgente necessitate possint Baptisma conferre. Hunc Calvini errorem in sequenti libro refellemus, interea contra Lutherum sit

Propositio 1. Solus homo viator est ordinarius Sacramentorum minister.

Probatur ex Scripturis, quæ passim affirmant, non aliis quam hominibus, iisque viatoribus, facultatem administrandi Sacramenta à Christo fuisse collatam. Solis namque hominibus dictum est Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filiii, et Spiritus Sancti.* Et Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Joan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Item Apostolus non alios, quam homines designavit in 1. ad Cor. c. 4. v. 1. scribens: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Et in 2. ad Cor. c. 3. v. 6. *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Item Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: &c.* Cum ergo hæc nullibi de Angelis, solutisque à corpore animabus dicta legantur, dicendum profecto est, solos homines, et quidem in corpore viventes, ordinarios Sacramentorum esse ministros: quod potest et aliis Scripturarum textibus facillime comprobari.

Id præterea demonstratur ex Patribus, qui Sacerdotes plurimum honorandos esse testantur, ex quo eorum potestas neque Angelis, neque Archangelis sit collata. Omnium instar sit Chrysostomus, qui in lib. 3. de Sacerdotio ita scribit: *Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea, quae in coelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: Quaecunque ligaveritis in terra, &c.*

Suffragatur et ratio. Nam cum Ecclesia sit visibilis, cumque Christus Dominus sensibilibus etiam signis ad fovendam Christiani populi unionem alligaverit sanctificandi virtutem; congruum idcirco fuit, ut pariter hominibus in corpore viventibus Sacramentorum ministerium crederetur. Unde Ven. Scotus in 4. d. 6. q. 1. a. 3. scribit: *Congruum est ab homine viatore conferri baptismum, et non ab Angelo aliquo; tum quia Christus, qui instituit, homo fuit: tum quia in Sacramento est aliquid sensibile, et aliquid spirituale; et per consequens magis congruit ministro utenti sensu, et intellectu, quam pure intellectuali; et tertio quia per susceptionem baptismi adscribitur aliquis, ut sit membrum Ecclesiae militantis; ergo congruum est hoc fieri per aliquem in illa Ecclesia.*

Propositio 2. Possunt SS. Angeli, et Justorum Animæ in Cœlo regnantes per extraordinariam potestatem Sacramenta conficere.

Probatur ex S. Thoma in p. 3. q. 64. a. 7. ubi ait: "Tota "virtus Sacramentorum à passione Christi derivatur, quæ est Chris-

» ti secundum quod est homo, cui in natura conformantur ho-
» mines, non autem Angeli: sed potius secundum passionem di-
» citur modico ab Angelis minoratus, ut patet Heb. 2. et ideo
» ad homines pertinet dispensare Sacramenta, et in eis minis-
» trare, non autem ad Angelos. Sciendum tamen, quod sicut
» Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine
» Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtu-
» tem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis
» possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Et quia bo-
» ni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministe-
» rium à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia
» deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quædam tem-
» pla dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si vero dæmones, qui
» sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhibe-
» rent, non esset ratum habendum."

Sed et Augustinus in lib. 2. contra epistolam Parmen. c. 15. inquit: *Nemo accipit sine dante; sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, et homo qui accipiat, sive per seipsum donante Deo, sive per angelum, sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sicut per Joannem, sive per hominem iniquum, &c.*

Hinc recensent historiæ, Angelos aliquando non solum Sacramenta dispensasse, verum etiam confecisse. Narrat enim Nicephorus Callistus in lib. 11. cap. 20. S. Amphilochium fuisse in Episcopum ab Angelis consecratum. Referunt item non ignobiles Auctores, S. Augustinum quandoque de cœlis descendentem sacra peregisse. Tradunt præterea eximium Ecclesiæ Doctorem S. Bonaventuram, aliosque nonnullos sacra ab Angelis Synaxi fuisse refectos: aliaque ejusecemodi gesta narrantur, quibus apparet, SS. Angelos, Animasque beatas fuisse extraordinarios Sacramentorum ministros, ea conficiendo, vel saltem tantummodo dispensando.

Propositio 3. Singuli homines non sunt quorumlibet Sacramentorum ministri.

Probatur. Admittendum in Ecclesia est Presbyterorum ministerium, et Ordinis Sacramentum, scribente Apostolo, quod in Ecclesiæ corpore diversorum officiorum exercitium diversis committatur hominibus, *ut non sit schisma in corpore*, in 1. ad Cor. 12. 25. et quod idcirco constituti in Ecclesia sint Pastores, et Doctores à plebe diversi, *in opus ministerii*, *in aedificationem corporis Christi*, ad Ephes. 4. 12. et quod ille dumtaxat hunc sibi honorem jure vindicet, *qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*, ad Heb. 5. 4. Atqui si quilibet homines eandem in Sacramentorum administrationem potestatem haberent, non esset in mystico Ecclesiæ corpore membrorum actuumque discrimen, omnesque sibi honorem assumerent, etiamsi vocati à Deo non essent.

Deinde, in veteri lege, in qua imperfectiora erant Sacramenta, non omnes etsi circumcisi essent, ea poterant ministrare, sed so-

tummodo Sacerdotes. Hinc severe punitus est Rex Ozias, quod sacerdotale munus usurpare fuisset ausus, eidemque Sacerdotes constantissime restiterunt, ajentes, in 2. Paralip. c. 26. v. 18. *Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de Sanctuario, ne contempseris.* Multo ergo magis in nova lege, in qua Sacramenta sunt sanctiora, arcendi à sacro ministerio sunt, qui ad illud speciali vocatione ac consecratione non assumuntur, quamvis illi fuerint baptizati.

Et hæc sane fuit semper perpetua ac constans Ecclesiæ fides, et praxis; ideoque Osius Cordubensis Episcopus apud Athanasium ad Constantium Imperatorem ita scribebat: *Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes: sed à nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis Eccesiastica concredidit.*

Hanc denique Ecclesiæ fidem verbis hisce exprimit, declaratque Synodus Tridentina in sess. 7. can. 10. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Objicies 1. contra 1. propos. Judas, qui diaboli membrum erat, Sacramenta confecit: ergo id ipsum præstare poterit diabolus caput hominum reproborum.

Deinde SS. Angeli *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis:* Hebr. c. 1. v. 14. Ergo poterunt illi ad animarum salutem Sacramenta conficere.

Postremo Beatorum Animæ retinent sacri Ordinis characterem: non ergo illis deneganda videtur potestas Sacramenta administrandi.

Resp. ad 1. Judam aliosque reprobos hic viventes non habere potestatem administrandi Sacramenta, prout per malitiam sunt membra diaboli; sed prout instrumenta sunt Christi, qui sua Sacramenta non per bonos solum, sed et per malos homines voluit ministrari, si ad hoc rite ab Ecclesia fuerint ordinati.

Ad 2. Angeli *administratorii spiritus* appellantur, quia sunt Dei nuntii, hominumque custodes, ac inferiores Filio, cujus majestatem eo in loco commendat Apostolus: atque nos adjuvant precibus, monitis, patrocinio, non autem Sacerdotale officium exequendo.

Ad 3. Sancti, si destituti sunt corpore, ad visibilem non spectant Ecclesiam, et sacri Ordinis characterem non ad ministerium retinent, sed tantummodo ad ornatum. Si vero divinitus illi resurgerent, aut in assumpto corpore huc descenderent, essent ordinarii Sacramentorum ministri; juxta scilicet probabiliorem quorumdam Theologorum opinionem, quamvis alii oppositum tueantur.

Objicies 2. contra 2. propos. Angeli proprie non loquuntur: ergo sensibilem Sacramentorum formam proferre non possunt.

Resp. Angelos in assumptis corporibus vere ac proprie loqui,

si locutionis nomine sensibilem verborum sonum, eorumque significationem intelligas. Nam ea verba, *Ego te baptizo*, prout elevata sunt à Deo, significant internam animæ ablutionem, sive ab Angelo, sive ab homine proferantur. Quamvis loqui per animata organa nequeant Angeli, sed solus id possit homo; ut etiam Aristoteles inquit in lib. 4. de Hist. Animal. c. 9.

Hic autem de malis Angelis notandum est, quod in loco supra citato ait Scotus: "Si etiam malus Angelus in corpore assumpto » baptizet, et constet, quod esset de præcepto Dei; talis habendus » esset pro baptizato: quia oportet malum Angelum etiam invitum » obedire Deo. Sed non esset sine certa revelatione super hoc ha» bita credendum, quod malus Angelus vere baptizaret; tum quia » Deus non ministrat Sacramenta per exclusos finaliter à salute; » tum quia si non esset arctatus de præcepto divino ad oppositum, » supponendum est semper ipsum fraudulenter agere, nec comple» te facere ea, quæ essent necessaria ad salutem baptizati propter » inimicitiam, quam habet ex invidia procedentem." Ex quibus apparet, 1. Subtil. Doctorem in ea opinione fuisse, quod possit Deus, *absolute loquendo*, præcipere malis etiam Angelis, ut baptisma conferrent, quamvis id juxta ordinariam legem non permittat. 2. patet, quam perperam sycophantæ nonnulli scripserint, eandem Scoti ac Lutheri fuisse sententiam.

Objicies 3. contra 3. propos. Nulla graduum disparitas inter fratres admittitur: atqui Christus est Sacerdos, et eos qui regenerantur, in fratrum suorum numerum recipit; unde Rom. 8. v. 29. dicitur *Primogenitus in multis fratribus*: ergo quilibet baptizatus Sacerdotio fungi potest, et Sacramenta conficere.

Resp., quod neque in bene instituta domo singuli fratres eundem tenent locum; neque adoptio gratiæ, per quam Christo Primogenito nostro cooptamur, tribuit omnibus cum jure ad gloriam etiam regiminis potestatem: sed ut singuli fratres mensæ simul accumbunt, eisque patres familias, aut majores natu alimenta distribuunt, ita omnes Christifideles in una Ecclesia, tanquam in eadem domo degentes, Dominico corpore saginantur; sed laicis Episcopi, ac Presbyteri porrigunt Sacramentum.

Sed dices. Ex Scripturis aperte colligitur, quod in nova lege Fidelis quilibet sit Sacerdos: unde Petrus in epist. 1. c. 2. v. 5. ait: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*: et versu 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c.* Tum Joannes in Apoc. c. 1. v. 6. scribit: *Fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo.*

Resp., Fideles metaphorico solum in sensu vocari Sacerdotes, in quantum Christo nomen dantes sese in Dei cultum consecrant, segregantque à cultoribus idolorum; non quatenus exteriori ritu possint omnes sacrificium offerre et pastoris officium exercere. Nam

si hoc sensu credentes omnes Sacerdotio fungerentur, non dixisset Apostolus ad Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*, neque ad Ephes. 4. scripsisset, quod in Ecclesiæ corpore diversi statuti sint gradus, *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii*: neque tandem Apostoli per manuum impositionem Presbyteros, et Diaconos ordinassent. Hinc bene S. Augustinus in lib. 20. de C. D. c. 10. exponens ea verba Apocalipsis 20. v. 6. *Erunt Sacerdotes Dei*, ait: *Non utique de solis Episcopis et Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis; de quibus Apostolus Petrus, Plebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium.*

Et sane eo loco Petrus non tantum sacerdotii meminit, sed et regni; inquit enim, *Regale Sacerdotium*: sicut igitur Christiani omnes sunt reges, quatenus suis dominentur affectibus, non quatenus rempublicam moderentur, omnesque summorum principum auctoritate sint præditi: ita pariter dicendum est, omnes Christianos esse sacerdotes, in quantum caste viventes corpus suum sacrant in Dei templum, preces offerunt, et opera pietatis exercent; non in quantum evecti ad Ecclesiasticam Hierarchiam, verbi sacrorumque mysteriorum habeant potestatem, omnesque sacerdotali charactere sint insigniti.

Postremo citatis Petri verbis simillima sunt, quæ ad filios Israel Dominus per Moysen ait Exodi 19. v. 6. *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta*; et tamen non inde deducitur in veteri lege omnes promiscue ad Sacerdotale ministerium fuisse provectos, immo à Deo puniti sunt laici sacrorum sibi ministerium arrogantes, ut contigit Sauli, Oziæ, et aliis. Ex Petri itaque verbis nequaquam infertur illa fictitia, communisque potestas sacra mysteria peragendi.

Objicies 4. Christus in ultima cœna omnibus fidelibus in persona adstantium Apostolorum ait, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tum Matth. 28. v. 19. inquit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Sed omnes prorsus fideles sunt idonei ministri Baptismatis; ergo et verbi, omniumque Sacramentorum: Præterea Christus in Ecclesia sua non patitur istud Pastorum plebisque discrimen, sed præcepit Apostolis Matth. 20. v. 26. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.*

Resp. ad 1. non sequi ex laudatis Christi verbis, quod possit quilibet fidelis Eucharistiam consecrare; cum illa ad omnes promiscue fideles minime dirigantur. Tunc enim Christus cum solis Apostolis segregato in loco cœnabat: neque Apostolis universa Christianorum multitudo successit; quippe cum esset, damnato Juda, ipsorum numerus integrandus, ad hanc dignitatem aditus cuique non patuit, sed Apostolorum suffragiis designati sunt duo, Barsa-

bas scilicet et Matthias, et is tantum accepit Apostolatum, de quo prævaricatus est Judas. Tum Paulus, et Barnabas non humano judicio, sed per Spiritum Sanctum, ad exercendum Apostolicum ministerium segregati fuerunt. Denique crescente credentium numero, non à cœtu fidelium, sed ab Apostolis ordinati fuere Presbyteri, Diaconi, aliique Ministri, necessarii ad Ecclesiasticam Hierarchiam. Hinc Synodus Tridentina in sess. 22. cap. 1. docet, Christum Dominum per ea verba: Hoc facite in meam commemorationem, *Apostolis suis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepisse.* Ex eo igitur testimonio aperte consequitur, laicis convenire non posse ministerium consecrandi.

Ad 2. Per ea verba, *Euntes docete &c.* denotantur utique duo munera pastoralis officii; potestas nempe doctrinæ, et administratio Sacramentorum; quæ duo omnibus Episcopis et Pastoribus esse communia, ultro concedimus: inde tamen concludi recte non potest, aut utrumque munus singulis commissum esse fidelibus, aut baptismi ministerium, quod summæ necessitatis est, ab Episcopis et Pastoribus etiam laicis non posse committi. Non enim dictum est, *Baptizent, et doceant promiscue omnes*, neque, *Baptizate, et nemo alius baptizet*: sed Dominus in docendi munere, et in Sacramentorum administratione functionem Apostolicam comprehendit; non expressis, neque denegatis ceteris, quæ Apostolorum auctoritati crediderat. Enimvero priusquam Christus discipulos mitteret in universum mundum, Petro tradiderat claves regni cœlorum, et ligandi atque solvendi plenissimam auctoritatem, Ecclesiasticam Hierarchiam instituerat, contulerat Sacerdotibus potestatem remittendi peccata, Ecclesiamque formaverat optimis institutis; quæ simul ad memoriam revocans inquit: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

Ad 3. Christus eo in loco humilitatem commendat, Ecclesiasticam autem Hierarchiam nequaquam evertit. Vide quæ dicta à nobis sunt in lib. 15. c. 10. dum diluimus argumentationem secundo loco propositam.

CAPUT X.

De intentione, quae in Ministro requiritur, ut Sacramenta perficiat.

Intentionis nomen nihil aliud hoc in loco designat, quam voluntatis propositum, ac deliberationem, qua Minister id facere vult quod Christus instituit, et usurpat Ecclesia. Hanc Lutherus, Calvinus, eorumque sectarii in Ministro Sacramentorum nequaquam requiri contendunt; ita nempe ut ille licet per jocum et irrisionem non tantum internam ac latentem, sed externam etiam ac manifestam Sacramenta conferret; nihilo tamen minus ea revera per-

ficeret, dummodo materiam apponeret, ac verba ex Christi praescripto pronunciaret.

Inter Catholicos autem Ambrosius Catharinus, aliique Recentiores affirmant, nihil obesse Sacramentorum virtuti, si Minister occulta mente gerat intentionem Ecclesiæ contrariam, animoque intendat irrisorie Sacramenta conficere; dummodo intendat externum ritum facere, idest adhibere materiam, et verba proferre; et dummodo exterius serio, omnique remoto joco se gerat. Hinc Theologi isti ratum habent Sacramentum illud, in quo Minister apud se decernit dicens, *Nolo baptizare, nolo consecrare, nolo absolvere, nolo facere hunc ritum ut sacrum, nolo esse Sacramentum*; sive quamvis interius intentionem suam retineat, geratque in animo voluntatem omnino contrariam, modo occulta sit, nulloque exteriori signo se prodat. His autem positis, sit

Propositio I. Ut ratum sit Sacramentum, requiritur in Ministro intentio, qua proponat id facere quod facit Ecclesia; ita ut Sacramenta non valeant, si exteriori joco, omnibusque nota ludificatione conferantur.

Probatur. Apostolus in 1. ad Cor. c. 4. v. 1. ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Atqui minister ac dispensator humano modo agere debet, et cum advertentia rationis; neque ut Christi ministrum se gereret, qui ejus mysteria deridendo ac subsannando, exterius etiam dispensaret. Quis enim dixerit se ut ministrum Regis gerere hominem, qui histrionis indutus veste, aut in theatro insaniens, aut inter pocula ludens, Principis nomine dispenset munera, et pacis belique jura subsannatione pronunciet?

Ecclesiæ etiam definitionibus catholicum dogma munitur. Ac primo Constantiense Concilium celebratum anno 1418. intentionis necessitatem supponit, dum sess. 45. Martini V. Constitutione praescribit, ut de hæresi Wicleffi suspectus specialiter interrogetur. *Utrum credat, quod malus Sacerdos, cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia Saramenta.*

Tum Florentina Synodus, et Eugenius IV. in Decreto unionis anno 1439. veterem communemque Ecclesiæ sententiam proponendo scripserunt: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

Denique Synodus Tridentina anno 1547. in sess. 7. can. 11. ait: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Multiplex quoque ad id probandum adest ratio, ac illa præsertim, quam S. Bonaventura recenset in 4. d. 6. p. 2. a. 2. q. 1. "Ad

» Sacramentum necessaria est intentio, et institutio. Ad hoc enim
» quod sit Sacramentum, necesse est, quod forma, et elementum
» ad unum ordinentur: hoc autem non est ex se, cum forma, et
» elementum indifferentia sint ad multa: ideo superveniat institutio
» Christi, quæ formam, et elementum ordinavit ad aliquem effec-
» tum determinatum et signatum. Sed tamen institutio etsi verba
» ordinavit ad unum, non tamen arctavit: quia ad alios usus pos-
» sunt sumi, et sumuntur: et ideo ad hoc, quod ordinentur ne-
» cessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo
» actu, et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit Ec-
» clesia facere, vel saltem quod Christus instituit dispensare: alio-
» quin verbum et elementum ut disjuncta, vel ad aliud juncta, ta-
» lem effectum non faciunt."

Deinde Sacramentorum ministri sunt quidem Christi instrumenta, sed viva, et libera, sensuque ac ratione pollentia: At ejuscemodi instrumenta ita à causa principali moventur, ut eadem quoque moveant seipsa. In conficiendis itaque Sacramentis (uti etiam horum sanctitatem, atque institutionem decet) debent se Ministri ad agendum intentione consilioque movere.

Præterea si vera esset hæreticorum oppinio, plura consequerentur absurda, ac 1. Patet puerum ducens ad balneum ob solam munditiem aut corporis sanitatem, si dum illum immergeret, more Christiano, invocatoque nomine Trinitatis eundem tingeret, Deum rogans ut bene ei cederet corporalis ablutio, nihil vero cogitans de baptismo, infans revera baptizatus esset: idemque contingeret, si in prætereuntem catechumenum stultus ad hominem irrigandum aquæ lagenam è fenestra profunderet, baptismi formam joco pronuntians.

2. Sequeretur, quod Sacerdos mensæ assidens, atque ut in Monachorum conventu fieri solet, perlegens Evangelium, dum proferret quæ ibidem de institutione Eucharistiæ Cœnæ sunt scripta, panes omnes appositos, vinumque profusum in phialas consecraret, etiamsi consecrandi intentionem nequaquam haberet.

3. Consequens esset, quod cum quis ancillam conducens, diceret, *Accipio te in meam*, subintelligendo *famulam*, non *uxorem*: et ancilla reponeret, *Accipio te in meum*, subintelligendo *dominum*, non *maritum*, jam matrimonium factum esset: idemque contingeret in theatro, dum à solutis matrimonia mimice celebrantur.

Proposito 2. Ut validum sit Sacramentum, in Ministro requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, non mere *materialiter*, idest faciendi actionem illam externam, quam Ecclesia facit; sed *formaliter*, idest faciendi actionem illam, ut sacram. Unde si quis exterius serio omnia perageret, quæ ad conferendum Baptisma sunt peragenda; interius tamen contrariam intentionem haberet, ac intra se diceret, *Nolo hac actione facere, quod facit Ecclesia*, puta, *Nolo baptizare*, irritum redderet Sacramentum.

Probatur. Ad Sacramenti valorem ea requitur intentio, qua Mi-

nister seipsum Christo Sacramentorum Auctori conformet, et qua res ac verba ex se indifferentia ad sacrum ritum usumque determinet: atqui ejuscemodi intentionem non habet Minister, qui externam dumtaxat actionem vult facere, quam facit Ecclesia. Christus enim dum Ministris suis facultatem dispensandi Sacramenta concessit, profecto voluit, ut illi baptizarent, peccata remitterent, ac pro eorundem remissione orarent; ut Eucharistiam in sui memoriam perficerent, ut conjugali vinculo contrahentes in Domino conjungerent; &c. At ille equidem non baptizat, qui baptizare non vult, sed baptismi ritum vult tantummodo simulare: neque peccata remittit, qui animum ea remittendi non habet: neque orat, qui interius propositum servat orationi contrarium: neque Eucharistiam in Christi memoriam celebrat, neque in Christi persona verba ista profert: *Hoc est corpus meum*, qui non intendit id facere, quod Christus fecit; ac pure *materialiter* laudata verba pronuntiat. Neque tandem contrahentes conjugali vinculo ligat, qui detrectat renuitque ligare; maxime si contrahentes ipsos dixeris Matrimonii ministros, uti multis arridet. Certum est enim, nullum irritumque coram Deo esse Matrimonium sine mutuo et interiori contrahentium consensu peractum; sicuti declaravit Innocentius III. c. *Tua nos*, de sponsalibus et Matrimonio, et c. *Tuas*, de sponsa duorum.

Tum externæ actiones ad varios usus sunt prorsus indifferentes; ideoque etiam ablutio, tametsi fiat cum invocatione Trinitatis, ex se est prorsus indifferens, ut sit divina vel naturalis, ut sit profana vel sacra. At quod suapte natura, indifferens est, per aliquid aliud determinari debet ad unum. Ergo ritus externus, ut sit sacramentalis, debet per aliquid determinari. Id autem aliud esse non potest, quam intentio peragendi rem sacram. Huc faciunt quæ supra ex S. Bonaventura retulimus, quæque habet S. Thomas in p. 3. q. 64. a. 8. scribens: *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quae in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquae quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi: ideo oportet, quod determinetur ad unum, idest ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: et haec intentio exprimitur in verbis, quae in Sacramentis dicuntur.*

Deinde Concilia superius laudata præter materiam et formam, ad perficiendum Sacramentum uti necessariam requirunt *intentionem faciendi, quod facit Ecclesia*. Ergo præter positionem externi ritus requirunt interioris animi deliberatione diversam à deliberatione exercendi ipsum ritum externum. Probatur consequentia: Ut enim scribit Catharinus in Opusculo *de intent. ministri*, intentio ponendi ritum externum inseparabilis est ab actu, quo legitima materia, verborumque forma servatur: *Nam hoc si facit minister, profecto illud facere intendit, si sit mente sanus. Quis enim vigi-*

hunt faciat aliquid, quod facere non intendat? Atqui Concilia præter hanc externi ritus observationem, expresse requirunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Quare Eugenius in Instructione Armenorum ait: *In casu necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Ergo Concilia præter intentionem à celebratione externi ritus inseparabilem, necessariam existimant intentionem internam, et peragendi rem sacram, quæ potest ab externo ritu sejungi.

Huc accedit quod Tridentina Synodus in sess. 14. c. 6. definit non perfici Pœnitentiæ Sacramentum, *si Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit.* Ac proinde Œcumenica Synodus duo in Sacerdote requirit, videlicet *animum serio agendi, et animum vere absolvendi.* Atqui per animum *serio agendi* nequit Sancta Synodus aliud intelligere, quam intentionem peragendi serio ritum externum. Ergo per animum *vere absolvendi* intelligit intentionem aliquam diversam ab intentione, qua ritus externus serio peragatur. Hæc autem intentio quænam erit, nisi intentio faciendi ritum ut sacrum, sive faciendi Sacramentum ut Sacramentum?

Tandem, ut brevitatis gratia momenta alia sileamus, thesis ista firmatur auctoritate Alexandri VIII. Summi Pontificis, qui inter multas propositiones hanc numero 28. die 7. Decembris anno 1690. condemnavit: *Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo facere, quod facit Ecclesia.* In qua utique proscripta propositione supponitur, quod Minister serio externum Baptismi ritum observet: alioquin frustra novo anathemate propositio illa confixa esset, cum nullus ex Orthodoxis affirmet, valere baptisma exterius per jocum, irrisionemque collatum. Damnata igitur est propositio, prout exprimit animi obluctationem, oppositamque intentionem, non exteriori ludificatione patentem, sed secreta fraude animoque conceptam: hinc non uno, sed tribus vocabulis, illa sola interior obluctatio designatur, *Intus*, *In corde suo*, *Apud se.*

Propositio 3. Ut validum sit Sacramentum, non oportet, ut Minister intendat illius effectum, vel in animo habeat illud peragere, quod solemni ritu fit in Romana Ecclesia, vel explicite credat ritum illum revera salutiferum esse et sacrum: sed sufficit, si facere id proponat quod in Christi Ecclesia solemni more perficitur, qualiscunque tandem Ecclesia illa sit, ac sive apud Catholicos, sive apud hæreticos permaneat, et qualiacunque sint illius Ecclesiæ mysteria, sive efficientia gratiam, sive fidei argumenta, sive symbola prorsus inania.

Probatur. Ratum habetur baptisma à Judæo vel à Pagano collatum, modo tanquam Ecclesiæ ministri se gesserint; ut afirmat Ni-

colaus II. ad Consulta Bulgarorum c. 104: extatque in cap. *A quodam* dist. 4. de Consecrat. Constat etiam ex Ecclesiæ praxi, rebaptizandos non esse, qui à Novatorlbus sacro lavacro tinguntur; quamvis hi negent per baptisma characterem gratiamque conferri, neque intentionem habeant baptizandi in remissionem peccatorum. Hinc S. Augustinus in lib. 7. de Baptismo c. 53. docet, ratum esse baptismum, sive in catholica Ecclesia, ille accipiatur, sive ubi ab hæreticis Catholica Ecclesia esse putetur, dummodo Evangelicis verbis fuerit consecratum. Neque ex eo firmatur, quod dum peragitur determinatum opus, quod suapte virtute producit effectum, non requiritur, ut agens perspectam habeat ejusdem operis efficaciam, neque explicite effectum intendat. Lege S. Bonaventuram in 4 d. 6. p. 2. a. 2. q. 2.

Objicies contra 1. propos. S. Augustinus tract. 5. in Joan. n. 18. loquens de baptismi ministro ait: *Non timeo adulterum, non ebrium, non homicidam, sed columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat.* Hæc Augustini verba referuntur, de Consecrat. dist. 4. cap. *Baptismus.* Atqui in ebrio nulla esse potest intentio.

Deinde idem S. Doctor in lib. 7. de Baptis. c. 53. scribit, quod si in baptismo *totum ludice et mimice, et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censeret.* Exploratum ergo non est, irritum esse baptismum mimice, et sine intentione collatum.

Tandem Chrysostomus hom. 85. in Joan. affirmat, quod in Sacramentis *Pater, Filius, et Spiritus Sanctus omnia facit: Sacerdos et linguam et manus praebet.* Qui vero ita se gerit, intentionem necessario habere non debet. Hinc subdit S. Doctor: *Neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostrae symbola fide accedentes offendi.* Sicut igitur ex hac ratione deducitur, necessariam in Ministro non esse probitatem; ita quoque colligitur, intentionem in ipso necessario non requiri. Quapropter ibidem Chrysostomus impium Sacerdotem comparat asinæ Balaam, per quam locutus est Dominus; eademque similitudine alii Patres utuntur, et maxime Isidorus Pelusiota in epist. 37. lib. 2. Quis autem in asina illa intentionem finxerit extitisse?

Resp. in 1. Augustini testimonio legendum non esse *ebrium*, sed *ebriosum*, ut in emendatis Decreti editionibus habetur; nempe in Romana anni 1582. in Lugdunensi anni 1717. et in Romana altera anni 1726. atque ita legitur in Augustino Glossa quoque Decreti ibidem ait: *Consuetudinem notat hoc nomen, non actum.* Cum vitiosa autem sese inebriandi consuetudine non repugnat intentio, animique propositum.

Ad alterum ejusdem S. Doctoris textum asserimus, jam prodiisse oraculum ab Augustino desideratum; definitiones nempe Con-

ciliorum Florentini, et Tridentini, à quibus statutum est, quod Sacramenta sine intentione, vel mimice, aç joco collata non valeant. Quare hæc controversia, quæ Augustini tempore judicium expectabat, modo finita est. Reponi præterea potest cum S. Bonaventura in 4. d. 6. p. 2. dub. 4. quod *velle dare ludice est duobus modis. Uno modo velle ludere, ita quod nullo modo vult dare. Alio modo ita quod vult ludere, et nihilominus vult dare. Et primo quidem modo excludit intentionem: et qui sic dat ludendo, non dat. Secundo modo ponit intentionem dandi, et vere dat. Sic in proposito intelligendum: unde potest esse intentio cum ludo. Et ideo dicit Augustinus, Implorandum esse divinum consilium. Quod si Dominus non revelaret, rebaptizandus est tamen sub conditione.*

Ad 3. Chrysostomus verbis illis ostendit, solum Deum in Sacramentis uti principalem causam agere, Sacerdotes autem esse dumtaxat instrumenta; unde horum improbitas Sacramentorum virtutem impedire non potest: *Quidquid enim* (inquit) *habet Sacerdos, solius Dei donum est.* At Sacerdotes cum instrumenta sint rationalia et libera, debent per intentionem ac consilium operari.

Neque de intentione, ac de probitate par ratio est. Nam si Ministri sanctitas requireretur ad Sacramenti valorem, cum mali sint plurimi, imo cum in hac vita nemo sit certus, an bonus sit, vel malus; de Sacramentorum omnium validitate incerti semper essemus: at intentio facillime omnibus adest, neque dubitandi motivum occurrit, quod quis, dum agit, nolit agendi intentionem habere. Tum æquum est, ut Sacramenta ab ea qualitate non pendeant, quæ ministerio necessaria non est; cujusmodi profecto est sanctitas. At intentio necessario in Ministro requiritur, ut humano ille modo se gerat.

Denique Sacerdotes asinæ Balaami non ideo comparantur, quod omnino brutorum instar agant, ac sine deliberatione verba pronuncient, et sacra officia exequantur; sed ut ostendatur, eorum potestatem à Deo descendere, qui per malos etiam ministros Sacramenta conficit, et gratiam elargitur.

Objicies 2. Si Sacramentorum valor à Ministri intentione penderet, semper de justificatione nostra dubitare possemus; cum introspicere nemo possit intentionem in Ministrorum animo latitantem.

Deinde elementum, si ei verba accedant, absque ulla ministrantium intentione est signum sensibile; ergo est etiam Sacramentum. Unde Augustinus tract. 8. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

Resp. ad 1. nos alibi hæreticorum errorem de justificationis certitudine refutasse, ac illud Apostoli monitum mente retinere, quod legitur ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Nimiam vero animi nostri anxietatem temperamus intuitu Divinæ misericordiæ, et passionis Christi, necnon ob-

servatione præceptorum, et cura partes nostras implendi. Moraliter etiam certi esse possumus, quod Ministri intentionem habeant faciendi quod facit Ecclesia; cum, ut supra etiam dictum est, intentio facile possit haberi, eamque non habere summæ sit pravitatis, quam in Ecclesiæ Ministris invenire tam facile non contingit. Et quamvis contrarium sit possibile, hujusmodi tamen absoluta possibilitas non potest, nec debet humanam moralemque certitudinem perturbare.

Ad 2. cum S. Bonaventura in supra citato loco reponimus, quod cum elementum, et verbum ex sese sit ad plures usus indifferens, *non accedit unum ad alterum, nisi adsit intentio jungens.*

At dices. Sacerdotes non solum Sacramentorum, sed et divini verbi sunt dispensatores: atqui nulla intentio ad efficientiam verbi requiritur: ergo neque illa requiritur ad Sacramentorum validitatem.

Et sane Minister Regis per solam litterarum exhibitionem suum explet officium: ergo et Sacerdos, qui *legatione pro Christo* fungitur, per solam divinorum symbolorum exhibitionem ministerium suum adimplet.

Resp., quod verbum inter et Sacramentum sit lata disparitas. Verborum enim efficacia in sacris concionibus consistit in sola significatione verbis indita, neque illa alium sortiuntur effectum, nisi audientium animum excitandi ad fidem, ad contritionem, ad christianas alias virtutes; et ideo quomodocunque proferantur, habere possunt sibi propriam efficientiam, quoniam absque proferentis intentione unum idemque significant. At verba, quibus conficitur Sacramentum, practica sunt, et præter significationem habent insuper efficientiam aliam, gratiamque producunt; cumque istiusmodi verba, ut liquet in Judicis absolutione, et in Regis Edicto, sint nulla, quando absque libertate et consilio pronuntiantur, uti à Judice temulento, aut à Rege somniante; idcirco verba constituentia Sacramentum, proferenda sunt actu humano, animique proposito.

Ad id quod additur, respondemus, distinguendos esse Principum ministros. Quibusdam enim solum imponitur præceptum exponendi Principis voluntatem, ut est Nuntius, qui tantum nuntiat, et fisco prodit, de quo lib. 1. §. ult. D. de Jure Fisc. Legatus, qui pro Republica perorat, ut inquit Servus in 2. Æneid., orator propterea dictus: Præco, qui Senatus consulta pandit, aut publice legit, à præcinendo appellatus: atque hi Ministri, dummodo nuntient, orent, clament, suo funguntur officio. Alii autem cum mandato Principis habent potestatem, et jurisdictionem aliquam conjunctam, ut Judex, qui accepta potestate jus dicit, et finit, juxta Varronem lib. 5. de Lingua Latina, Prætor, Proconsul, Vicarius, Præfectus, Magister populi, Dictator, aliique quamplures; et isti in proferenda sententia debent causam cognoscere, et cum intentione munus suum obire. Quis enim sententiam pro-

baret Judicis dormientis? Quis Præfecto, aut Prætori crapula confecto pareret? Quis insanientis Præsulis faceret imperata? Cum ergo Deus Ministris suis contulerit potestatem, uti tum ex aliis Scripturæ textibus, tum ex Christi verbis apparet Joan. 20. v. 22. profecto consequitur, Sacerdotes non esse de illo genere Ministrorum, qui dumtaxat mandata promulgant, sed de eorum genere, qui ratione, et consilio utentes, sententiis verbisque suis tribunt firmitatem. Lege Tridentinam Synodum in sess. 14. c. 6.

Objicies 3. plura exempla ex Ecclesiastica Historia, illudque præsertim, quod tertio Ecclesiæ sæculo Novatianus à tribus Episcopis vino temulentis fuerit ordinatus; et tamen ejuscemodi ordinatio valida fuisse videtur.

2. Alexander Alexandrinus Episcopus ratum habuit baptisma à S. Athanasio adhuc puero sociis suis pueriliter jocando collatum, uti refert Sozomenus lib. 2. H. E. c. 17.

3. S. Genesius cum in theatro nostræ Religionis mysteria mimice repræsentaret, subito conversus ad fidem ab alio mimo baptizatus est; cujus baptismus ratus est habitus, cum non fuerit iteratus.

Resp. ad 1. à Cornelio Papa in epist. ad Fabium Antiochenum, quem Hieronymus de Script. Eccl. Flavianum appellat, irritam nullamque declaratam fuisse Novatiani Ordinationem, quod *homines simplicioris ingenii, temulentos et crapula oppresos, adumbrata quadam, et inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim coegerit*. Extat hæc epistola apud Eusebium lib. 6. H. E. c. 43.

Ad 2. dicimus, quod históría illa non levi apud Eruditos suspicione laboret. Docent enim Pagius ad annum 311. n. 25. et PP. Maurini in Vita Athanasii, Alexandrum anno 313. fuisse renunciatum Episcopum. Nam S. Petrus Alexandrinus ex Eusebio in fine lib. 7. H. E. capite truncatus est *anno persecutionis nono*, idest 311. die 25. Novembris. At Ecclesia Alexandrina post Petri matyrium anno uno vidua permansit: post annum vero renuntiatus est Alexandrinus Præsul Achillas, qui quinque dumtaxat mensibus supervixit; ac tum electus fuit Alexander, ex Gelasio Cyziceno lib. 2. Hist. Conc. Nic. cap. 11. Eo autem tempore agebat Athanasius annum ætatis suæ duodevigesimum, quoniam Episcopus consecratus est anno 326. jam annorum saltem triginta, ex communi fere consensu; nunquam enim ei ab Arianis objectum legimus, quod junior Episcopatum arripuisset, uti de Pauliniano Hieronymi fratre narratur; ác propterea Athanasium natum circa annum 296. recte Recentiores affirmant. Non ergo ille initio Episcopatus Alexandri puer erat, et ideo factum illud in dubium revocant Eruditi, quorum nonnulli ipsum etiam pro puro habent puroque commento.

Quod si factum illud admittere quis voluerit, respondere poterit, Alexandrum, qui sane tali non erat ingenio, ut in se tam seria puerorum ludum ratum haberet, accitos ad se adolescentulos,

eorumque perspecta indole, *putasse ex eo quod gestum fuerat, aliquid singulis praenuntiari*; unde jussit pueros, ac præcipue Athanasium, in Ecclesia educari, et litterarum studiis erudiri. Hæc Socrates in lib. 1. c. 15., nihil habens de probato ab Alexandro baptismate.

Si denique baptismum etiam contenderis ab Alexandro approbatum, adverte, Rufinum primum hujus historiæ Scriptorem narrare in lib. 1. H. E. c. 14. quod Alexander diligenti puerorum interrogatione compererit, quomodo illi *omnia secundum religionis nostrae ritum* servassent; et licet omnia recreationis animo et puerilis oblectationis causa fecissent, habuisse tamen intentionem faciendi *quae per Episcopum in Ecclaesiis geri mos erat*. Quapropter baptismus ille *per ludum* peractus dicitur comparate ad pueriles oblectationes, et ad assumptam ab Athanasio Episcopi dignitatem, non comparate ad ejus intentionem Catechumenos baptizandi.

Ad 3. Genesii quoque baptismum Critici fabellis accensent, 1. ob Scriptorum in facto narrando discordiam; nam Ado Viennensis ait Genesium baptizatum à Christiano Sacerdote in scenam inducto, alii baptizatum tradunt ab alio mimo, alii tandem ab Angelo: 2. ob istiusmodi narrationum ineptias; non enim versimile est, Sacerdotem Christianum mimi rogatu conscendisse theatrum, operamque suam ludentibus locavisse; nec minus est inverisimile, Angelum inter scenicos ludos exercuisse histrioniam, aut admonuisse mimum, ut serio Genesium baptizaret, cum potius illum admonere debuisset, ut à re sacra in theatro facienda caveret. Hinc prudenter in Romano Martyrologio repentina Genesii conversio, ac martyrium describitur die 25. Augusti, prætermissis baptismi ministris. Legitur enim, quod ille *cum in theatro spectante Diocleciano Imperatore mysteriis Christianorum illuderet, à Deo inspiratus, repente conversus ad fidem, baptizatus est*.

Quocunque autem modo se res habuerit, dici potest, quod sicut Genesius ipse licet ab initio joculariter baptismum petiit; in ipso tamen suscipiendi actu, Deo cor ejus tangente, serio se illi subjecit: ita et is qui ad eundem baptizandum fuerat evocatus, si ab initio mimice se gessit, potuit in ipso baptizandi actu subita pietate tangi, et habere veram sinceramque intentionem Genesium baptizandi.

Objicies 4. contra 2. propos. Constat ex veteri et perpetua Ecclesiæ disciplina, sæpenumero pronuntiata fuisse nulla Sacramenta, in quibus debita materia, præscriptaque forma non fuerunt adhibita, necnon quæ ab ebriis et energumenis administrata fuerunt; nunquam tamen pronuntiatum legimus tale judicium, si quis contrariam in mente gesserit voluntatem, serioque perfecerit externum ritum. Dummodo itaque ritus iste celebretur, validum est Sacramentum.

Resp. quod dum decrevit Ecclesia nullum esse Sacramentum jo-

co peractum, dum sancivit requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, dum proscripsit propositionem, *Valet baptismus, &c.* saltem consecutive protulit illa judicium adversus Catharini sententiam: quia revera nec est intentio recta, qua ministrans se Christo, et Ecclesiæ subjiciat, nisi proponat perficere Sacramentum; nec serio fit quod animo obluctante peragitur; nec valet baptismus, cum Minister *intus*, *in corde suo*, *apud se* non baptizare decernit.

Objicies 5. Innocentius IV. scribens in 3. Decretalium cap. *Si quis puerum*, de Baptismo, ait, ratum esse baptisma, etiamsi Minister *contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia.*

Resp. Innocentium significare dumtaxat, quod necesse non sit, ut Minister intendat idem, quod intendit Ecclesia, quantum ad effectum Sacramenti; sed quod satis sit, ut idem intendat quoad sacramentalem actum: uti ex verbis ejus apparet. Ait enim: *Non est necesse, quod baptizatus sciat quid sit Ecclesia, quis baptizatus, et unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.* Quæ quidem postrema verba intentionem faciendi rem sacram evidenter ostendunt.

Præterea ibidem hæc subjicit Innocentius: *Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus, vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, et dicat, Baptiza me, et doceat eum formam, et illa Saracenus baptizet non credens aliquid aliud fieri nisi madefactionem, et non intendat, eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, idest, ut baptismus operetur quidquid operari potest, et ipse baptizans tanquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizaret.* En Innocentius aperte declarat, quod Saracenus baptizans, si non intendat conferre, quod conferunt alii baptizantes, non conficit Sacramentum. Requirit ergo internam intentionem faciendi rem sacram, et non ritum dumtaxat externum; et quando ait ratum esse baptismum, etiamsi baptizans non intendat facere quod facit Ecclesia, imo contrarium gerat in mente, non loquitur de intentione conferendi baptismum, sed de intentione effectus baptismi, scilicet etiamsi non intendat, *ut baptismus operetur quidquid operari potest.*

Objicies 6. S. Thomas in p. 3. q. 64. a. 8. ad 2. refutat eorum opinionem, qui dicebant mentalem intentionem in Ministro requiri, ut validum sit Sacramentum; ac deinde subjungit: *Alii melius dicunt quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est minister: in verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri*

vel recipientis Sacramentum. Cum ergo Angelicus Doctor afirmet, perfici Sacramentum, si Minister verbis exprimat intentionem Ecclesiæ, cujus est Minister, dummodo contrariam intentionem exterius non manifestet; profecto necessitatem internæ intentionis videtur excludere.

Id ipsum clarius asserit S. Doctor in 4. d. 6. q. 1. a. 2. q. 1. ad 2. inquiens: *In Baptismo, et in aliis Sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio; sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.*

Resp. Angelicum Doctorem citatis in locis occurrere objectioni, quæ ostendere videbatur, quod si ad Sacramenti valorem intentio requiritur; cum hæc, utpote interna, nobis nota esse non possit, de ejusdem Sacramenti valore anxii semper essemus. Cui argumento respondet, quod ut de hoc moraliter certi simus, sufficiat, quod Minister in persona totius Ecclesiæ verba pronunciet; quorum prolatione, nisi contrarium exprimatur, credere debemus eum habere intentionem Ecclesiæ, nempe faciendi per talem actum, quod facit Ecclesia. Unde S. Thomas iis in locis loquitur de veritate et certitudine Sacramenti non absolute et in se, sed relate tantum ad nos: quasi dicat, quotiescunque per verba Ministri serio prolata exprimitur intentio Ecclesiæ, et contrarium exterius non apparet, sumus moraliter certi, quod in Ministro non desit intentio, verumque nobis Sacramentum conferatur. Sicuti qui videt Hostiam publicæ adorationi expositam, moraliter certus est, eam esse consecratam, eamque adorare tenetur, quamvis contingere possit, consecratam illam revera non esse. Ita Doctoris Angelici mentem exponunt præclari Thomistæ, et præsertim Emin. Gotti in tract. 4. de Sacr. in gen. q. 7. dub. 4. §. 2.

Et ne amplius dubium aliquod de S. Thomæ sententia suboriri possit, legenda sunt quæ habet ille in Opusc. 8. ubi aperte ait, quod *si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum.* At intentio *conficiendi Sacramentum* non est intentio faciendi ritum dumtaxat externum, sed faciendi rem sacram. Tum in p. 3. q. 64. a. 10. scribit, quod *cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.* Per quod sane Angel. Doctor ostendit, multo magis nullum esse Sacramentum, quando jocandi intentio exterius exprimitur, quam cum retinetur interius: hoc enim modo Sacramentum est nullum dumtaxat coram Deo; priori autem modo et coram Deo, et coram hominibus nullum est.

Objicies 7. Valet baptisma collatum à Judæo, Pagano, et Atheo: atqui hi homines intentionem faciendi ritum sacrum nec habent, nec habere possunt; imo illum uti superstitiosum et sacrilegum exe-

crantur: non ergo ut validum sit baptisma, requiritur intentio faciendi ritum illum ut sacrum.

Resp. distinguo min. hi homines habere non possunt intentionem *explicitam* faciendi ritum sacrum, concedo: *implicitam*, nego minorem. Judæus, Paganus, et Atheus dum baptizant, haud ignorant, id quod peragunt, apud Christianos haberi tamquam religiosum et sacrum; quod licet baptizantes ipsi non credant, se tamen gerere volunt tanquam Ecclesiæ nostræ Ministros, et consequenter, *implicite* volunt peragere externum ritum ut sacrum; idque sufficit ad Sacramenti valorem. Unde apposite S. Thomas in p. 3. q. 64. a. 9. ad 1. ait: *Si patiatur* Minister *fidei defectum circa ipsum Sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum; non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi quae exterius aguntur, praebere Sacramentum. Unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad Sacramentum; quia sicut supra dictum est, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cujus fide suppletur id, quod deest fidei ministri.*

Neque dici potest, quod etiam qui intendit serio peragere ritum externum, implicitam intentionem habeat faciendi rem sacram: nam ritus externus indifferens est, ut sacro, aut profano more fiat; quod autem fit ab Ecclesia tanquam sacrum, non est indifferens, sed in aliquo genere determinatum; atque intentio implicita locum habet in iis, quæ determinata sunt, non in iis quæ indifferentia perseverant. Sit exemplum. Si medicamentum aliquod ad sanitatem præstandam sit determinatum, et efficax; ut sanetur ægrotus, non oportet, quod Medicus illum sanare velit; sed sufficit, ut medicamentum fiat et applicetur ægroto; ita quoque ut stuppa comburat, ut segetes procreentur, ut compositum coalescat, sola applicatio sufficit, neque requiritur explicita effectus intentio, cum ejuscemodi causæ determinato modo ex se se naturaliter operentur. At Sacramentorum confectio est opus morale, eorumque forma indiferens est; ideoque, nisi ab explicito ministrantium proposito et intentione determinetur, id quod exterius peragitur nec opus morale et humanum est, nec signum efficiens, nec sacrum aliquid, nec idonea animæ medicina. Quare si Minister ponendo ritum externum, intus dicat. *Nolo Sacramentum conficere*, ritus externus non erit Sacramentum. Præclare Seraph. Doctor loco in probationibus citato inquit: *Necesse est habere intentionem dandi Sacramentum, quia opera, quae sunt secundum artem, vel rationem, ut ratio est, recipiunt denominationem ab ejus intentione, qui operatur; quoniam si intendit ludere, ludus est, ergo si non intendit administrare Sacramentum, non est Sacramentum.*

Hic nonnulli reponunt, determinari externum ritum ad actionem sacram per circumstantias locorum ac temporum; puta si ablu-

tio fiat ad fontem Baptismalem, ac præsente patrino, non domi à muliercula infantem lavante; aut si consecratio fiat à Sacerdote vestibus sacris induto, et ad altare accedente, non inter epulas, vel in comessatione profana.

Sed loci ac temporis adjuncta non sunt tria illa, quibus juxta Conciliorum ac Pontificum doctrinam perficitur Sacramentum; ideoque efficere nequeunt, ut actus exterior ad perfectionem Sacramenti consurgat. Deinde hujuscemodi circumstantiæ commonstrant quidem intuentibus peractam ceremoniam haberi ut sacram; sed Sacramenta non debent esse signa dumtaxat explicativa, ut arbitrantur hæretici; sunt enim efficientia et practica, et præter externam imaginem, divinam continent virtutem, eis per ministrantium operationem à Christo institutore collatam. Præterea si mulier domi, etiam extra mortis periculum, cum intentione recta ac debita forma baptizaret infantem, validus esset baptismus, et tantum baptizatus deferendus esset ad Ecclesiam, ut in illo sacræ adimplerentur ceremoniæ: circumstantiæ ergo fontis Baptismalis, templi, vestis, et istiusmodi reliquæ spectant non ad Sacramentorum perfectionem, sed ad sacrorum rituum celebritatem.

Objicies 8. Si Minister interius ita decerneret, *Nolo conficere Sacramentum*, et tamen exteriorem actum exerceret, haberet duas voluntates inter se mutuo repugnantes: at quando duæ oppositæ voluntates occurrunt, illa quæ effectum obtinet, vera censetur, altera autem reputatur mera velleitas. Hoc illustratur mercatoris exemplo, qui licet merces suas servare vellet, si id posset incolumis; eas tamen actu in mare projicit, dum tempestate jactatur; atque ita voluntas servandi vitam superat voluntatem servandi merces. Sic et in casu nostro voluntas, qua exercetur actus externus, superaret, irritamque redderet voluntatem, qua Minister apud se statueret, *Nolo conficere Sacramentum.*

Resp. duas voluntates esse contrarias, quando idem habent objectum, ut voluntas servandi merces, et voluntas easdem projiciendi: atque istarum voluntatum fatemur illam esse inefficacem, quæ est conditionalis, et superatur ab alia voluntate absoluta; et ita inefficax est voluntas servandi merces, nisi immineat vitæ periculum, et superatur à voluntate servandi vitam. At voluntas faciendi ritum externum, et voluntas non faciendi Sacramentum, diversum habent objectum, illa nimirum opus indifferens, ista opus sacrum; adeoque consistere simul possunt, nec una ab alia superatur: quemadmodum stant simul voluntas conficiendi Sacramentum, et voluntas non conferendi gratiam; quia objectum diversum habent, illa causam, ista effectum.

Objicies 9. Si ad Sacramenti valorem requireretur interna intentio conficiendi Sacramentum, defendi non posset, quod Ecclesia deficere nequeat: contingat enim Episcopum non habere intentionem initiandi statutos ante se Clericos, hos vero missas celebrare, et peccata remittere; tunc quidem Clerus, præcipua pars Eccle-

siæ, fictitius erit, nullaque erunt sacrificia, et peccatorum absolutiones: et si Parochus non intendat conferre baptismum, nec turba fidelium erit regeneratorum cœtus et congregatio. Quæ autem pro una Parocia, vel Diœcesi fieri potest hypothesis, non repugnat, ut fiat pro toto Regno, imo pro toto Orbe Catholico: atque ita deficeret tunc prorsus Ecclesia.

Resp. quod esto facta hypothesis absolute, et *metaphysice* non repugnet; imposibilis tamen evadit, stante Christi Domini sponsione, quod Ecclesia sua deficere nequeat, et quod portæ inferi contra ipsam prævalere non possint. Miramur præterea Theologos quosdam ejuscemodi scrupulis commoveri; quod enim evenire potest ex defectu intentionis, nonne potest etiam ex defectu materiæ vel formæ contingere? Nonne Minister improbus, dum puerum tingit, pro naturali aqua potest alium adhibere liquorem, et quod facilius est, corrumpere formam aut eam prosus omittere? Quid ergo fiet postmodum, si puer iste, equidem non baptizatus, sit adoptatus inter Clericos inunctus Sacerdos, inauguratus Episcopus? Deficiet ne tunc Ecclesia Christi? Sicut ergo hac in hypothesi Theologi quos refellimus, ad Dei providentiam et Christi promissa confugiunt; ita et nos in hypothesi altera ab illis proposita recte confugimus, affirmantes, quod etsi permittere possit Deus, ut unus aut alter invalide sacros ordines et baptisma suscipiat; non tamen id relate ad omnes, et in tota permittet Ecclesia.

Objicies 10. Licet Episcopus antequam ordinet, protestetur, se non habere intentionem ordinandi eos, qui debita requisita non habent; si tamen quis inter ordinandos debitis careat requisitis, vere remanet ordinatus, quamvis à sui Ordinis exercitio sit suspensus.

Resp. quod Episcopus, esto prius dixerit, se nolle ordinare eos, qui requisitis carent; postea tamen omnes singulosque vult absolute et efficaciter ordinare; unde protestatio illa comminatoria et inefficax est, non efficax et absoluta. Quare omnes ad Ordinem promoventur vi interioris propositi, non sola executione ritus externi.

Ultimo nunc loco subjungimus, quod Catharini sententia à quibusdam Theologis acerba nimium censura notetur; uti à Bellarmino lib. 1. de Sacram. c. 27. à Joanne de Lugo disp. 8. de Sacram. sect. 2., à Sylvio quoque, Tournelio, aliisque. At rectius alii inter adiaphoras, et quæ in utramque partem agitari salva fide queant, hanc de intentione Ministri Sacramentorum controversiam collocarunt. Et sane constat, Catharini librum sedentibus adhuc Tridentinis Patribus in lucem prodisse, quin fuerit reprobatus, testante id Card. Pallavicino in lib. 9. Hist. Conc. Trid cap. 6. Neque unquam Romæ sententia illa adversam fuit experta fortunam: unde P. Serry in Vindiciis vindiciarum Ambrosii Catharini etiam jurejurando testatur sibi Consultores, ac Præsules primæ notæ, cum anno 1690. Alexander VIII. damnaret supracita-

tam propositionem n. 31., semel iterumque affirmavisse ea propositione aliud longe à Catharini systemate contineri. Accedunt præterea Theologorum oppositum sentientium nomen percelebre, et Opera eruditionis plenissima, quæ etsi hac in parte ab omnibus non probentur, non tamen hactenus supremo judicio castigata et proscripta fuerunt.

Quamvis autem abstinendum ab omni animadversione judiciique censura putemus; indubium tamen est Catharini sententiam male hac ætate audiri, adversam communi approbatione teneri, et theses solam intentionem externi ritus adstruentes, non solum per locorum Ordinarios, verum etiam per Romanos Censores, Præsulesque dispungi. Lege doctissimum P. Berti in lib. 30. c. 16.

CAPUT XI.

Qualis esse debeat eorum intentio, qui Sacramenta ministrant.

Hucusque de intentionis necessitate ejusque objecto tractavimus, paulo fortasse prolixius, quam compendiarii instituti nostri ratio permittebat: nunc vero de ejusdem intentionis qualitate agendum superest, sive de modo, quo Ministrorum intentio se gerere debet, ut Sacramenta perficiat. I. itaque quæritur, quotuplex est intentio, et quænam ad Sacramenti validitatem in Ministro requiritur?

Resp. triplicem à Theologis intentionem vulgo distingui; actualem scilicet, virtualem, et habitualem. Actualis est præsens rei volitio cum mentis attentione; puta, cum quis conferens Sacramentum, in actu, quo confert, de eodem conferendo cogitat, et actu illud conferre intendit. Virtualis intentio dicitur, quæ, licet actu transierit, manet tamen, et perseverat in actu ex illa secuto. Sic esto quod conferens Sacramentum, tunc non habeat actualem intentionem, quia tunc actu de Sacramenti administratione non cogitat, cum sit distractus; si tamen prius illam habuit, et ex ea se ad agendum movit; prior intentio dicitur virtualiter manere in actu, quem facit, et in virtute illius agere quod agit. Habitualis denique est promptitudo quædam ad volendum aliquid ex habitu proveniens, quam nulla præcessit intentio; vel si illa præcessit, jam est moraliter interrupta; atque adeo nec per se, nec per virtutem à se relictam censetur in actionem influere: ut si Sacerdos nulla deliberatione præmissa, ex quodam usu, vel habitu missam celebret, vel baptizet; aut si id in animo statuit, posthac media posuit omnino impertinentia, ut venationem, aleam, talemque confabulationem, in qua præcedens propositum evanuisse prudenter existimetur.

His ergo positis juxta communem Theologorum sententiam dicimus cum Subt. Doctore in 4. d. 6. q. 6. n. 3. *quod sola intentio habitualis non sufficit in baptismate: quia propter istam non dicitur actus ejus, licet sit conformis illi habitui actus hu-*

manus. Nam si aliquis habeat habitum inclinantem ad desiderium sanitatis, si curatur nullo modo intendens ad sanitatem, sed ad ludum, non dicitur consequi sanitatem per aliquem actum humanum, sed casualiter, vel fortuito, non magis, quam si non habuisset intentionem ad sanitatem: ergo sola intentio habitualis non sufficit respectu finis actus humani, ut humanus est.

Habitualis igitur intentio satis non est, ut Minister Sacramenta perficiat. Christus enim à Ministris suis exigit, ut humano modo, cum advertentia scilicet, et deliberatione agant: atqui Ministri cum habituali tantum intentione humano modo non agunt: nam ejuscemodi intentio locum habet etiam in dormiente, et in ebrio, qui absque libertate et consilio operantur. Non ergo illa sufficit, ut opus dicatur liberum, morale, et humano more peractum, quemadmodum perficienda sunt Sacramenta.

At dices Habitualis intentio sufficit, ut quis valide Sacramenta suscipiat: qui enim baptizari voluit, nec propositum mutavit, valide sive in somno, sive in ebrietate, sive in amentia baptizatur: ergo sufficiens etiam erit, ut Sacramenta valide conferantur.

Resp. latum patere discrimen. In suscipiente enim requiritur intentio solum, ut dispositio subjecti; in Ministro autem illa requiritur, ut principium quod ad esse sacramentale determinet actionem. Lege S. Thomam in p. 3. q. 64. a. 8. Dispositio autem in subjecto requirit tantum, ne illud receptioni obicem ponat, nullatenus vero debet in actionem influere: et ideo ad Sacramentum valide recipiendum sufficit, ut subjectum sit habitualiter dispositum ad receptionem; idest ut eam voluerit: eandemque voluntatem minime retractaverit. At conferentis intentio, utpote principium actionis, ita debet existere, ut in actionem influere possit; nempe vel in se, vel in aliquo à se relicto, quod ejus virtute influat in actionem.

Dices 2. S. Thomas in p. 3. q. 64. a. 8. ad 3. ait, quod ille *qui aliud cogitat, licet non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti.*

Resp. Angelicum Doctorem ibi non sumere intentionem habitualem, prout differt à virtuali, sed prout ab actuali distinguitur; subdit enim: *Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum.* Atque hoc in sensu quorundam Veterum testimonia sunt exponenda, quibus asseritur, quod habitualis intentio ad perfectionem Sacramenti sufficiat: habitualem enim intentionem illam dixerunt, quam Schola nunc virtualem appellat.

Subdit autem citato in loco Ven. Scotus: *Nec requiritur in baptizante semper intentio actualis; quia non obligavit Deus hominem ad impossibile, vel nimis difficile, cujusmodi est non dis-*

trahi: quia secundum Augustinum 3. *de Lib. Arb.* Non est in potestate nostra, quin visis tangamur. *Nec etiam plus obligavit ministrum in illo actu*, Baptismi, *quam in exequendo actus aliorum Sacramentorum. In conficiendo autem Eucharistiam, quae est excellentissimum Sacramentum, non obligavit hominem ad non distrahi: quia prius intendens celebrare, licet in proferendo verba sacramentalia distractus sit, vere tamen confecit.*

Actualis ergo intentio, quamvis omnium optima sit, non tamen necessario ad perficienda Sacramenta requiritur; cum vigens illa præsentia animi, in tanto prætereuntium imaginum, et diverberantium cogitationum conflictu, nisi ex speciali Dei dono in nobis esse non potest. Lege S. Augustinum in Psal. 75. n. 7. Hinc et Doctor Ang. in p. 3. q. 64. a. 8. ad 3. post citata superius verba subjungit: *Quamvis studiose curare debeat Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat: sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare; secundum illud Psalmi* 39. Cor meum dereliquit me.

Concludit deinde Scotus in loco laudato, *quod sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc est, quod aliquando habuerit intentionem actualem ex qua descendit tunc vere actus baptizandi; sive in isto actu habeat intentionem actualem, vel aliquam ex ea descendentem, sive non. Intelligo autem, quod descendit iste actus absque omni motu voluntatis contrario interveniente. Sicut si induens se ad missam, intendens celebrare secundum usum Romanae Ecclesiae, et ex isto procedat continue forte secundum aliquem habitum derelictum in phantasia cum magna distractione, vere facit ea, quae necessaria sunt ad istum actum sacramentalem, qui est conficere*

Itaque ad Sacramenti validitatem sufficit virtualis intentio. Nam etiam sine actuali intentione haberi potest opus humanum, ac morale, à ratione et voluntate descendens. Voluntatis enim propositum, ac deliberatio, etsi actu pertranseat, dicitur virtute manere; nisi aut animo retractetur, aut alia deliberatio ad disparatum opus causam effectricem inflectat. Sicut igitur ad alios humanos actus, puta ad orationem, virtualis intentio sufficit; ita quoque sufficit, ut perfici valeant Sacramenta.

2. Quæritur, an in Sacramentis conficiendis intentio interpretativa sufficiat?

Id ut explicetur, advertimus, quod interpretativa intentio tunc habetur, quando quis actu operans non est sui compos; ex ejus autem præcedente deliberatione, quasi mentem ejus interpretamur, existimantes illum actioni, quam exequitur minime reluctari; ut si quis baptizare, aut consecrare proponat, sed postea in ebrietatem, in somnum, in amentiam incidat, et ebrius, dormiens, amens, perficiat Sacramentum. Hoc autem posito, facile patet, ejuscemodi intentionem, quam etiam *praesumptam* nonnulli dixere, satis ad hoc

non esse ut Sacramenta conficiantur. Hæc enim intentio non est reipsa, sed esset si agens, adverteret, ut in ebrio, aut dormiente, qui antea Sacramentum conficere consuevit; neque censeri potest actus humanus, quod homo mente destitutus exercet: ergo cum Sacramenta humano conficienda sint more, non est profecto Minister ad id præstandum idoneus, quisquis sine consilio operatur.

Sed contra dices. Ad conficienda Sacramenta sufficiens est virtualis intentio, in qua dum sacri Ministri operantur, et sacramentalia verba pronunciant, alio distracti non alia utuntur deliberatione, quam ea, quæ transit. Si autem sat est transacta intentio, ut quod agitur, humanum reputetur et liberum; cur sufficiens non erit intentio etiam interpretativa, si à ministrante revera fuerit præconcepta?

Resp. quod in virtuali intentione antecedens mentis deliberatio trahit operantem ad media propria illius muneris quod exequitur, movitque voluntatem ut ratio effectrix humani officii, idest tanquam lumen mentis, et norma libertatis. At vero intentio interpretativa non permovet ministrantem ad media congrua et ad Sacramentum ordinata: nam quid conferunt ad baptismum amentia, somnus, ebrietas? Neque in stulto, vel dormiente, vel ebrio vim exerit propositum antecedens, tamquam lumen rationis, et regula libertatis, sed in eis imaginatio, ac impressio musculorum cerebri operatur.

Dices ulterius. Interpretativa intentio ad peccandum sufficit: nam si quis prævidens, se in ebrietate peccaturum, seipsum inebriet, patretque peccatum; istud sane ratione interpretativæ voluntatis eidem imputatur: cur ergo ejuscemodi intentio non sufficiet ad Sacramentum validè ministrandum?

Resp. disparitatem in eo consistere, quod Sacramentorum administratio exercenda sit per modum actionis humanæ; proindeque actu, vel virtute debet intendi: sola autem intentio interpretativa, quam dormiens, vel ebrius habet, non facit actionem esse humanam, et exercitam per libere applicationis influxum. At peccatum, ut animam inficiat, non debet necessario intendi per modum actionis, sed per modum objecti, à quo voluntas malitiam haurit: quomodocunque tandem illud amabit. Unde qui est ita dispositus, ut libere peccaret, si sciret aliqua in re esse peccatum, continuo peccati reus efficitur.

3. Quæstio est, an valeat Sacramentum conditionali intentione collatum?

Resp. quod ad Sacramenti perfectionem absoluta intentio requiratur, neque conditionata sufficiat, nisi statim transeat in absolutam. Intentio enim efficax esse debet, cujusmodi est sola intentio absoluta.

Conditio autem intentioni apposita, vel est de præterito, vel de præsenti, vel denique de futuro. Si est de præterito, vel de præsenti, necesse est, ut vel omnino destruat intentionem, vel ut

illam efficacem absolutamque supponat. Nam si conditio illa nec fuit, nec est, eo ipso intentionem destruit; quia conditionata voluntas, non posita conditione, nulla est: si vero conditio illa fuit, vel est; intentio transit in absolutam; quia voluntas sub conditione, posita conditione, evadit absoluta. Ita si quis sub conditione, de præterito baptizans diceret: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* intentio ejus in absolutam transiret perficeretque baptismum, si homo ille reipsa non esset baptizatus; si autem baptizatus esset, destrueretur intentio, et nullum esset Sacramentum. Quod etiam dicendum est de conditione præsenti, ut dum Sacerdos ait: *Si es dispositus, ego te absolvo.*

Si autem apponatur conditio de futuro, semper illa substantiæ Sacramenti contraria erit; ut puta si quis diceret: *Ego te absolvo, si crastina die restitueris rem alienam.* Et ratio quidem est, quia conditio de futuro suspendit præsentem intentionem, efficitque, ut Minister voluntatem faciendi Sacramentum in præsenti non habeat. Neque dum postea conditio adimpletur, perfici poterit Sacramentum; quia tunc materia et forma non adsunt, quibus Sacramentum constitui certum est: neque sacramentalis vere fuit illa materia formaque quæ præcessit, cum præsens tunc intentio in Ministro non fuerit.

Postremo si quæsieris, an ut validum sit Sacramentum, oporteat, quod Ministri intentio, absque ullo substantiali errore, ad certam aliquam personam vel materiam dirigatur?

Reponemus affirmative. Id enim manifestum est ex ipsis Sacramentorum formis: *Ego te baptizo: Ego te absolvo, &c.* quibus certa ac determinata persona signatur, ad quam intentio Ministri dirigitur. Similiter et in forma Eucharistiæ pronomen, *hoc*, designat determinatam materiam consecrandam. Cujus quidem rei ratio est, quia Ministri intentio esse debet efficax et operativa: operationes autem circa singularia objecta versantur.

Quod vero Ministri intentio debeat substantialem omnem errorem excludere, inde probatur, quod si intentio caderet in hanc materiam vel personam, et sacramentalis actio circa aliam versaretur, talis actio non ex tali intentione procederet, proindeque esset actio sine intentione: at ex dictis intentio in Sacramentorum Ministro omnino requiritur.

CAPUT XII.

An in Ministro probitas requiratur, ut valide, vel licite Sacramenta perficiat?

Quarto Ecclesiæ sæculo Donatistæ, quorum antesignanus extitit Donatus a Casis nigris Episcopus in Numidia, ac promotor Donatus alter Majorini in Carthaginensi Episcopatus successor, ut sub pietatis larva rejicerent Cæciliani consecrationem in Carthaginen-

sem Episcopum, factam à Felice Aptungitano sacrorum codicum, ut ipsi ajebant, traditore, affirmarunt, irrita ac plane nulla esse Sacramenta, quæ vel hæretici extra Ecclesiam, vel improbi in ipso Ecclesiæ sinu ministrant. Ac primo quidem de quolibet improbo Ministro, sive publico, sive occulto, eos ita sensisse recenset S. Augustinus in lib. 2. contra Cresconium c. 28. tum postea facta distinctione inter occultum et publicum peccatorem, ab occulto dumtaxat, non à publico collata Sacramenta probarunt, teste eodem S. Doctore in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13.

Eundem foverunt errorem Apostolici, Valdenses, et Albigenses duodecimo Ecclesiæ sæculo, necnon Wiclefitæ et Hussitæ sub finem sæculi 14, et Anabaptistæ sæculo 16. quos Bullingerus etiam et Kemnitius refutârunt.

Hic modo ab ea quæstione præscindimus, num hæretici, qui sunt extra Ecclesiam, valide Sacramenta conficiant; qua de re opportunius sequenti in libro *de baptismi Sacramento* loquemur; sed disputationem instituimus de Ministris in Ecclesiæ sinu degentibus, pollutaque conscientia Sacramenta tractantibus, ac discrimen etiam inter validam et illicitam sacrorum ministrationem aperte ponemus.

Propositio 1. Valet Sacramentum ab improbo Ministro, sive publico, sive occulto collatum, dummodo omnia necessaria, materiam nempe, formam, et intentionem, rite servaverit.

Probatur. Ministri Sacramenta conficiunt non propria potestate, sed Christi: atqui malus Minister Christi Domini potestatem impedire non potest: ergo Ministri perversitas impedire nequit Sacramenti valorem. Probatur major ex Joann. 1. v. 33. ubi de Christo legitur: *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*: quibus sane verbis nequaquam ostenditur, Christum solum esse baptismi ministrum, cum etiam discipulos baptizasse sacra nobis enarret historia. Demonstratur itaque ad solum Christum baptismatis potestatem, ad discipulos autem ministerium tantummodo pertinere: non ergo potest Ministri perversitas baptismi, aliorumque Sacramentorum obesse virtuti. Unde S. Augustinus tract. 5. in Joann. hæc inter alia scribit, quod nempe Joannes didicerit per columbam, *potestatem Dominici baptismi in nullum hominem à Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem à Domino in neminem, ministerium et in bonos et in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? quid te impedit malitiosus praeco, si est benevolus judex?*

Huc accedit, quod fideles post baptismum Joannis baptismum Christi jubente Paulo susceperunt: post Christi vero baptismum, nec qui à Juda fuerant baptizati, jussi sunt iterum ad baptismum accedere. Ergo ex sese habet Christi baptismus, ut valeat, etsi ab improbo conferatur; quoniam semper est baptisma Christi, qui in Spiritu Sancto baptizat, qualiscunque sit illius Sacramenti Mi-

nister. *Dedit Judas*, inquit Augustinus in tract. mox citato, *et non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem: quia si datus est à Juda baptismus, Christi erat: qui autem à Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi etiam per Judae manus datum, baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte praeponimus.*

Id etiam ex eo firmatur, quod Constantiense Concilium sess. 8. proscripserit hunc Joannis Wicleffi articulum numero 4. *Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Et Tridentina Synodus sess. 7. can. 12. taliter definivit: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacratum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Patres quoque idem dogma concorditer tradiderunt, ex quibus Gregorius Nazianzenus orat. 40. in S. Baptismum ait: *Quamvis alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est.* Et Chrysostomus hom. 11. in epist. ad Thessalonicenses: *Gratia Dei per indignos operatur, non propter ipsos, sed propter eos, quibus opitulandum est.* Item Augustinus in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 10. *Hic enim dici non potest, quod solent ineptissime, et impudentissime dicere*, Donatistæ, *tunc posse à malo baptizari quemquam, si lateat malitia baptizantis. Qui enim fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet. Ab hoc ergo cum se auferat Spiritus Sanctus, quae spes erit baptizati, si baptizantis hominis meritum in illa Dei gratia cogitandum est?*

Tandem ex ratione Catholica veritas demonstratur. Ut enim Angel. Doctor ait in p. 3. q. 64. a. 5. *Ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in Sacramentis.... Instrumentum autem non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem ejus, à quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcunque formam, vel virtutem habeat, praeter id, quod exigitur ad rationem instrumenti: sicut quod corpus Medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum; et sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea: unde ministri Ecclesiae possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint mali.*

Hæc autem ratio qua Scholæ Doctores passim utuntur, deprompta videtur tum ex iis quæ in principio probationis adduximus, tum ex Apostoli verbis in 1. ad Cor. c. 3. v. 4. *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Quæ etsi ab Apostolo principaliter de verbi prædicatione sint dicta, pertinere

tamen etiam ad ministerium Sacramentorum ipse declarat tam in 1. capite, ubi baptismi meminit, quam initio cap. 4. ubi generaliter ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Propositio 2. Sacerdos lethalis culpæ sibi conscius, illicite Sacramenta conficit, et administrat: quod de aliis sacrorum Ministris, præsertim Diaconis, dicendum est, necnon probabiliter etiam de divini verbi Concionatoribus.

Probatur 1. pars. Legitur Exodi 19. v. 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Levitici 22. v. 3. de Sacerdote dicitur: *In quo est immunditia, peribit coram Domino.* Habetur et Isaiæ 53. v. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Quod si in Ministris veterum Sacramentorum, quæ nostrorum figuræ dumtaxat erant, et umbræ, tantam Deus puritatem ac munditiem exigebat, quanto majorem in nostris ille requiret? Hinc Paulus ad Titum 1. v. 7. scribit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Et de Diaconis ait in 1. ad Tim. 3. v. 10. *Probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.*

Idem constat ex Patribus. Augustinus in lib. 32. contra Faustum c. 14. inquit: *Si quis Sacramenta novi testamenti fuerit ausus sacrilega temeritate violare, poenas divinitus constitutas rectissimo judicio persolvet.*

Gregorius M. in lib. 1. epist. 25. alias 24. *Necesse est, ut esse munda studeat manus, quae diluere sordes curat, ne tacta quaeque deterius inquinet, si sordida ipsa insequens lutum tenet. Scriptum namque est: Mundamini qui fertis vasa Domini.*

Bernardus in lib. de Conversione ad Clericos c. 10. *Vae Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienae negotia apprehendunt.*

Claram denique hujusce rei rationem indicat S. Thomas in p. 3. q. 64. a. 6. inquiens: *Aliquis in agendo peccat, ex hoc quod operatur non secundum quod oportet.... Dictum est autem conveniens esse, ut Sacramentorum ministri sint justi; quia ministri debent domino conformari, secundum illud Lev. 19.* Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum: *et Ecclesiastici* 10. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus. *Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, et Ecclesiae in dispensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet Sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Ex dictis recte juxta communem Theologorum doctrinam infertur, Diaconum, si ministerii sui officium indigne exerceat, sacrilegii crimen incurrere, cum proxime inserviat Sacerdoti. Hinc non alios ordinare in Diaconos Apostoli voluerunt Act. 6. quam *viros*

boni testimonii, plenos Spiritu Sancto, et sapientia. Hinc, et Augustinus in epist. 21. olim 147. scribit, *nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius* esse, si ab Episcopis, aut Presbyteris: aut Diaconis *perfunctorie atque adulatorie res agatur.*

De Subdiaconis autem, aliisque præsertim inferioribus Ministris aliter dicendum esse non pauci opinantur; cum non nisi remote ad sacrificium ordinentur; cumque certum exploratumque apud omnes non sit, illos Ordinum gradus sacros esse, seu vera Sacramenta, quorum officia possunt aliquando et à laicis exerceri. Quamvis ab ipsis inferioribus Ministris summa impendenda sit cura, ut sancte et inculpate ad exercendas functiones suas accedant; alioquin promotionis ad superiores gradus se indignos ostenderent.

Quod vero ad alteram partem pertinet, nempe quod Sacerdos sacrilegii reus fiat, si impura conscientia Dei verbum prædicare præsumat, ita probabiliter demonstratur. In Psal. 49. v. 16. legitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas: et assumis testamentum meum per os meum?* Et Christus Matth. 23. v. 3. Pharisæorum perversitatem insectans ait: *Dicunt enim, et non faciunt: alligant enim onera gravia, &c.* Ad hanc quoque rem facit, quod scribit Augustinus in lib. 3. contra Lit. Petiliani c. 56. *Forma Sacramenti datur per baptismum, forma justitiae per Evangelium*; ubi videtur in baptizante, ac in concionante similiter requirere probitatem. Denique rationem affert Cajetanus in p. 3. S. Thomæ q. 64. a. 6. ad 1. quia *praedicatio sub specie actuum ordinis formaliter comprehenditur, ac per hoc inter opera consecrata computanda est, ea ratione, quia ad ipsam, sicut et ad alios actus ordinis consecrari oportet ministrum.*

Verum etsi sententia isthæc probabilitate non careat, non tamen est vera, nisi Concionator, aut notorio crimine sit pollutus, aut si est in peccato occulto, nullatenus se ad humiliationem et pœnitentiam excitet: sed vel in aliis dedecore vitæ suæ, vel in se simulatione et hypocrisi fructum sanctæ prædicationis impediat. Ceterum si lateat scelus, nec illud dum alios arguit, in se Concionator parvipendat; quamvis gratiam remissionis nondum fuerit assecutus, licite de divinis rebus sermonem habebit: neque in hac hypothesi per se aget, ut Dei verbum suo fructu frustretur. Neque enim tunc testamentum Dei per os suum audacter assumit, cum plebis scandalo, animarumque pernicie. At si publico notetur crimine, negligatque pro sui medela remedium, quod aliis ipse suppeditat; tunc certe gravi peccato delinquit. Nonnulli præterea negant ordini Presbyteratus adjunctum *jure divino* munus prædicandi, uti censuit Cajetanus; cum id incumbat Episcopis, ceteris vero non vi consecrationis, et ordinis, sed vel ex Episcopi licentia, vel ex adjuncto Pastoris officio, animarumque regimine.

Objicies contra 1. propos. Cum Donatistis plura Scripturarum oracula, ac præsertim quod legitur Sap. 1. v. 5. *Spiritus Sanc-*

tus disciplinae effugiet fictum. Et Ecclesiastici 34. v. 4. *Ab immundo quid mundabitur?* et ibidem v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Christus item Matth. 7. v. 18. inquit: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Cum itaque peccatores sint ficti, immundi, mortui, et malæ arbores, auctoritatem conficiendi Sacramenta non habent.

Resp. ad 1. recte testimonium illud ab Augustino in lib. 2. contra epist. Parmen. c. 10. contra adversarios retorqueri. Nam Donatistæ impudenter ajebant, *tunc posse à malo baptizari quemquam, si lateat malitia baptizantis*: et tamen inquit Augustinus, *qui fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet.* Quomodo ergo peccatores occulti apud Donatistas baptizare quiverunt? Deinde reponit S. Doctor deesse quidem Spiritum Sanctum dantibus ac fingentibus, sed non deesse accipientibus et credentibus, cum ille per ineffabilem potentiæ suæ efficaciam utrumque possit efficere, *illos fugere, istos fovere; illos culpare, istos mundare.*

Illud Ecclesiastici, *Ab immundo, &c.* non aliud significat, quam ab immundo expectandam non esse munditiem tanquam ab auctore, à qua illa immediate trahat originem. At non à Ministris, sed à Deo per hominum ministerium oritur munditia, quæ nobis per Sacramenta confertur. Quæ vero ex eodem cap. subjiciuntur, ostendunt, quod nihil prosit mundari ab immunditia legali contracta per cadaveris contactum, si iterum tangens illud, iterum maculetur: ex quo infertur, nihil prodesse à peccatis ablui, eisdemque denuo maculari.

Ad 3. respondet Augustinus in lib. 2. contra epist. Petiliani c. 6. quod *cum homo Dei verbum praedicat, et Dei Sacramentum ministrat, non de suo, si malus est, praedicat aut ministrat*; idest, Sacramenta non conficit tanquam arbor mala, sed tanquam Christi minister: nec fructus baptizantium sunt baptizati, alioquin *tot Optati pullulassent, quod baptizavit Optatus.*

Objicies 2. S. Ambrosius in lib. de Mysteriis c. 4. ait: *Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Et Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ scribit: *Sacerdotes qui Eucharistiae serviunt, et sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis verba facere non vitam; ac necessariam esse tantum solemnem orationem, et non sacerdotum merita.*

Idem docuit Augustinus tum alibi, tum signanter in lib. 3. de Bapt. c. 18. ubi de avaris Sacerdotibus ait: *Tales ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur, et cum magna tolerantiae mercede perpetitur. Remissam tamen peccatorum non dabant, quae per orationes Sanctorum, idest, per columbae gemitus datur, quicunque baptizet, si ad ejus pacem illi pertinent quibus datur. Non enim raptoribus, et foeneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur illi; si cui tenueritis, tenebuntur.*

Foris quidem neu ligari aliquid potest, nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit, aut solvere: sed solvitur qui cum columba fecerit pacem, et ligatur qui cum columba non habet pacem, sive aperte foris sit, sive intus esse videatur.

Resp. ad 1. Ambrosium perfidorum nomine Judæos et infideles intellexisse, qui mundari non possunt, nisi per fidem ad obtinendam gratiam se disponant. Explicat enim ibidem baptismi virtutem comparatione piscinæ, in qua movebatur aqua propter incredulos; *quod Judaeis signum erat, nobis fides.* Unde comparatione facta concludit: *Ergo et illa piscina in figura: ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit.* Significat ergo Ambrosius baptismum non prodesse iis, qui oblatum fidei lumen abjiciunt.

Ad 2. Ibi Hieronymus alludit ad etymon vocabuli *Eucharistiae*, quod significat gratiarum actionem; et negat ad hoc ut Sacerdotis actio Deo placeat, vitaque commendetur, satis esse, si sacra verba dicantur; cum præterea morum integritas, et innocentia requiratur. Vide S. Thomam in p. 3. q. 82. a. 5. ad 1.

Tertio tandem in textu Augustinus affirmat, quod à schismaticis, hæreticis, malisque ministris remissa non detur, etiamsi detur baptismus, si ad columbæ pacem, idest ad Ecclesiæ unitatem, non pertineant illi, quibus datur; quoniam remissio peccatorum *per columbae gemitus datur*, quicunque baptizet, sive bonus sive malus, si ad ejus pacem illi pertineant, quibus datur. Ait quoque non solvi peccata ejus, *qui cum columbae non habet pacem*, idest non tenet unitatem Ecclesiæ; quoniam *solvitur qui cum columba fecerit pacem, et ligatur qui cum columba non habet pacem.* Ex quibus apparet, quod juxta Augustinum valeat Sacramentum à quocunque Ministro collatum, tametsi remissam non tribuat iis, qui Christo et Ecclesiæ adhærere detrectant.

Objicies 3. Sacramentum est actio Ministri ut Absolutio, Ordinatio, &c. Si ergo mala id faciat voluntate, actio prava erit et immunda; proindeque ipsum etiam Sacramentum aut nullum erit, aut immundum.

Deinde mali jus administrandi Sacramenta non habent: ergo quod illi faciunt, ratum esse non potest.

Tandem uti in proverbio est, *Nemo dat quod non habet*: Impii Sacerdotes non habent gratiam: Hanc ergo nequeunt per Sacramenta conferre.

Resp. ad 1. actionem improbi ministri esse malam in genere moris, non in genere signi à Christo instituti, in quo proprie ratio Sacramenti consistit. Ut enim apposite scribit S. Bonaventura in 4. d. 5. art. 2. q. 1. "est quoddam opus, quod habet virtu»tem à charitate, vel voluntate interna solum: quoddam quod ha»bet ab institutione divina. Primum opus est virtutis, aut vitii; »et à Deo pensatur secundum qualitatem voluntatis. Secundum est »opus Sacramenti; et ideo pensatur secundum meritum, et dig-

» nitatem Christi instituentis: et tale semper remanet efficax, et » impollutum; nec potest aliquo modo pollui, sicut nec meliorari. » Habet enim virtutem à Christo, non à Ministro. Sicut semen jac- » tum in terram æqualiter fructificat, sive sit bonus, qui seminat, » sive malus."

Ad 2. Sæpe ratum esse censetur quod fit ab eo, qui jus faciendi non habet, uti matrimonium ab illo contractum, qui simplici continentiæ voto ligatur: quare Augustinus in lib. 15. de Bapt. ait: *Etsi jus baptizandi non habuit, tamen Christi est quod dedit, et ille Christi est qui accepit. Multa enim contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur. Neque enim et ille qui saeculo solis verbis, et non factis renuntiat, jure accipit baptismum; et tamen accipit.*

Ad 3. distinguo, *Nemo dat quod non habet*, si agat nomine proprio, propriaque virtute, concedo; si agat alterius nomine, et actione, nego. Ita Medicus, licet infirmus, sanitatem confert ægroto, si efficax ei tribuat medicamen; et famullus remittit debitum, dum committente domino reddit debitori chirographum.

Dices. Christus Joan. 20. v. 22. tradens discipulis potestatem, etsi ministerialem, absolvendi à peccatis, ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Atqui mali Ministri Spiritum Sanctum non habent: Ergo non possunt peccata remittere.

Resp. quod licet impii Ministri non habeant Spiritum Sanctum inhabitantem per gratiam in seipsis, habent tamen illum operantem per ipsos ad aliorum salutem. Ut enim scribit Augustinus in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 11. *Spiritus Sanctus in Ecclesiae praeposito, vel ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus Sanctus, et ad ejus mercedem in salutem sempiternam, et eorum regenerationem, vel aedificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est*, Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugit fictum, *deest quidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus, quae sunt sine intellectu; ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.*

Objicies 4. contra 2. propos. Peccator novum peccatum non admittit, dum opera charitatis exercet: atqui Sacramentorum administratio est opus charitatis: ergo peccator, qui illa administrat, novi peccati reus esse non potest.

Resp. cum S. Thoma in p. 3. q. 64. ad 1. *quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, nisi sicut quaedam justitiae partes. Et ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur; si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in seipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem: et ideo praexigitur in ministro sanctitas justitiae, ut congruat suo ministerio: et ideo incongrue agit et*

peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat. Additque S. Doctor ibidem ad 3. *In articulo tamen necessitatis.* Minister sive Sacerdos, sive Diaconus, in mortali peccato existens, *non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare: sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti: secus est autem in aliis Sacramentis quae non sunt tantae necessitatis, sicut baptismus.*

Hic tandem remanet, ut breviter explicemus, an liceat à malis Ministris petere ac recipere Sacramenta? Qua in re 1. reponimus, quod cuique liceat in casu necessitatis à quocunque Ministro, etiam excommunicato et hæretico petere ac recipere Sacramenta Baptismatis, et Pœnitentiæ. Legitur enim in Decreto Unionis Eugenii IV. *In casu necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest.* Et Synodus Tridentina in sess. 14. c. 7. habet: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes à quibusvis casibus, et censuris absolvere possunt.* Legendus est insuper Augustinus in lib. 7. de Bapt. c. 52. et in lib. 2. c. 2. Et sane fideles privari non debent remedio summopere necessario ob nequitiam ministrorum; neque fas est, ut horum pœna in illorum perniciem convertatur.

Casus autem necessitatis, in quo fas est à quolibet Ministro ab Ecclesia segregato Sacramenta suscipere, est proximum periculum mortis; nec alia Sacramenta licite eo in casu ab hæreticis peti et recipi possunt præter memorata duo, nempe baptismum, et pœnitentiam. Primum traditur ab Augustino in lib. 6. de Bapt. c. 5. ubi quærens quando baptisma salubriter à separatis accipiatur, ait, *aliqua necessitate mortis urgente*; idemque docet in lib. 1. c. 2. Alterum vero ex eo constat, quod sine aliis Sacramentis possumus ex hac vita discedere, quin ullum æternæ salutis dispendium patiamur. Hinc Gregorius M. in lib. 3. Dialog. c. 31. laudat S. Hermenegildum, qui accipere noluit ab Ariano Episcopo sacrilege consecratam Eucharistiam. Pari quoque constantia Moyses Monachus recusavit manuum impositionem à Lucio Episcopo Ariano, ut narrat Sozomenus lib. 6. H. E. c. 38. Idemque de Antiocho nepote Eusebii Samosatensis scribit Theodoretus in lib. 4. c. 15.

2. Dicimus, quod cuique liceat, etiam extra casum extremæ necessitatis, Sacramenta petere à proprio Parocho, imo et à quolibet Sacerdote parato ad ministandum, quantumvis ille sit flagitiosus; dummodo ab Ecclesia toleretur, et minister alius commode haberi non possit.

Nam profecto cuique licet uti jure suo, in re præsertim quæ ex sese bona est et sancta: sed qui Sacramenta petit à Parocho,

vel ab alio, cui ex officio id incumbit, utitur jure suo; cum Parochus, vel alius ex officio deputatus, Sacramenta ministrare suis ovibus teneatur. Quod si id non liceret, aliunde provenire non posset, nisi quia Ministrum illum ad peccandum induceret, ejusque peccato communicaret: atqui id falsum est. Actio enim peccaminosa, alia *per se* talis est, quæ nimirum non potest ab altero hic et nunc sine peccato exerceri: alia talis est *per accidens*, quæ nempe sine peccato exerceri potest, quamvis reipsa cum peccato exerceatur. Dum ergo quis Sacramenta petit à Ministro, qui in mortali peccato manet, et maxime à suo Parocho, communicat in actione, quæ *per se* bona est, et ad quam jus habet. Quod vero ejuscemodi actio hic et nunc sine peccato non exerceatur, id *per accidens* contingit; nimirum ex parte Ministri, qui cum actionem illam licite posset præmissa contritione peragere, atque ita minime peccare, hoc negligit: ideoque peccatum ipsi imputatur, non petenti, qui solum quærit, quod sanctum est, quodque sibi debetur.

Ex hac eadem ratione colligitur, quod à quocunque Sacerdote ad ministrandum parato, licite Sacramenta petantur. Qui enim Ministrum videt paratum ad ministrandum, primo ipsum non incitat ad peccatum, cum jam ad actionem sit ille paratus; imo dum ipsum paratum videt, pie ac prudenter judicare debet eum à suo peccato, saltem per contritionem, esse purgatum. Quod si ita non sit; sed adhuc judicare prudenter possit, eum in mortalis peccati statu manere, licite etiam tunc petere potest; quia rem petit ex sese bonam, quam si male Minister exerceat, ex ejus pravitate descendit. In variis confirmari solet exemplis, *verbi gratia*, creditoris, qui pecuniam suam licite judicio repetit, quamvis pejeraturum prævideat debitorem; et pauperis, qui licite petit ab avaro pecuniam, quamvis non ignoret sibi cum usuræ onere commodandam; et ejus, qui gravi impellente causa juramentum exigit ab infideli, quem nobis falsa numina invocaturum in testes. Lege S. Thomam in 2. 2. q. 78. a. 4.

Huc insuper facit, quod Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum c. 71. de Sacerdote, qui in adulterio deprehensus est, ait: *Ab eo usquequo Episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est.* Id legitur in c. *Sciscitantibus* XV. q. 8. Et Lucius III. relatus in 3. Decretal. tit. *de Cohabitatione Clericorum* c. *Vestra* inquit: *Sine dubitatione teneatis, quod à Clericis, et Presbyteris quanquam fornicariis, quandiu ab Ecclesia tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.* Vide et Constitutionem Martini V. quæ incipit. *Ad evitanda scandala*, quamque innovavit Basileense Concilium sess. 20.

Diximus autem, dummodo *minister alius commode haberi non possit*. Quia quisque ex charitatis lege tenetur jure suo non uti, si grave damnum proximo inde prævideat inferendum; præsertim

si rem sibi debitam alia via sine proximi periculo, ac detrimento valeat obtinere. Ita jusjurandum ab infideli per falsa numina juraturo exigere non liceret, si aliunde contractui cum eo inito tanta posset inesse firmitas, quanta ex juramento suorum numinum speraretur. Quapropter recte Theologi plures affirmant, quod nisi aliqua necessitas urgeat quæ gravis censeatur, non licet à malo Ministro, etiam ab Ecclesia tolerato, Sacramenta suscipere.

CAPUT XIII.

Ubi Sacramentorum subjecto disseritur.

De Sacramentorum Ministris hucusque tractavimus; reliquum modo est, ut de eorundem subjecto, sive de iis qui Sacramenta recipiunt, disputemus; ac primo quæramus, quisnam possit Sacramenta recipere; deinde, num in eo, qui Sacramenta recipit, requiratur intentio, et quænam esse illa debeat; tertio tandem, qua animi præparatione suscipienda sint Sacramenta, ut ex eis fructum haurire possimus: de quibus omnibus summatim breviterque dicemus, cum sigillatim infra de unoquoque Sacramento tractantes, præcipua ministrantium, ac suscipientium officia exponemus. Esto itaque

Propositio 1. Subjectum Sacramentorum juxta præsentem ordinem est solus homo viator.

Probatur firma et obvia ratione. Sacramenta enim sunt media, ac remedia, quæ passione ac redemptione sua Christus instituit, ut ipsius merita per illorum applicationem operarentur in suscipiente redemptionis effectum; liberationem nempe tum ab originali, tum ab actuali peccato, viamque ad salutem pararent æternam. At Christus non pro Angelis, sed pro hominibus factus est à Deo redemptio; solique homines viatores, sicut morbi, ita etiam remedii sunt capaces, et in via currunt qua possunt ad æternam pervenire salutem: nam Beati summo bono incommutabiliter jam fruuntur; damnati vero illud sperare omnino non possunt. Ergo &c.

Ad hujusce veritatis confirmationem confert quod scribit Apostolus ad Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Tridentina quoque Synodus sess. 7. in proœmio inquit, quod per sanctissima Ecclesiæ Sacramenta *omnis vera justitia vel incipit, vel caepta augetur, vel amissa reparatur.*

Propositio 2. In adultis, ut valeant Sacramenta recipere, necessaria est voluntas, sive intentio aliqua, saltem interpretativa.

Probatur. Nunquam Ecclesia adultis, qui sui sunt compotes, contulit Sacramenta, nisi voluntatem eadem recipiendi aliquo modo declararent; aliquam ergo in illis intentionem requiri putavit, ut valide Sacramenta reciperent. Hinc Carthaginense Concilium III.

anno 397. c. 34. ita statuit: *Ægrotantes, si per se respondere non possunt: cum voluntatis eorum testimonium ii, qui sui sunt, dixerint, baptizentur.* Et Arausicanum 1. anno 441. can. 12. inquit: *Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu.* Similia habentur etiam in Cartaginensi IV. anno 398. c. 76. et in Aurelianensi III. anno 538. can. 7.

Huc accedit, quod S. Augustinus in lib. 4. de Bapt. c. 24. inter infantes, et adultos, dum baptizantur, discrimen illud esse constitui, quod adulti interrogati pro se respondere teneantur; sufficiat autem, si pro infantibus respodeant susceptores: *Ideo*, inquit S. Doctor, *cum alii pro eis*, parvulis nempe, *respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacrammenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: Ætatem habet, ipse pro se loquatur.*

Hinc merito Innocentius III. c. *Majores*, de Baptismo, consultus ab Arelatensi Episcopo circa baptismum amentibus, dormientibus, invitis ac reluctantibus datum ita respondet: "Sunt nonnulli » qui dicunt, quod Sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut » Baptismus, et Ordo, cæteraque similia, non solum dormientibus et » amentibus, sed invitis et contradicentibus etsi non quantum ad rem, » quantum tamen ad characterem conferuntur; cum non solum par» vuli, qui non consentiunt, sed et ficti, qui quamvis non ore, corde » tamen dissentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur talibus, » quod qui fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione Sacra» menti, ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent; unde ad servan» dam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi. Ve» rum id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus, et » penitus contradicens, ad recipiendam et servandam Christianitatem » aliquis compellatur." Indeque nonnullis interjectis lectu dignissimis addit: "Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, » nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti,... sicut nec ille » notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus et recla» mans thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem, et » amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in » contradictione persisterent; quia in eis intelligitur contradictio» nis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem » non suscipiunt Sacramenti; secus autem, si prius Catechumeni » extitissent, et habuissent propositum baptizandi: unde tales in » necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo cha» racterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis » contrariæ non invenit obsistentem."

Tandem adest et ratio. Sicut enim ad suavem Dei providentiam pertinet, quod adultum non justificet, neque ampliorem ei

gratiam largiatur, nisi ex animo ipse consentiat; ita similiter ad eandem spectat, ut adultus Sacramentis initiari, ac per ea certas quasdam obligationes contrahere nequeat, nisi ipse voluerit. Et profecto si singula percurrantur Sacramenta, facile cognoscetur, hanc illorum esse naturam, ut consensum eorum, quibus ministrantur, expostulent. Ac primo quidem consensum istum ea Sacramenta requirunt, quæ imprimunt characterem; alioquin cum iterari illa non possint, invitis ac reluctantibus data necessario characterem imprimerent; ac per consequens suicipientes cogendi ad ea implenda officia forent, quibus obstricti tenentur quotquot eadem Sacramenta perceperunt: at nemo plane invitus ac dissentiens ad ea cogi potest, ut docet Innocentius III. superius laudatus. Idem et de Matrimonio dicendum est, quod essentialiter in animorum unione consistit, quæ sine vero internoque consensu stare non potest. Pœnitentia quoque cum necessario pœnitentis actus includat, Contritionem nempe, Confessionem, et Satisfactionem, absque interiori animi motu ac voluntate nequit haberi. Eucharistia vero licet in suo esse à suscipientis intentione non pendeat, quia Sacramentum est permanens, et ab invito vel ignaro *materialiter* sumi possit, ut tamen *sacramentaliter* sumatur, effectumque producat, intentionem voluntatemque requirit. Ad recipiendam denique Unctionem Extremam interpretativa saltem intentio necessaria est, quæ in eis esse supponitur, qui in Catholicæ Ecclesiæ unitate viventes, in mortis articulo ea Sacramenta recipere velle censentur, quæ Catholici venerantur, licet ea petere reipsa non valeant.

At contra propositionem istam objectant 1. eorum exempla qui inviti ac plane reluctantes ordinati fuerunt, uti referente Theodoreto in Monastica Historia c. 13. Macedonius Eremita à Flaviano Antiocheno Episcopo consecratus est Presbyter: *Cumque peracta liturgia hœc illi quidam indicassent (ignorabat enim prorsus quid egissent), primum quidem conviciis verbisque asperis proscidit universos; deinde arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat Pontificem ipsum et alios qui aderant, insecutus est.* Hæc autem, atque alia quæ subinde Macedonius egit, evidenter ostendunt, eum prorsus nolentem ad Presbyteratum fuisse promotum; et tamen validam ipsius Ordinationem Flavianus Canonum peritissimus, omnesque alii censuerunt.

Narrat et Epiphanius in epist. ad Joannem Hierosolymitanum inter Hieronymianas 100. alias 60. quod ipse Paulinianum S. Hieromyni fratrem, *ignorantem et nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jusserit, et teneri os ejus; atque ita primum Diaconum ordinaverit: valde quippe Paulinianus obnitebatur. Ac rursus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, Presbyterum ordinavit, impulitque ut in Presbyterii ordine sederet.* Duplex igitur hocce factum non obscure demonstrat', quod quarto Ecclesiæ sæculo sacer Ordo iis etiam conferebatur, qui contrariam voluntatem ac intentionem habebant.

Resp. eos, qui inviti in Episcopos vel Presbyteros vel Diaconos ordinati dicuntur, fuisse viros singulari pietate et humilitate conspicuos, qui propterea non absolutè obluctabantur, cum potius obedientiam omnem Ecclesiæ, ejusque Pastoribus devovissent: sed existimantes se impares ad Ecclesiastica onera subeunda, haud violata obedientiæ virtute, humilitatis specimen præferebant; aut si revera aliquando fuerunt inviti, adfuit tandem eis *voluntas suscipiendi operis boni*, uti scribit Augustinus in epist. 173. ad Donatum n. 2.

Et profecto quod ad Macedonium attinet, non fuit ille inscius actionis, quam circa se fieri cernebat, nec penitus repugnabat; sed ignarus fuit solummodo potestatis, quam per actionem illam acceperat: quod ut cognovit, convitiis, maledictis, et baculo adstantes lacessere cœpit, non susceptæ in se Ordinationi resistens, sed timens, *Ordinationem eum esse privaturam è cacumine montis, et ea quam desiderabat, vivendi ratione.* Ceterum quod absolute ille consenserit, ex eo colligitur, quod Dominica sequenti ad celebritatem invitatus responderit: *Non sufficiunt vobis ea, quae facta sunt, sed me rursum vultis efficere Presbyterum?*

Quod etiam Paulinianus tandem fuerit persuasus, adeoque consentiens, apparet ex iis Epiphanii verbis: *Vix ergo compulimus eum, et persuadere potuimus* (nempe, ut in Presbyteratum consentiret), *testimoniis scripturarum, et propositione mandatorum Dei.... iisdem verbis, quibus ante suaseramus* (nempe, ut consentiret in Diaconatum.) Os quidem ejus tenuerunt assistentes in utraque Ordinatione, non tamen ne contradiceret, sed *ne adjuraret ipsos per nomen Christi*, ut liber dimitteretur. *Valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans.*

Objicies 2. S. Augustinus tract. 26. in Joann. ait: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens: credere non potest, nisi volens.* Et in lib. 4. Confess. c. 4. de quodam amico suo recenset, quod cum febribus laboraret, ac desperaretur, *baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus.* Et quod ille nunquam antea baptizari desiderasset, innuere videtur Augustinus, dum ait: *Nam à fide vera, quam etsi germanitus et penitus adolecens tenebat, deflexeram eum in superstitiosas fabellas et perniitiosas, propter quas me plangebat mater.*

Resp. ad 1. Sacramentum illud, quod juxta Augustini mentem aliquis accipere potest nolens, esse Eucharistiam, quæ cum habeat esse permanens, à nesciente vel invito, quamvis sine fructu, percipi non repugnat. Quod si S. Doctorem etiam de Baptismo locutum fuisse contenderis, reponemus, eum aut ad infantes alludere, qui sine proprio consensu baptizantur aut ad adultos, qui aliquando *secundum quid* inviti, licet *simpliciter* volentes Baptisma recipiunt. Qua de re Innocentius III. in c. *Majores* supra-

citato ait: *Inter invitum et invitum, coactum et coactum, aliqui non absurde distinguunt; quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut et is qui ficte ad baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum, et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianae.*

Ad alterum. In eo Augustini amico interpretativum saltem fuisse consensum inde probatur, quod Cathecumenus fuerat et fidem utcunque tenuerat. Deinde cum Augustinus, priusquam vita amicus defungeretur, baptismum, quem is acceperat, irrideret; *ita irridentem exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili et repentina libertate, ut si amicus esse vellet, talia sibi dicere desineret.*

Objiciunt præterea 3. Cajetanus, Ledesma, aliique perpauci arbitrantes, in adultis generatim non requiri prævium aliquem consensum recipiendi Sacramentum, ac sufficere intentionem, ut appellant, *neutram*, eam scilicet, qua Sacramenta suscipiens negative se habeat, nec contra nitatur, nec præbeat positivum assensum: Hi, inquam, opponunt: Innocentius III. in citato cap. *Majores*, ait: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem.* Ergo ad validitatem Sacramenti sufficit non habere contrariam voluntatem.

Deinde Concilium Florentinum enumerans ea, quæ necessaria sunt ad Sacramenti valorem, recenset materiam, formam, et intentionem Ministri, quin aliquid de intentione suscipientis apponat: censuit ergo, quod ista ad Sacramenti valorem minime requiratur.

Idem insuper est baptismus, qui parvulis confertur, ac qui confertur adultis: atqui in illis non requirit propriam voluntatem: ergo neque requirit in istis.

Resp. ad 1. Innocentium aperte de iis loqui, qui *prius Catechumeni extiterunt, ac habuerunt propositum baptizandi, quos in necesitatis articulo baptizare consuevit Ecclesia*: etiamsi non præsentem, sed præteritam dumtaxat habeant recipiendi baptismatis voluntatem; et quidem non neutram illam, sed vere ac proprie positivam.

Ad 2. Florentinum, et alia quæ adduci possunt Concilia, ubi definiunt Sacramentum perfici materia, forma, et intentione Ministri, de iis agunt, quæ ad omnia Sacramenta, cuicumque administrentur, sunt necessaria: certum est autem intentionem non requiri in pueris qui baptizantur, neque in iis, quorum ori per vim Eucharisticus panis ingeritur.

Ad 3. reponimus, eundem quidem esse baptismum, sed non idem esse subjectum. Unde in pueris, qui sunt subjectum incapax propriæ voluntatis, hanc minime requirit, quam requirit in adultis, quos voluntatem illam habere nihil vetat. Sicuti nempe ad produ-

cendam gratiam in pueris nullam exigit dispositionem, quam tamen exigit in adultis.

Ex dictis eruitur, quod sicuti non sufficit ad Sacramenti valorem, quod Minister materiam, et formam serio exterius applicet, si interius non intendat facere, quod facit Ecclesia; ita neque sufficiat, quod suscipiens serio quidem exterius recipiat, subjiciatque se Ministro Sacramentum conferenti, interius autem intentionem retineat, apud se dicens: *Nolo recipere Sacramentum*, vel *Nolo recipere, quod Ecclesia recipiendum instituit.* In utroque enim casu, tam in Minisrro, quam in recipiente contraria intentio validitati Sacramentorum opponitur. Unde S. Thomas in p. 3. q. 68. a. 7. ad 2. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et q. 45. *supplem.* a. 4. inquit: *Si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum, vel dolum facere, non esset baptizatus.* Scribit etiam S. Bonaventura in 4. d. 4. a. 2. q. 1. quod *ubi non est intentio, non est Sacramentum: cum nullus dicatur baptizatus esse, qui consentit se immergi ad jocum.* Lege eundem S. Doctorem in 4. d. 6. p. 2. a. 2. q. 2. ad ult. arg.

Ut postremo de animi præparatione loquamur, quæ necessaria est, ut Sacramenta cum fructu recipiantur, advertimus, Sacramenta alia esse mortuorum, per quæ homo gratiam, quam antea non habebat, assequitur: alia esse vivorum, per quæ gratia jam accepta augetur, et amplius roboratur. Ut ergo quis fructum per vivorum Sacramenta percipiat, debet habere fidem charitate formatam, et in gratia justificante manere; ita nempe, ut si in gratia non sit, ad ea digne et cum fructu non possit accedere, nisi prius à peccato purgetur, reconcilietque se Deo; sive per sacramentalem Confessionem, ut Eucharistiam accipiat; sive saltem per perfectam contritionem, ut alia vivorum Sacramenta recipiat. Sunt tamen aliqui quibus videtur, teneri ad sacramentaliter confitendum quicunque mortalis peccati sibi sit conscius, si cum fructu velit ad Sacramenta vivorum accedere. Lege P. Berti in lib. 30. c. 18. propos. 3.

Ut vero ad gratiam primo consequendam per Sacramenta mortuorum quis se disponat, eos præmittere debet actus, quos Synodus Tridentina recenset in sess. 6. cap. 6. nempe, fidei, timoris, spei, dilectionis Dei justificantis, odii, ac detestationis peccati, cum proposito illud in posterum non patrandi. His enim à Spiritu Sancto movente quasi manuductus, ad gratiam per Sacramenta sive Baptismi, sive Pœnitentiæ capiendam rite disponitur. Relege quæ diximus in præced. lib. 23. c. 4.

CAPUT XIV.

Quod novae legis Sacramenta gratiam ex opere operato producant.

Cum Lutherani, et Calvinistæ ex sola fide justificari homines arbitrentur, affirmant, non aliam Sacramentis inesse efficaciam et virtutem, quam ut ad fidem moveant, excitentque; et hanc solam esse ajunt instrumentum apprehendendi gratiam salutarem. Et quamvis aliquando concedant virtutem Spiritus Sancti externa symbola comitari; non tamen horum ratione, sed intuitu fidei suscipientium salutarem effectum impertiri contendunt.

At è contra Catholici negant Sacramenta legis Evangelicæ gratiam ex suscipientium fide, meritoque producere, nec alias partes exercere, quam verbi, aut sensibilis symboli fidem excitantis; et asserunt, eadem Sacramenta gratiam ex opere operato conferre, eaque, non fidem, neque meritum, aut suscipientium, aut ministrantium, esse ejusdem gratiæ instrumenta.

Ergo gratiam ex opere operato producere juxta Catholicorum sensum est, Sacramenta per seipsa, et vi actionis à Christo institutæ, efficaciam ad gratiæ productionem habere; non vero vim totam ad illam efficiendam ex suscipientis, vel Ministri fide aut probitate recipere; alioquin ex opere operantis gratiam tribui diceretur. Quamvis secus ac calumniantur Hæretici, fateamur fidem aliasque dispositiones: quas Tridentina Synodus in sess. 6. c. 6. recenset, in adultis requiri ad justificationis gratiam obtinendam; neque sine aliqua animi præparatione ad Sacramenta accedendum esse, ut ex eis utilitas hauriatur.

Novimus hæreticos plures nos acriter increpare, quod in re tam seria barbaras profanasque voces illas adhibeamus *opus operatum*: et verborum quæ Grammatici depponentia vocant, regulas ignoremus. At novas quandoque ac minus usitatas voces usurpare potest Ecclesia, ut contra Novatores expressius fidei dogmata tueatur, atque fidelibus evidenter exponat. Unde S. Augustinus in Psal. 138. ait: *Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi.* Deinde verba illa, *Opus operatum*, non tunc primum intrusa fuerunt, quum Lutherus et Calvinus ad infestandam Ecclesiam eruperunt; nam ea commemorat S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. a. 5. et S. Bonaventura in 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 5. et ante eximios istos Scholæ Doctores Innocentius III. in lib. 3. de Mysteriis Missæ c. 5. Præterea eorumdem vocabulorum significatio in Patrum scriptis ocurrit, ipsique Ecclesiæ coæva est; neque aliud Augustinus asseruit, dum in lib. 4. contra Cresconium c. 16. scripsit: *Non eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque*

veritate, propter eum à quo institutus est. Postremo negant nonnulli esse verba aliqua deponentia juxta vulgarium Gramaticorum opinionem; qua de re legendus est P. Berti in lib 30. c. 19. atque ita contendunt, quod non Schola tantum, sed et Tridentina Synodus *opus operatum* absque latinæ orationis labe retinere potuerit

Propositio. Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato producunt.

Probatur. Ea Sacramenta gratiam ex opere operato producunt, quæ illam conferunt virtute operis externi à Christo Domino instituti: atqui novæ legis Sacramenta hac ratione gratiam conferre colligitur ex Scripturis, et SS. Patribus, ac theologica ratione. Et sane Scripturæ aperte demonstrant, per Sacramenta nos fieri salvos, exuere veterem hominem, innovari spiritu, regenerari, renasci, sanctificari, mundari, peccatorum remissionem consequi, donisque spiritualibus exornari: quibus nihil potest clarius proferri, ut vis et energia producendi gratiam exprimatur. Hinc de Baptismo Joann. 3. v. 5. legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* De Confirmatione Act. 8. v. 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* De Eucharistia Joann. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* De Pœnitentia Joann. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Ordine 1. ad Tim. c. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* De Unctione extrema scribit Jacobus c. 5. v. 14. *Si in peccatis* (infirmus) *sit remittentur ei.* De Matrimonio tandem etsi idem expresse Scriptura non asserat; ejus tamen gratiam commendat, quod Christus nuptiis benedixerit, easque sua præsentia consecraverit, Joann. 2. v. 2. Et hæc quidem è Scripturis probatio nunc sufficiat; nam de singulis Sacramentis exactior suis in locis sermo recurret.

Patrum etiam traditione thesis adstruitur, S. Ambrosius in lib. 2. de Pœnit. c. 2. ait: *Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit: sed quod impossibile erat, fecit Deus esse possibile, qui tantam nobis donavit gratiam. Similiter impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Et in lib. 1. de Sacram. c. 5. *Vidisti,* inquit, *aquam, sed non aqua omnis sanat; sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio. .... Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, et aquam illam consecraverit, &c.*

Augustinus in Psal. 73. *Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris tes-*

tamenti promiserunt Salvatorem.... Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.

Leo Magnus serm. 4. de Nativitate comparat aquam Baptismi utero Virginis, et dicit: *Aqua baptismatis instar est uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit et Virginem: ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.*

Postremo Gregorius Nyssenus Orat. in baptismum Christi inquit: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa.* Hoc idem Patres alii Græci Latinique communiter tradiderunt, ajentes, Sacramentis inesse vim sanctificandi, et hac vi ex Christi institutione pollere, independenter à fide, meritoque mortalium; et si quæratur ab illis, quomodo sensibilia signa possint spiritualia dona producere, respondent in iisdem signis divinam latitare virtutem: quæ profecto evidenter ostendunt, quod novæ legis Sacramenta juxta SS. Patrum doctrinam et sensum gratiam ex opere operato producant.

Evidenti etiam et palmari ratione propositio confirmatur. Nam Sacramenta novæ legis gratiam non conferunt per ministrantium fidem; quandoquidem Novatores affirmant validum esse baptismum ab hæretico, vel à pagano, imo ab irrisore, et à diabolo ipso collatum. Neque gratiam tribuunt ex sola suscipientium dispositione; tum quia parvuli absque dispositione ulla regenerationis lavacro mundantur; tum quia juxta Evangelica eloquia, si quis credat, sed cum baptizari possit, id negligat, salvari non potest. Producunt ergo gratiam ex opere operato.

Ex dictis apparet, quam merito Synodus Tridentina in sess. 7. can. 8. statuerit: *Si quis dixerit per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Objicies 1. Marci 16. v. 16. ait Christus; *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Qui ergo non credit, damnatur, etiamsi baptisma receperit; ergo non baptisma, sed fides salutem gratiamque producit.

Deinde ad Ephes. 5. v. 26. scribit quidem Apostolus Ecclesiam mundari *lavacro aquae*, sed insuper addit, *in verbo vitae*: ergo idcirco lavacrum aquæ, sive baptisma nos mundat, quod verbo vitæ excitat in nobis fidem: non igitur ex opere operato, &c.

Præterea Petrus in epist. 1. c. 3. v. 21. inquit: *Vos salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium: sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Baptisma igitur gratiam confert excitando fidem resurrectionis Christi; adeoque non ex opere operato eandem gratiam impertitur.

Postremo Jacobus non Unctioni, sed orationi fidei levamen et gratiam ægrotorum adscribit, inquiens c. 5. v. 15. *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus.*

Resp. ad 1. quod dum Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, non obscure demonstrat, non salvari nos et justificari per solam fidem, sed etiam per Baptismum. Et sicuti si adultus baptizatur, et non credat, condemnabitur; ita si credat, et non baptizatur, damnationem non evadet: utrumque enim requiritur ad salutem. Idcirco vero Scriptura potius meminit defectus fidei, quam baptismi; quia si quis ratione præditus careat fide, damnabitur, quamvis baptisma susceperit; si vero fidem habeat, et baptismum reipsa suscipere nequeat, salvabitur, si suscipiendi votum habuerit.

Ad 2. Per verbum vitæ eo in loco non intelligitur verbum concionis, aut prædicationis, quo excitatur fides; sed intelligitur consecratoria forma Baptismi, sive solemne verbum illud: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Itaque sensus est, Ecclesiam mundari per Baptismum, qui aquæ ablutione, et baptizantis verbo perficitur.

Ad 3. Ibi primo notamus, S. Petrum à Baptismate repetiisse salutem, dum ait: *Salvos facit baptisma*: deinde reponimus, consequentium verborum sensum esse, quod salvet Baptismus, non quatenus abluit corpus, sed quatenus animum sibi bene conscium reddit remittendo peccata. Et quemadmodum in hac phrasi, *Baptisma non est depositio sordium carnis*, occurrit metonymia hunc sensum faciens, *Baptisma non salvat, quatenus carnis sordes abstergit*; ita in hac alia phrasi, *Baptisma est interrogatio conscientiae bonae*, metonymicus sensus est, *Baptisma nihil relinquit, quod possit alicujus torquere conscientiam*. Unde Arabs Interpres ita versiculum illum expressit: *Nunc baptisma salvat nos, non amovendo sordes carnis tantum, sed exhilarando conscientiam.*

Ad ultimum respondemus, quod oratio à Presbyteris facta super infirmos sit forma consecrans Sacramentum; quippe non sola, sed cum Unctione adhibetur: *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: ibi v. 14. Ad hanc autem perficiendam Unctionem, non ad excitandam fidem deservire Presbyterorum orationem inde colligitur, quod Unctio extrema iis etiam qui mente destituuntur, ex antiqua consuetudine ministratur.

Objicies 2. S. Hieronymus in cap. 4. Isaiæ ait: *Homo aquam praebet, Deus autem Spiritum Sanctum.* Atqui dum datur Spiritus Sanctus, datur gratia: hæc igitur à Deo datur, non autem à baptismo.

Similiter Augustinus in lib. 15. de Trin. c. 26. scribit: *Neque enim aliquis discipulorum ejus*, Christi videlicet, *dabat Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.* Porro si Ministri per Sacramentum non dant Spiritum Sanctum, consequenter nec ipsa etiam Sacramenta eum, sive ejus gratiam conferunt ex opere operato.

Tandem Bernardus in serm. de Cœna Domini, inquit: *Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum; sic divisiones gratiarum diversis sunt traditae Sacramentis.* Ergo quemadmodum neque liber Canonico, neque baculus Abbati, neque Episcopo annulus gratiam confert ex opere operato; ita neque, &c.

Resp. ad 1. Hieronymi sensum esse, quod solus Deus sit principalis causa gratiæ, homo autem solummodo sit minister baptismi aquam applicans, ut gratia conferatur. Nam quod baptismi aqua sanctificata per Dei verbum peccata dimittat, aperte S. Doctor affirmat in c. 1. Isaiæ, ubi ad illa verba, *Lavamini, et mundi estote*, in persona Dei ait: *Evangelii mihi placet religio, ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere.*

Augustinus autem objecto in loco agit de processione Spiritus Sancti, quem à Patre, et Filio esse demonstrat, quia ab utroque datur ac mittitur; simulque tacitæ objectioni huic occurrit: Apostoli manuum impositione dabant Spiritum Sanctum: atqui Spiritus Sanctus ab Apostolis non procedit. Unde Augustinus negat ab Apostolis datum fuisse Spiritum Sanctum eo tantum in sensu, quo à Patre, et Filio datur, principali scilicet auctoritate; non vero negat datum ab illis fuisse tanquam à Christi Ministris, et per sacramentalem actionem, tanquam per instrumentum, cui Christus vim gratiæ productivam attribuit.

Ad 3. Bernardus non idcirco exempla illa proponit, ut cum iis comparet modum agendi Sacramentorum; quasi quod Baptismus, ex. causa, nihil plus ad salutem baptizati conferret, quam liber, baculus, annulus, ad Canonici, Abbatis, Episcopi inaugurationem et salutem; sed solummodo ut ostendat varias esse in Sacramentis gratiarum divisiones, sicut varii sunt in Ecclesia dignitatum gradus, quarum insignia quædam sunt liber, baculus, et annulus. Non ergo Bernardus censuit, quod Sacramenta sint nuda et inefficacia signa. Imo ibi respondens eis qui querebantur, quod effrænes concupiscentiæ motus adhuc maneant post baptismum, ait: *Confidite, quia et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis Sacramentum Dominici corporis, et sanguinis pretiosi investituram habetis.* Et infra subjungit: *Si quis concupiscentiae motus tam acerbos, ut ante, non sentit, gratias agat corpori, et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operetur in eo.*

At ultimo dices: Sacramentorum effectus à suscipientium dispositione dependet; non ergo possunt illa gratiam ex opere operato producere.

Resp. optime cohærere, quod Sacramentis insit virtus gratiam producendi, et quod hæc in subjecto nequaquam disposito minime recipiatur. Ut enim à naturali causa petamus exemplum, inest aquæ vis abstergendi sordes, et igni vis inest subjectam materiam comburendi; etsi nec laventut, nec comburantur corpora contra-

riis affecta dispositionibus, puta crudus later, aut viride lignum. Dicimus itaque Sacramenta novæ legis habere virtutem sanctificandi ex institutione sua, ac merito passionis Christi, nec tamen sanctificare incredulum et invitum; non ob sui defectum, sed propter obicem subjectorum; uti aqua mundat, et ignis adurit indita sibi proprietate, quamvis id in quolibet corpore haudquaquam efficiant.

CAPUT XV.

Num Sacramenta novae legis gratiam conferant, per modum causae physicae, vel moralis?

Duplex in Schola distinguitur efficientiæ modus; alter quidem physicus alter vero moralis. Physicus est, quo causa reali influxu et actione attingit effectum: ut ignis calorem, Sol lumen, semen plantas, segetesque producit. Moralis autem est illa, quo causa movet dumtaxat, et excitat ad agendum; sive id præstet imperio, uti Judex jussu suo hominem supplicio plectit; sive consilio et suasione, ut Consiliarius et Orator Regem ad bellandum inducit; sive merito, ut miles beneficia impetrat, dum cicatrices ostendit; sive inito fœdere, ut bellica res congredientium pactione componitur.

Utraque causa, tam nempe physica, quam moralis, vel principalis est, vel instrumentalis. Prior ea dicitur, quæ ex sua virtute, proprioque motu edit effectum, ita faber lignum secans, est causa sectionis physica principalis; et creditor exigens à debitore pecuniam, est causa moralis primaria, excitans ad solvendum.

Instrumentalis autem est illa, quæ agit motu ac virtute causæ principalis, vel physice, vel moraliter; physice quidem, ut serra, quam faber ad dividendum lignum usurpat; moraliter vero, uti sunt militis merita, quorum intuitu ad dandum præmium Rex movetur.

A Scholæ Theologis in quæstione versatur, qua ratione gratiam Sacramenta producant; an scilicet ut veræ causæ physicæ, an vero potius ut morales; non principales equidem, sed instrumentales, ac per divinam virtutem ad producendam gratiam elevatæ. Thomistæ passim physicam, Scotistæ vero moralem dumtaxat efficientiam in Sacramentis agnoscunt; quamvis utrique in exponendo tum physicæ, tum moralis efficientiæ modo inter se valde dissentiant.

Propositio. Novæ legis Sacramenta ad efficiendam gratiam concurrunt, ut divinæ virtutis instrumenta non physica, sed moralia.

Probatur. Creare ita Dei proprium est, ut nulli creaturæ, ne ut instrumento quidem, competere possit; sicut etiam S. Thomas concedit, et probat in p. 1. q. 45. a. 5. cujus rei hanc rationem assignat; quia instrumentum ad opus artificis elevari non potest, nisi circa eandem materiam possit aliquam propriam actionem habere: cum ergo creatio ex nihilo fiat in nihilum autem creatura nequeat ullatenus operari; aperte consequitur, ipsam neque ut instrumentum

posse ad creandum assumi. Atqui gratia cum sit forma quædam spiritualis et supernaturalis, perinde ac rationalis anima, de potentia materiæ educi non potest; ergo non nisi per creationem existit. Non ergo Sacramenta possunt ad efficiendam gratiam uti physica instrumenta concurrere.

Præterea adeo sublimis est gratia, ut nulla creata virtus illam producere valeat: nam si virtus corporea esse dicatur, cum spirituali effectu analogiam habere non potest; si vero spiritualis, corporeo elemento nequit hærere; sive id permanenter, sive transeunter dixeris evenire.

Accedit insuper, quod causa physica, etiam instrumentalis, non agit, nisi cum physice et quoad entitatem suam existit: atqui novæ legis Sacramenta, Eucharistia dumtaxat excepta, in successione consistunt; neque existunt physice eo instanti, quo physice agere gratiamque physice producere supponuntur. Illa enim supponuntur physice gratiam producere tantum post prolationem ultimæ ex sillabis, quibus eorum forma componitur: atqui Sacramenta tunc physice non existunt; ut enim physice existerent, omnes eorumdem partes physice tunc deberent existere: atqui omnes partes tunc physice non existunt; nam cum profertur ultima formæ syllaba, non existunt priores ejusdem formæ partes; ut puta cum in forma Baptismatis proferuntur hæc verba: *Spiritus Sancti*, præcedentia verba physice non existunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii.*

Hoc argumentum confirmatur ex eo, quod juxta communem Theologorum doctrinam, Baptismus ficte susceptus, idest, cum conscientia peccati mortalis, postquam recedit fictio, reviviscit, et in homine pœnitente suum sortitus effectum: atqui nequit tunc Baptismus physice effectum suum producere, cum amplius non existat; quod enim non existit, physice operari non potest.

Neque recte huic dificultati nonnulli reponunt, quod aut Deus eo in casu Baptismi existentiam suppleat, aut Baptismus per characterem quem impressit, tanquam per residuam sui partem, physice operetur. Nam primum ad rem non facit; non enim loquimur de actione Dei qui suppleat Sacramenti vices, sed de ipsius efficacia Sacramenti. Alterum vero est evidenter absurdum: Nam character non est Sacramenti pars, sed ejus effectus; neque spiritualis regeneratio ad characterem, sed ad Baptismum ipsum tanquam ad causam est referenda.

Postremo ut reliqua in brevitatis gratiam taceamus, Seraphici Doctoris de opinione nostra judicium proferimus, quod ille tradit in 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 4. inquiens. "Huic positioni pietas » fidei non repugnat, et ratio consentit. Consentit namque ratio » quia valde difficile est intelligere, qualiter illa virtus detur si» cut qualitas absoluta: difficilius, quando detur. Difficile etiam est » intelligere, cui detur, verbo scilicet, an elemento; quæ sunt » duo nihil unum facientia. Difficile etiam est scire, quamdiu du-

» rei. Difficile est similiter valde intelligere, quomodo influat. Dif-» ficile etiam, cujus naturæ sit in seipsa: et multa talia. Et ideo » huic positioni satis faciliter ratio concordat. Pietas etiam fidei non » repugnat; cavendum est enim, ne dum nimis damus corporali-» bus signis ad laudem, subtrahamus honorem gratiæ curanti et animæ » suscipienti. Hæc autem opinio non nimis dat, neque subtrahit ali-» quid honoris debiti."

Objicies 1. Scripturæ Sacramentorum energiam enuntiant ver-bis, quæ non nisi physico instrumento conveniunt. Ajunt enim hominem *renasci ex aqua, et Spiritu Sancto*, Joann. 3. v. 5. *Mundari lavacro aquae in verbo vitae*, Ephes. 5. v. 26. *Salvum fieri per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti*, ad Tytum 3. v. 5. Atqui particulæ, *ex*, *in*, *per*, veram et physicam denotant actionem.

Sancti quoque Ecclesiæ Patres Sacramentorum virtutem veris ac physicis causis frequenter assimilant; utpute virtuti seminis, aquæ calefactæ, igni comburenti utero Virginali, ceterisque rebus, quibus physicam efficientiam convenire nemo negaverit.

Resp, quod particulæ illæ actionem physicam tunc designant, quando physicus agendi modus competit causis, de quibus illæ enunciantur; alioquin possunt moralem dumtaxat efficientiam indicare. Ita licet Christi Sanguis non physica, sed meritoria tantum ac moralis causa sit humanæ salutis; legitur tamen ad Hebr. 9. v. 12 *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa*. Et Apoc. 1. v. 5. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Ac tandem in 1. Joann. c. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato*. Ita quoque juxta communem loquendi usum proferre solemus, *Ex Regis imperio, ex sapientum consilio*, aliquid fieri; *per Superiorum voluntatem* aliquid imperari; *in Adae voluntate* posterorum ejus voluntates fuisse contentas.

Patres etiam docere unice voluerunt, quod Sacramenta sanctificationem nostram vere ac proprie operentur; de modo autem vel physico, vel morali quo operentur, gratiamque producant, soliciti non fuerunt. Neque similitudines quibus illi utuntur, urgeri plus æquo debent; alioquin evincerent, Sacramenta causas esse gratiæ naturales.

At instat Gotti *in tract. de Sacram. in gen.* q. 4. *dub.* 3. §. 1. "Proposita quæstione: Quo pacto fieri possit, ut aqua sanc-» tificet animas? Patres recurrunt ad supremam Dei omnipotentiam, » quæ sicut aliis causis dedit virtutem ad effectus mirabiles pro-» ducendos, ita aquis dat virtutem sanctificandi. Unde illa celebris » exclamatio admirantis Augustini tract. 80. in Joann: *Unde tanta » virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat*? At si aqua es-» set causa tantum moralis, non esset, cur hoc, tanquam rem mi-» rabilem proponerent, et captu difficilem. Puerilis etiam foret ex-» clamatio Augustini. Quid enim mirabile est, quod in virtute chi-

„chirographi, sigilli, aut litterarum, conferantur pecuniæ, gratiæ, „dignitates? Hoc enim commune, et usitatum est apud homines. „Quare si quis exclamaret: Unde tanta virtus chirographi, ut ad „ejus exhibitionem statim numerentur pecuniæ? Merito risum „moveret.

Sed bene Scotistæ reponunt, quod non immerito Patres in Sacramentis divinam omnipotentiam admirentur. Quamvis enim virtus conferendi gratiam in illis solummodo sit moralis; adhuc tamen humanum intellectum omnem excedit, quod Deus rebus adeo infirmis, cujusmodi sunt Sacramentorum materia et forma, potentiam ac misericordiam suam alligare voluerit: ac propterea fide tantum creditur, quod illa gratiam non tantum significent, verum et infallibiliter conferant, sive physice, sive moraliter producendo. Hac eadem ratione mirabile est, quod Sancti mortuos resuscitent, quod Josue stare fecerit Solem, quod Jordanis aquæ Naaman a lepra mundaverint, quod Christi vox cohortem ad terram straverit, quod Crucis signum dæmones expellat; et cetera plura miramur, in quibus moralem dumtaxat inesse virtutem agnoscimus, raram tamen, et supra naturæ vires agentem: cujusmodi profecto non est chirographi virtus ex hominum institutione humanum dumtaxat aliquid et naturale significans.

Objicies 2. cum eodem doctissimo Cardinale: „Thomistarum „sententia videtur magis assequi mentem Concilii Tridentini, con„tra Sectarios. Sessione enim 7. can. 6. statuit, Sacramenta no„væ legis continere gratiam, quam significant (quod prius in Flo„rentino Decreto ad Armenos, ab Eugenio IV. statutum fuerat); „et can. 8. eadem ex opere operato conferre gratiam. De Baptis„mo can. 1. statuit, Baptismum Christi majorem habere vim, quam „baptismum Joannis. Hæc autem verba continere gratiam, eam „ex opere operato conferre, Baptismum Christi majorem vim ha„bere, in sensu magis proprio aptantur causæ physicæ, quam „morali.”

Resp. cum S. Bonaventura in citato a. q. 3. quod Sacramenta *dicuntur continere gratiam, quia ipsam significant, et quia nisi ibi sit defectus ex parte suscipientis, in ipsis gratia semper confertur; ita intelligendo, quod gratia sit in anima, non in signis visibilibus.* Ita pariter ex opere operato gratiam conferre dicuntur, non quia per physicum influxum operentur effectum; sed quia ad gratiam conferendam divinitus sunt instituta, atque ad id præstandum infallibilem habent promissionem. Ob eandem etiam rationem Christi Baptisma majorem habere vim dicitur, quam baptisma Joannis; istud enim gratiam tantummodo significabat, non autem ex ipsa vi et institutione operis conferebat. Denique Schotistæ contendunt, quod omnia quæ de Sacramentorum virtute apud Concilia, Patresque leguntur, optime ac sine ulla sensus improprietate exponi possint de morali dumtaxat efficientia; præsertim cum hæc sit explicatu facilior, neque necessitas ulla sit physicam efficientiam admittendi. Mo-

ralis enim causa vere effectus sui causa est, et absolute ac simpliciter causa nuncupatur; sicuti de finali, et exemplari causa patet, quæ licet physice non influant in effectum illum tamen simpliciter præstare dicuntur. Ita merita simpliciter dicuntur causa augmenti gratiæ, et gloriæ; quamvis illud non nisi moraliter efficiant: ita et Judex per sententiam dicitur reum occidere, quamvis ad occisionem ejus physice non concurrat. Vide Scotum in 4. d. 1. q. 4. et 5.

Urget autem Gotti: "Concilium Tridentinum sess. 6. c. 7. ubi » assignat causas justificationis, dicit, instrumentalem esse Baptis» mum, principalem vero esse Deum: sed Deus est causa efficiens, » non moralis, sed physica: ergo et Sacramentum erit causa ins» trumentalis, non moralis, sed physica."

Resp. Deum esse justificationis causam physicam principalem, quia reali influxu, propriaque virtute gratiam producit; at Baptismus est quidem instrumentalis causa justificationis, quia ad gratiæ productionem ex divina virtute concurrit: non tamen est causa physica, sed moralis; quia sensibile signum in spiritualem gratiam physice nequit influere, cum inter hæc nequeat physica reperiri proportio. Ergo ad hoc ut Tridentini Concilii doctrina subsistat, satis erit, quod Baptismus, ut instrumentum suo modo agens, justificationem operari dicatur: *est enim Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio*; uti idem loquitur Tridentinum.

Objicies 3. Si Sacramenta physice gratiam non conferrent, plura sequerentur absurda; ac primo illa essent nuda signa, ad quorum præsentiam Deus gratiam largiretur, quin ipsa quidquam efficerent. 2. nullum esset inter veteris et novæ legis Sacramenta discrimen; nam et illa Deum moraliter movebant, ut gratiam digne suscipientibus impertiret. 3. veræ non essent Sacramentorum formæ, *Ego te baptizo*, *Ego te absolvo*, *&c.* nam si solus Deus gratiam in baptizato, et in pœnitente produceret; non baptizans, et absolvens, sed solus Deus à peccato mundaret; et ab eodem pœnitentem absolveret.

Respondent Scotistæ cum P. Mastrio, quod Sacramenta non solum sunt signa gratiæ, sed etiam causæ; nam pura signa nullo pacto movent voluntatem principalis agentis, uti movent Sacramenta voluntatem Dei ob moralem quandam intrinsecam bonitatem; quatenus actiones sunt à Christo institutæ, et ad conferendam gratiam efficaciter ordinatæ. Sicut enim Christi preces Deum movebant ad patranda miracula, ita sacramentalis operatio simili virtute potitur; siquidem omnia novæ legis Sacramenta à quocunque Ministro fiant, non nisi Christi nomine fiunt, qui in Ministro operatur, et utitur illis rebus, et vocibus, ut cum Deo loquatur, et sacramentalem ab eo exquirat effectum. Hinc nullum est Sacramentum, si Minister implicitam saltem ac virtualem non habeat voluntatem faciendi, quod Christus instituit, et facit Ecclesia. Quare negant, quod Sacramenta gratiam conferant aut ad instar chi-

rographi, quod non est causa solutionis, sed merum signum debiti jam contracti; aut uti plumbeum signum à Rege institutum, ut quicunque illud afferat, pro eo centum aureos accipiat; in quibus aliisque similibus exemplis sola ratio signi relucet.

Neque vetera Sacramenta ex seipsis Deum ad gratiam conferendam infallibiliter ac certo movebant, sed dumtaxat ex fide, cujus erant publicæ quædam protestationes, et signa, quæ ea virtute carebant, ut ex infallibili Dei ordinatione justificationis gratiam continerent.

Tandem ut Sacramentorum formæ veritatem obtineant, sufficit moralis efficientia in Ministro, per quam etiam vere dicimus, Christi passionem, et sanguinem nos ab omni peccato mundasse, dicimusque pecuniam à captivitate hominem liberare, quamvis id moraliter dumtaxat efficiant. Præterea in Adversariorum opinione adhuc verba illa sunt vera, licet Sacerdos non sit principalis causa gratiæ, sed dumtaxat Christi nomine Sacramenta conficiat, et ministret, per quæ homo sanctificationem assequitur: ergo vera pariter esse per id possunt, quod Sacerdos revera est Ministri Sacramenti, quod per modum moralis causæ gratiam confert, per quam homo sanctificationem acquirit.

Objicies 4. Creaturæ omnes maxima subjectione Deo subduntur: ergo sicut admittenda in qualibet creatura est *obedientialis*, ut ajunt, *passiva potentia* ad recipiendum quidquid Deus voluerit; ita pariter admittenda est *potentia obedientialis activa* ad efficiendum omne quod Deo placuerit. Poterunt ergo Sacramenta per modum instrumenti physici à Deo elevari ad gratiam producendam.

Reponunt vero Scotistæ negando, quod detur in omnibus creaturis potentia obedientialis passiva, qua possint in seipsis formam quamcunque recipere: nam neque corporeus oculus recipere potest spiritualem Dei visionem, neque Angelus albedinem, vel calorem. Subjectio autem creaturæ relate ad Deum dumtaxat exigit, quod illa agat, quando et quomodo agere Deus ipse voluerit: at inchoata saltem virtus, et remota proportio ad id, quod agit, vel recipit, in creatura requiritur. Unde Ven. Scotus in 4. d. 1. q. 1. ait, quod *etsi possit Deus absolute creare frigus, non tamen per calorem; ita quod calor sit in aliquo ordine causa activa respectu frigoris.* Cum ergo inter spiritualem gratiam, et sensibilia signa ne inchoata quidem et remota possit inveniri proportio; non possunt Sacramenta assumi à Deo per modum physici instrumenti ad gratiam producendam.

Hic postremo notamus, Ægidianos plerosque sentire, quod Sacramenta non sint morales causæ gratiæ; cum causa moralis nihil in subjecto operetur, neque principalem effectum, neque id, cui effectus ipse conjungitur; neque sint causæ *instrumentales physicæ directæ*, uti opinantur Thomistæ, requirentes in Sacramentis virtutem, per quam gratiam spiritualem attingant: sed, ajunt, esse

causas gratiæ *instrumentales physicas indirectas*, quia etsi effectum gratiæ non attingant, id tamen propria actione producunt, cui gratia conjuncta est. Nam si ad physicam Sacramentorum applicationem, ad ablutionem aquæ, ad inunctionem chrismatis, gratiam infundit occulta, et inenarrabilis virtus Spiritus Sancti; ergo quamvis sensibilia elementa spiritualem virtutem non habeant, erunt nihilominus physica producendæ gratiæ instrumenta. Hoc modo instrumenta agricolæ sunt causa segetum, cataplasmata sanitatis et vitæ: non enim illa vegetativam, neque ista vitalem energiam habent; sed illa id efficiunt circa terram, hæc id operantur circa corporis membra, unde satorum vegetatio, et animalium valetudo procedit.

At primo quidem ex supradictis apparet, moralem causam suo modo effectum attingere, physicam ac principalem movendo causam, ut in actionem erumpat. Deinde Sacramenta dici nequeunt causæ gratiæ *instrumentales physicæ indirectae*; nam inter causam physicam (quæcunque tandem illa sit, sive nempe sit causa princeps, sive instrumentalis, et sive directa, sive indirecta dicatur), et effectum debet inchoata saltem entitativa proportio reperiri, qua *physice*, reali scilicet influxu et actione attingat effectum: id enim physica causa exigit, prout à causa morali distinguitur. In sensibili autem elemento ac verbo relate ad spiritualem gratiam ejuscemodi proportio inveniri non potest. Ergo Sacramenta dici nequeunt causæ gratiæ instrumentales physicæ, neque etiam indirectæ: nam quod vel indirectæ ac mediate tantum efficit, si efficit physice, physica proportione ad effectum referatur oportet. Et quamvis ad physicam Sacramentorum applicationem gratia infundatur; id tamen non per physicum ac realem aliquem, vel immediatum vel mediatum, influxum ex sensibilibus signis emanantem habetur; sed per moralem duntaxat efficientiam id contingit; quatenus divina virtus ad præsentiam Sacramentorum quæ Christus ut efficacia signa nostræ salutis instituit, gratiam in suscipiente producit. Neque exempla adducta nos movent, in quibus physica quædam proportio causam inter et effectum facile omnibus innotescit; nam instrumenta illa non tantum physice applicantur, verum etiam principalem causam ad naturæ opera reali ac physica actione disponunt.

CAPUT XVI.

Ubi de Sacramentorum gratia nonnulla scitu digna notantur.

Gratia, quæ per Sacramenta confertur, alia illis omnibus communis est; alia vero eorundem unicuique est propria. Communis est ipsa gratia sanctificans; et prima dicitur, si conferatur homini, qui prius in lethali peccato jacebat; dicitur autem secunda, si gratiam in homine præsuponit; ut dum nova gratia homini jam

justo tribuitur. Quæ primam dant gratiam, mortuorum Sacramenta vulgo dicuntur, uti Baptismus, et Pœnitentia: quæ autem dant secundam, appellantur Sacramenta vivorum; uti est Confirmatio, Eucharistia, &c. Gratia denique unicuique Sacramento propria aliud non esse videtur, quam jus quoddam ad habenda actualia auxilia, quibus homo cujuslibet Sacramenti finem valeat obtinere.

Quærunt Theologi, num vivorum Sacramenta primam gratiam possint aliquando conferre; et communiter fieri id posse concedunt, in casu, quo sine mortalis peccati conscientia aliquis ea Sacramenta recipiat. Si enim primam tunc gratiam non conferrent, proprium non sortirentur effectum, quem ex opere operato producunt, dum nullum obicem humanæ voluntatis inveniunt; ob quam etiam rationem Pœnitentia delet peccata, quæ invincibiliter ignorantur, quia alias remittere non posset cetera, quæ pœnitens confitetur. Hinc Doctor Angel. in p. 3. q. 79. a. 3. de Eucharistia agens ait: *Hoc Sacramentum in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati. Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis prius justificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote, et reverenter accedens, consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet, et remissionem peccati.* Idem quoque docet S. Bonaventura in 4. d. 12. p. 2 a. 1. q. 2.

At Vasquez cum quibusdam aliis oppositum sentit, objectatque 1. quod Sacramenta gratiam conferant ex vi divinæ institutionis: ad conferendam autem primam gratiam duo tantum, Baptismus nempe, et Pœnitentia, sunt divinitus instituta.

2. Eucharistia est panis vitæ, præbetque spiritale nutrimentum; mortuis vero porrigi nihil potest, quod eos enutriat.

3. demum, in iis, quæ à Dei voluntate dependent, nihil aliud pro certo statui potest, quam id, quod nobis aut Ecclesia, aut traditio, aut Scriptura proponit; atqui neque Ecclesia, neque traditio, neque Scriptura nos docet, vivorum Sacramenta primam gratiam aliquando conferre.

Resp. ad 1. Sacramenta vivorum in hypothesi de qua superius dictum est, primam dare gratiam ex vi divinæ institutionis, indirecte saltem et mediate; cum instituta sint, ut gratiam ex opere operato iis omnibus tribuant, qui ejusdem gratiæ per propriæ voluntatis obicem non redduntur indigni.

Ad alterum. Neque inter panem, qui corpus enutrit et Eucharistiam, neque inter mortuum corpore et peccatorem, omnimoda comparatio reperitur: nam panis ille nutrit tantum, et Eucharistia est panis vivus, dans vitam, et continens Christum, eos, in quibus manet, vivificantem: mortuus etiam corpore, vitaliter nihil

causas gratiæ *instrumentales physicas indirectas*, quia etsi effectum gratiæ non attingant, id tamen propria actione producunt, cui gratia conjuncta est. Nam si ad physicam Sacramentorum applicationem, ad ablutionem aquæ, ad inunctionem chrismatis, gratiam infundit occulta, et inenarrabilis virtus Spiritus Sancti; ergo quamvis sensibilia elementa spiritualem virtutem non habeant, erunt nihilominus physica producendæ gratiæ instrumenta. Hoc modo instrumenta agricolæ sunt causa segetum, cataplasmata sanitatis et vitæ: non enim illa vegetativam, neque ista vitalem energiam habent; sed illa id efficiunt circa terram, hæc id operantur circa corporis membra, unde satorum vegetatio, et animalium valetudo procedit.

At primo quidem ex supradictis apparet, moralem causam suo modo effectum attingere, physicam ac principalem movendo causam, ut in actionem erumpat. Deinde Sacramenta dici nequeunt causæ gratiæ *instrumentales physicae indirectae*; nam inter causam physicam (quæcunque tandem illa sit, sive nempe sit causa princeps, sive instrumentalis, et sive directa, sive indirecta dicatur), et effectum debet inchoata saltem entitativa proportio reperiri, qua *physice*, reali scilicet influxu et actione attingat effectum: id enim physica causa exigit, prout à causa morali distinguitur. In sensibili autem elemento ac verbo relate ad spiritualem gratiam ejusmodi proportio inveniri non potest. Ergo Sacramenta dici nequeunt causæ gratiæ instrumentales physicæ, neque etiam indirectæ: nam quod vel indirectæ ac mediate tantum efficit, si efficit physice, physica proportione ad effectum referatur oportet. Et quamvis ad physicam Sacramentorum applicationem gratia infundatur; id tamen non per physicum ac realem aliquem, vel immediatum vel mediatum, influxum ex sensibilibus signis emanantem habetur; sed per moralem dumtaxat efficientiam id contingit; quatenus divina virtus ad præsentiam Sacramentorum quæ Christus ut efficacia signa nostræ salutis instituit, gratiam in suscipiente producit. Neque exempla adducta nos movent, in quibus physica quædam proportio causam inter et effectum facile omnibus innotescit; nam instrumenta illa non tantum physice applicantur, verum etiam principalem causam ad naturæ opera reali ac physica actione disponunt.

CAPUT XVI.

Ubi de Sacramentorum gratia nonnulla scitu digna notantur.

Gratia, quæ per Sacramenta confertur, alia illis omnibus communis est; alia vero eorundem unicuique est propria. Communis, est ipsa gratia sanctificans; et prima dicitur, si conferatur homini, qui prius in lethali peccato jacebat; dicitur autem secunda, si gratiam in homine præsuponit; ut dum nova gratia homini jam

justo tribuitur. Quæ primam dant gratiam, mortuorum Sacramenta vulgo dicuntur, uti Baptismus, et Pœnitentia: quæ autem dant secundam, appellantur Sacramenta vivorum; uti est Confirmatio, Eucharistia, &c. Gratia denique unicuique Sacramento propria aliud non esse videtur, quam jus quoddam ad habenda actualia auxilia, quibus homo cujuslibet Sacramenti finem valeat obtinere.

Quærunt Theologi, num vivorum Sacramenta primam gratiam possint aliquando conferre; et communiter fieri id posse concedunt, in casu, quo sine mortalis peccati conscientia aliquis ea Sacramenta recipiat. Si enim primam tunc gratiam non conferrent, proprium non sortirentur effectum, quem ex opere operato producunt, dum nullum obicem humanæ voluntatis inveniunt; ob quam etiam rationem Pœnitentia delet peccata, quæ invincibiliter ignorantur, quia alias remittere non posset cetera, quæ pœnitens confitetur. Hinc Doctor Angel. in p. 3. q. 79. a. 3. de Eucharistia agens ait: *Hoc Sacramentum in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati. Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis prius justificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote, et reverenter accedens, consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet, et remissionem peccati.* Idem quoque docet S. Bonaventura in 4. d. 12. p. 2 a. 1. q. 2.

At Vasquez cum quibusdam aliis oppositum sentit, objectatque 1. quod Sacramenta gratiam conferant ex vi divinæ institutionis: ad conferendam autem primam gratiam duo tantum, Baptismus nempe, et Pœnitentia, sunt divinitus instituta.

2. Eucharistia est panis vitæ, præbetque spiritale nutrimentum; mortuis vero porrigi nihil potest, quod eos enutriat.

3. demum, in iis, quæ à Dei voluntate dependent, nihil aliud pro certo statui potest, quam id, quod nobis aut Ecclesia, aut traditio, aut Scriptura proponit; atqui neque Ecclesia, neque traditio, neque Scriptura nos docet, vivorum Sacramenta primam gratiam aliquando conferre.

Resp. ad 1. Sacramenta vivorum in hypothesi de qua superius dictum est, primam dare gratiam ex vi divinæ institutionis, indirecte saltem et mediate; cum instituta sint, ut gratiam ex opere operato iis omnibus tribuant, qui ejusdem gratiæ per propriæ voluntatis obicem non redduntur indigni.

Ad alterum. Neque inter panem, qui corpus enutrit et Eucharistiam, neque inter mortuum corpore et peccatorem, omnimoda comparatio reperitur: nam panis ille nutrit tantum, et Eucharistia est panis vivus, dans vitam, et continens Christum, eos, in quibus manet, vivificantem: mortuus etiam corpore, vitaliter nihil

agit, nec panem capit; peccator autem actuali gratia præventus potest credere, diligere, et sumere panem vitæ; nec tantum dentibus premere Sacramentum, sed etiam cum animi præparatione illam carnem manducare, quæ *est pro mundi vita*, Joann. 6. v. 52.

Ad 3. Argumentum illud solummodo probat, quod sententia nostra non sit fidei dogma, neque omnino certa conclusio; non vero demonstrat, quod vel falsa sit, vel careat probabilitate. Etsi enim aperta Ecclesiæ definitio, et Patrum doctrina, ac Scripturæ auctoritas assertionem nostram firmare non possint, neque tamen eandem infirmant; imo nos illam ex ipsa Sacramentorum natura, et excellentia argumentando valde probabilem esse monstravimus.

Nonnulli quærunt etiam, an Sacramenta mortuorum possint quandoque secundam gratiam impertiri. Sed nullum hac de re dubium esse potest. Si enim homo ad Baptismi, vel Pœnitentiæ Sacramentum accedat jam justificatus ex perfecta charitate; tunc Sacramenta illa non conferunt primam gratiam, sed secundam: quamvis eo in casu prima gratia sine voto ac desiderio percipiendi reipsa Sacramenta non detur.

Quæri insuper potest, num gratia sacramentalis ab habituali, sive sanctificante gratia distinguatur. Qua de re primo dicimus, quodlibet Sacramentum non solum gratiam sanctificantem, et dona ei adnexa tribuere; verum et conferre gratiam specialem, sibique propriam, quæ idcirco sacramentalis gratia nuncupatur. Per quodlibet enim Sacramentum conferri debet gratia conveniens fini, ad quem potissimum ordinatur; quia ut ait Bernardus in serm. de Cœna Domini: *Divisiones gratiarum diversis sunt traditae Sacramentis*: atqui unumquodque Sacramentum ad specialem finem aliquem ordinatur: ergo quodlibet Sacramentum, &c. Et hoc est, quod Tertullianus asseruit in lib. de Resurrect. carnis c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur: caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

Apposite scribit etiam Eugenius IV. in Decreto: *Per Baptismum spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: renati autem, et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum incurrimus aegritudinem animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur.* Ad obtinendos autem varios illos distinctosque fines necessaria est sacramentalis gratia specialis et propria: gratia enim, quæ est Sacramenti effectus, induit rationem medii relate ad finem ejusdem Sacramenti; et nisi effectus ille diversus esset et multiplex, in extremo tantum ritu Sacramenta differrent, neque aliud alio majorem necessitatem haberet.

His autem positis affirmamus, sacramentalem gratiam non esse habitum à gratia sanctificante distinctum; sed ei dumtaxat jus aliquod addere ad obtinenda, cum opus fuerit, illa gratiæ auxilia, quæ ad consequendos proprios uniuscujusque Sacramenti fines necessario requiruntur. Superfluus enim omnino videtur habitus alter à gratia sanctificante diversus; siquidem hæc una præstare id omne potest, quod diversus habitus ille præstaret gratia; namque sanctificans animam, ejusque facultates perficit, et complet ad hoc, ut proprios cujusque Sacramenti supernaturales actus valeat exercere. Ergo vero magis simile est, quod sacramentalis gratia supra gratiam habitualem addat solummodo jus aliquod certum, et in divina promissione fundatum: bene enim dicitur, ex gratuita voluntate obstrinxisse se Deum, ut homini Sacramenta digne recipienti conferret gratiam sanctificantem, et insuper jus illud adjungeret obtinendi actualia gratiæ auxilia ad finem uniuscujusque Sacramenti proprium assequendum. Ita Baptismus, quia pro fine habet homini tribuere novam vitam, qua vitiis moriatur, et Christi membrum evadat, idcirco jus ei confert ad auxilia obtinenda, quibus ejuscemodi munus digne perficiat. Et Confirmatio jus dat ad auxilia necessaria, ut data occasione fidem Christi coram tyrannis exterius fateatur: atque ita per singula Sacramenta percurrendo, de omnibus similiter dicendum est. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 6.

Ex dictis infertur, sacramentalem gratiam quoad effectus suos non conferri totam simul, quando recipitur Sacramentum; sed conferri tunc quidem jus ad habenda actualis gratiæ auxilia; ipsam autem gratiam actualem suo tantum tempore ac loco conferri, quando nempe necessitas id requirit. Nam plerumque contingit, ejuscemodi auxilia aut necessaria non esse, cum percipitur Sacramentum; aut tunc necessaria esse, cum illud percipi exinde non potest. Sit exemplum. Puer Confirmationis Sacramentum recipit, quando nullas circa fidem patitur tentationes; adeoque non indiget tunc speciali illo gratiæ auxilio, quod hujusce Sacramenti proprium est; eo autem subinde indigebit, cum recipere amplius non poterit Sacramentum. Illa ergo gratiæ auxilia, ad quæ per Sacramentum jus acquiritur, suo loco et tempore conferuntur.

Infertur etiam, quod qui per mortale peccatum à sanctificante gratia excidit, jus amittit, ut auxilia illa suo tempore consequatur: amisso enim juris fundamento, jus quoque ipsum amittitur.

Ultimo quæritur, an idem Sacramentum æqualem semper gratiam largiatur. Ad quod breviter respondemus, unum idemque Sacramentum, puta Baptismum, æqualem semper conferre gratiam iis, qui cum æquali animi præparatione ad illud accedunt. Ubi enim eadem causa eodem modo fuerit applicata, eandemque illa dispositionem ex parte suscipientis invenerit, ibi idem semper esse debebit effectus.

Quod si suscipientes inæqualem præparationem habuerint, idem

agit, nec panem capit; peccator autem actuali gratia præventus potest credere, diligere, et sumere panem vitæ, nec tantum dentibus premere Sacramentum, sed etiam cum animi præparatione illam carnem manducare, quæ *est pro mundi vita*, Joann. 6. v. 52.

Ad 3. Argumentum illud solummodo probat, quod sententia nostra non sit fidei dogma, neque omnino certa conclusio; non vero demonstrat, quod vel falsa sit, vel careat probabilitate. Etsi enim aperta Ecclesiæ definitio, et Patrum doctrina, ac Scripturæ auctoritas assertionem nostram firmare non possint, neque tamen eandem infirmant; imo nos illam ex ipsa Sacramentorum natura, et excellentia argumentando valde probabilem esse monstravimus.

Nonnulli quærunt etiam, an Sacramenta mortuorum possint quandoque secundam gratiam impertiri. Sed nullum hac de re dubium esse potest. Si enim homo ad Baptismi, vel Pœnitentiæ Sacramentum accedat jam justificatus ex perfecta charitate; tunc Sacramenta illa non conferunt primam gratiam, sed secundam: quamvis eo in casu prima gratia sine voto ac desiderio percipiendi reipsa Sacramenta non detur.

Quæri insuper potest, num gratia sacramentalis ab habituali, sive sanctificante gratia distinguatur. Qua de re primo dicimus, quodlibet Sacramentum non solum gratiam sanctificantem, et dona ei adnexa tribuere; verum et conferre gratiam specialem, sibique propriam, quæ idcirco sacramentalis gratia nuncupatur. Per quodlibet enim Sacramentum conferri debet gratia conveniens fini, ad quem potissimum ordinatur; quia ut ait Bernardus in serm. de Cœna Domini: *Divisiones gratiarum diversis sunt traditae Sacramentis*: atqui unumquodque Sacramentum ad specialem finem aliquem ordinatur: ergo quodlibet Sacramentum, &c. Et hoc est, quod Tertullianus asserdit in lib. de Resurrect. carnis c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur: caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

Apposite scribit etiam Eugenius IV. in Decreto: *Per Baptismum spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: renati autem, et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum incurrimus aegritudinem animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur.* Ad obtinendos autem varios illos distinctosque fines necessaria est sacramentalis gratia specialis et propria: gratia enim, quæ est Sacramenti effectus, induit rationem medii relate ad finem ejusdem Sacramenti; et nisi effectus ille diversus esset et multiplex, in extremo tantum ritu Sacramenta differrent, neque aliud alio majorem necessitatem haberet.

His autem positis affirmamus, sacramentalem gratiam non esse habitum à gratia sanctificante distinctum; sed ei dumtaxat jus aliquod addere ad obtinenda, cum opus fuerit, illa gratiæ auxilia, quæ ad consequendos proprios uniuscujusque Sacramenti fines necessario requiruntur. Superfluus enim omnino videtur habitus alter à gratia sanctificante diversus; siquidem hæc una præstare id omne potest, quod diversus habitus ille præstaret gratia; namque sanctificans animam, ejusque facultates perficit, et complet ad hoc, ut proprios cujusque Sacramenti supernaturales actus valeat exercere. Ergo vero magis simile est, quod sacramentalis gratia supra gratiam habitualem addat solummodo jus aliquod certum, et in divina promissione fundatum: bene enim dicitur, ex gratuita voluntate obstrinxisse se Deum, ut homini Sacramenta digne recipienti conferret gratiam sanctificantem, et insuper jus illud adjungeret obtinendi actualia gratiæ auxilia ad finem uniuscujusque Sacramenti proprium assequendum. Ita Baptismus, quia pro fine habet homini tribuere novam vitam, qua vitiis moriatur, et Christi membrum evadat, idcirco jus ei confert ad auxilia obtinenda, quibus ejuscemodi munus digne perficiat. Et Confirmatio jus dat ad auxilia necessaria, ut data occasione fidem Christi coram tyrannis exterius fateatur: atque ita per singula Sacramenta percurrendo, de omnibus similiter dicendum est. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 6.

Ex dictis infertur, sacramentalem gratiam quoad effectus suos non conferri totam simul, quando recipitur Sacramentum; sed conferri tunc quidem jus ad habenda actualis gratiæ auxilia; ipsam autem gratiam actualem suo tantum tempore ac loco conferri, quando nempe necessitas id requirit. Nam plerumque contingit, ejuscemodi auxilia aut necessaria non esse, cum percipitur Sacramentum; aut tunc necessaria esse, cum illud percipi exinde non potest. Sit exemplum. Puer Confirmationis Sacramentum recipit, quando nullas circa fidem patitur tentationes; adeoque non indiget tunc speciali illo gratiæ auxilio, quod hujusce Sacramenti proprium est; eo autem subinde indigebit, cum recipere amplius non poterit Sacramentum. Illa ergo gratiæ auxilia, ad quæ per Sacramentum jus acquiritur, suo loco et tempore conferuntur.

Infertur etiam, quod qui per mortale peccatum à sanctificante gratia excidit, jus amittit, ut auxilia illa suo tempore consequatur: amisso enim juris fundamento, jus quoque ipsum amittitur.

Ultimo quæritur, an idem Sacramentum æqualem semper gratiam largiatur. Ad quod breviter respondemus, unum idemque Sacramentum, puta Baptismum, æqualem semper conferre gratiam iis, qui cum æquali animi præparatione ad illud accedunt. Ubi enim eadem causa eodem modo fuerit applicata, eandemque illa dispositionem ex parte suscipientis invenerit, ibi idem semper esse debebit effectus.

Quod si suscipientes inæqualem præparationem habuerint, idem

Sacramentum gratiam conferet inæqualem. Nam causæ etiam naturales, quæ toto suo nisu et impetu agunt, æqualem vel inæqualem producunt effectum, pro diversa dispositione subjecti, circa quod actio exercetur; ita ignis intensiorem calorem in uno, quam in alio subjecto producit, pro varia nempe approximatione, siccitate, textura, &c. Atqui novæ legis Sacramenta agunt tanquam causæ necessariæ, et naturales: ergo quamvis ex opere operato agant, et ex seipsis perfectissimam valeant gratiam impertiri; quia tamen eorum actio à subjecti dispositione dependet, idcirco majorem vel minorem gratiam conferunt pro varia dispositione, sive pro diversa suscipientium pietate.

Ut autem sententia isthæc clarius exponatur, afferre juvat S. Thomæ doctrinam ex p. 3. q. 69. a. 8. ubi etsi expresse de solo Baptismo loquatur, ejus tamen sensus facile potest Sacramentis etiam aliis applicari. *Duplex est*, inquit Doctor Angel. *effectus baptismi, unus per se, et alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id, ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam; et hunc effectum aequaliter facit in omnibus, qui aequaliter se habent ad baptismum: unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur), omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum; quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licet ignis quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur; sicut super illud* Rom. 6. Ut ultra non serviamus peccato, *dicit Glossa*, ex Augustino deprompta in lib. 1. de Peccat. Meritis c. 39. Non hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati quæ est in membris prorsus extinguatur. *Et tales effectus non aequaliter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum aequali devotione accedant; sed dispensantur hujusmodi effectus secundum ordinem providentiae divinae.*

Et hæc quidem pro instituti nostri brevitate dicta sunt satis: adire tamen Candidati poterunt S. Bonaventuram in 4. d. 4. a. 1. q. 3. Ven. Scotum in 4. d. 4. q. 7. Cl. Estium in 4. d. 4. §. 9. Tournely q. 4. de Sacram. in gen. a. 1., &c.

CAPUT XVII.

Num vetera Sacramenta gratiam ex opere operato contulerint? Ubi etiam de Circumcisione specialiter disputatur.

Novatores eandem efficaciam producendi gratiam Sacramentis tum antiquæ, tum novæ legis attribuunt, cum contendant per solam divinarum promissionum fidem ab homine gratiam ac justitiam apprehendi; quamvis alioquin admittant Evangelica Sacramenta faciliora esse, et ad excitandam, obsignandamque fidem efficaciora veteribus.

Scholæ vero Doctores hoc in capite plurimum inter se dissentire videntur; pluresque aliter de Circumcisione, aliter de ceteris legis Mosaicæ Sacramentis affirmandum existimant. Ita Sententiarum Magister in 4. d. 1. ait, quod *nunquam ex operibus legis* (ac etiam ex Sacramentis) *aliquis justificatus est, etiamsi in fide, et charitate fierent.* Contra autem Hugo Victorinus in lib. 1. de Sacram. Fidei p. 8. c. 11. et 12. cujus sententiam laudat S. Bonaventura in 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 5., arbitratur, quod cum in veteribus Sacramentis *esset professio fidei facta, ratione fidei conjunctae erat in illis primo, et per illa (per accidens tamen) justificatio.* Denique S. Thomas in p. 3. q. 62. a. 6. scribit, *quod Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem, sed solum significabant fidem, per quam justificabantur.* Diversam horum explicandi rationem conciliare nititur P. Berti in lib. 30. c. 19. propositio 2.

Quod autem ad Circumcisionem pertinet, quam à Mosaicis Sacramentis idcirco nonnulli distinguunt, quod ejus institutio ac præceptum Moysen multo ante præcesserit, Magister Sententiarum citato in loco, Alensis, S. Bonaventura, Scotus, aliique plures affirmant illam ex opere operato gratiam contulisse. At S. Thomas in p. 3. q. 70. a. 4. Melchior Canus, Bellarminus, aliique non pauci oppositum arbitrantur: immo nonnulli non solum negant Circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato, verum etiam inficiantur datam illam fuisse in originalis peccati remedium.

Propositio 1. Vetera Sacramenta eandem cum novæ legis Sacramentis efficaciam non habebant.

Probatur. Sacramenta illa ab Apostolo ad Gal. 4. v. 9. appellantur, *infirma, et egena elementa*: et ad Hebr. 9. v. 13. dicuntur habuisse vim sanctificandi dumtaxat *ad emundationem carnis*; quia nempe *per se* legalem tantum justitiam conferebant. E contrario autem novæ legis Sacramenta ab eodem Apostolo ad Titum 3. v. 5. dicuntur hominem *regenerare, et renovare, et salvum facere*; sicut et in aliis Scripturæ locis, quæ in hujusce libri

c. 14. citavimus, dicuntur dare Spiritum Sanctum, remissionem peccatorum, gratiam, et vitam aeternam.

Deinde, si vetera Sacramenta eandem cum novis efficientiam habuissent, non alia ratione ab istis discrepassent, *nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi*: at id in can. 2. sess. 7. Synodus Tridentina proscripsit.

Scribit denique Augustinus in lib. 19. contra Faustum c. 13. quod à Christo Sacramenta *alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fidei revelata.* Idem quoque ille ait in Psal. 73. n. 2. ut in citato c. 14. superius observavimus.

Propositio 2. Mosaicæ legis Sacramenta (excepta Circumcisione, de qua inferius disseremus) per accidens, et ex opere operantis gratiam contulerunt, non vero per se, et ex opere operato.

Probatur 1. pars. Omnia opera bona Justorum facta ex fide in venturum Messiam, non solum in lege Mosaica, sed etiam in lege naturæ, augmentum gratiæ merebantur; et eos, qui in peccato erant, ad justitiam disponebant: unde ad Rom. 2. v. 13. legitur: *Factores legis justificabuntur.* Et Jacobi c. 2. v. 21. *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est?... Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est.* Atqui susceptio veterum Sacramentorum quæ Deus instituit, erat opus bonum ad religionem et obedientiam pertinens, eratque quædam protestatio fidei in Christum, quem antiqui illi venturum esse credebant: qui ergo cum tali fide vetera Sacramenta suscipiebant, ex opere operantis, et saltem per accidens sibi gratiam comparabant.

Probatur 2. pars tum ex dictis in prima propos., tum ex eo quod conferre gratiam ex opere operato significet, illam conferre vi actionis sacramentalis à Christo institutæ, à quo hanc virtutem accepit: atqui actiones Sacramentorum in veteri lege hanc in se efficaciam non habebant. Unde Paulus ad Hebr. 7. v. 18. ait: *Reprobatio fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et in eadem epist. c. 9. v. 9. *Munera et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.*

Ad hæc, ut Sacramenta justificare ex opere operato possint, habere debent annexam ipsimet operi promissionem gratiæ et remissionis peccatorum: atqui sola novæ legis Sacramenta promissionem hanc habent. Ut enim ad Hebr. 10. v. 3. scribit Apostolus: *Impossibile est sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata.* Et c. 8. v. 6. de Christo ait: *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Ac deinde v. 12. exponens

quænam sint meliores istæ repromissiones, affert illud Jeremiæ 13. v. 34. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum.*

Hæc denique SS. Patrum sententia est, ac presertim Basilii in lib. de Spiritu Sancto c. 14., Chrysostomi hom. 14. in epist. ad Hebr. et Ambrosii in lib. 1. de Sacram. c. 4. et 6. Quare merito Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis, discrimen istud inter vetera et nova Sacramenta constituit, quod *illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: haec autem et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.*

Propositio 3. Circumcisio instituta à Deo fuit ad delendum originale peccatum. Est contra Bellarminum, L'Herminier, Tournely, &c.

Probatur. Geneseos 17. v. 14. legitur: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Quorum verborum obvius sensus is esse videtur: Qui circumcisus non fuerit, mortem animæ et perditionem nequaquam evadet; quoniam reus est transgressionis Adæ, *in quo omnes peccaverunt*, neque in eo observatum est *pactum* Circumcisionis institutæ ad illius transgressionis abolitionem: quemadmodum nempe illorum verborum Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, sensus est: Qui non susceperit Baptismum institutum in originalis culpæ remedium, damnationem vitare non poterit. Dicendum est igitur, quod sicut Baptisma, ita et Circumcisio (salvo autem semper utriusque Sacramentis discrimine) in originalis peccati remedium fuerit instituta.

Hac argumentatione utitur Augustinus adversus Pelagianos in lib. 2. de Nuptiis et Concup. c. 11. scribens: *Sed ipse jam dicat, quare interiret anima ejus de genere, si circumcisus die non esset octavo: quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia tam severe puniretur, si nullum esset originale peccatum? De circumcidendis enim Deus sic mandavit infantibus: Masculus qui non circumcidetur carne praeputii sui octavo die, disperiet anima ejus de genere suo, quia testamentum meum dissipavit.... Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiae fidei, ita ad significationem purgationis valebat et in parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus in illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Legendus est S. Doctor tum alibi, tum in lib. de Pecc. Orig. c. 30. lib. 16. de C. D. c. 27. lib. 2. operis imperf. c. 201., &c.

At Bellarminus Tournely, aliique 1. regerunt, Augustinum in eam ductum fuisse sententiam, quod citato in loco Geneseos legerit, *Octavo die*, ex Versione LXX. Interpretum; ex quo consequi existimavit comminationem illam ad parvulos pertinere, cum revera pertineat dumtaxat ad adultos, qui circumcisionem negli-

gendo irritum faciunt *pactum* initum cum Abrahamo. Observavit enim Gerardus etiam Vossius in Hebræo esse זכר *Zachar*, quod *virum* denotat; quare de adultis non de infantibus accipiendus est textus. Et voces illæ, *Octavo die*, cum in Hebraicis Codicibus, in Chaldæa Paraphrasi, in Vulgata, et Arabica, et Siriaca Versione nequaquam occurrant, abjiciendæ videntur.

At licet Bellarmino, et aliis concedamus, *τά octavo die* desiderari in Hebraicis Codicibus, et in pluribus Versionibus; non tamen inde sequitur, quod in Versionem LXX. Interpretum duæ illæ voculæ per errorem irrepserint. Nullus enim proferri potest Græcus Codex, qui illis careat, nec emendatissimus jussu Sixti V. Romæ editus anno 1588. et Parisiis anno 1628. recusus. Ita ergo Seniores illi scripserunt. Ætate etiam Augustini lectio illa obtinebat; nam alioquin S. Doctor testimonium istud non adeo frequenter adversus versutos hæreticos inculcasset. Eandem præterea cum Augustino lectionem sequuntur Ambrosius epist. 77., Origenes lib. 2. in epist. ad Rom. circa finem c. 3. aliique Veteres.

Præterea quamvis duo illa vocabula in Hebræo, et in Vulgatæ nostræ textu minine reperiantur; subintelliguntur tamen ex præcedente v. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, *&c.* Itaque proximo v. 14. etsi non habeantur ea verba, *octavo die*, illic subintelligenda sunt; maxime quod indefinite legatur, *Masculus*, *&c.* Quare LXX. Interpretes commodam verborum interpretationem addiderunt; et indefinita propositio non solum comprehendit adultos, qui circumcisionem negligunt, verum et parvulos; non minus ac illa Evangelii verba: *Nisi quis renatus*, *&c.*

Falsum est insuper, *Zachar* significare tantummodo marem grandævum; ipsum quippe vocabulum invenimus in Codice Hebræo Exodi 13. v. 12. Levitici 12. v. 2. Isaiæ 66. v. 7. et Jerem. 20. v. 15. de puero nuperrime nato. *Zachar* autem dicitur tum parvulus, tum adultus, quia patris memoriam uterque conservat.

Respondent 2. verba illa, *Delebitur anima illius de populo suo*, designare vel corporalem mortem, vel temporalem hæreditatem, vel sortem filiorum Israel.

Sed contra est 1. Apponi ad populum suum juxta hebraicam phrasim est connumerari cœtui sanctorum, Gen. 25. v. 17. lib. 1. Machab. 14. v. 30. et alibi: ergo deleri de populo suo, idem est ac à sanctorum cœtu sejungi, et per consequens à regno Cœlorum excludit. Hinc Glossa interlinearis habet: *Non computabitur inter sanctos*, et alia Glossa, *Delebitur de coetu Sanctorum.*

Aliorum præterea Patrum testimonio propositio comprobatur. Ambrosius in lib. 2. de Abraham c. 11. scribit: *Egregie autem infantiae in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos; quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio.*

Gregorius Magnus in lib. 4. Mor. c. 3. ait: *Quod apud nos valet aqua baptismatis hoc egit apud veteres vel pro parvulis*

sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.

Bernardus serm. de Cœna Domini n. 2. inquit: *Quae est ergo gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Hujus quidem gratiae Sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpae, quae manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet.* Vide etiam Basilium hom. 13., Isychium Jerosolym. lib. 3. in Levit., Prosperum lib. de Prædictionibus Dei p. 1. c. 14., &c.

His adhæret Innocentius III. cap. *Majores* ita scribens: *Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: ita nunc indistincte vox intonat Evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intravit in regnum Dei, ab hac generalitate nec sexum, nec aetatem excludens.* Ac deinde discrimen assignans inter circumcisionem, et baptismum adjungit: *Etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur; non tamen perveniebatur ad regnum Coelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per Sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, et ad regnum Coelorum etiam pervenitur.*

Propositio 4. Porbabilius dicendum esse videtur, quod Circumcisio gratiam ex opere operato contulerit.

Probatur. Ex adductis SS. Patrum auctoritatibus aperte colligitur, ita per circumcisionem deletum fuisse originale peccatum, quemadmodum nunc per baptisma deletur: atqui baptisma delet originale peccatum gratiam conferendo ex opere operato.

Deinde S. Augustinus affirmat, quod circumcisio valorem suum habuerit, quamvis à Samaritano collata; sicut apud nos valet baptisma, quod confert hæreticus. Scribit enim in lib. 1. contra Cresconium c. 31. *Numquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Judaeus, posset iterum circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, signaculum autem fidei agnitum probaretur?* Neque ergo ex fide suscipientium, quoniam hæc non erat in octo dierum infantulo, neque ex dispositione ministrantium, quæ esse non poterat in Samaritanis vaccas aureas colentibus, ut idem Augustinus ait q. 64. inter 83. n. 4. delebat circumcisio originale peccatum: ergo illud ex opere operato, et ex ipsa operis institutione delebat.

Postremo, remedium quod in lege naturæ ad originalis peccati remissionem Veteres adhibebant, ex opere operato justificantem gratiam conferebat: idem ergo et de circumcisione dicendum est. Antecedens probatur ex S. Thoma, cujus verba retulimus in hujusce libri c. 6. Consequens vero patet ex supra laudatis Gregorii verbis: *Quod apud nos valet aqua baptismatis, &c.*

Objicies 1. contra 1. et 2. propos. Antiquæ legis sacrificia, et Sacramenta non tantum fuere signa futurorum, verum et peccatorum

remissionem, ac gratiam contulerunt; uti aperte colligitur ex Levitici c. 4., 5., 6., &c. ex Numerorum c. 15. ex Hebr. c. 5. &c. Id etiam asserunt SS. Patres, ac præsertim Augustinus hæc scribens quæst. 84. in Levit. *Moyses sanctificabat visibilibus Sacramentis per ministerium suum. Dominus autem invisibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum.*

Resp. ex dictis, quod vetera sacrificia, et Sacramenta remiserint peccata, gratiamque contulerint per accidens dumtaxat, et ex opere operantis; hoc est, ex fide, ac pietate ejus, qui vel percipiebat Sacramentum, vel sacrificium offerebat; non autem ex opere operato, sive ex virtute ipsius externi ritus in Sacramento, vel in sacrificio usurpati: alioquin enim Scriptura non diceret, ea fuisse infirma et egena elementa, et non potuisse juxta conscientiam perfectum facere servientem, et solummodo ad carnis emundationem inquinatos sanctificasse. Legales itaque cæremoniæ omnes ex seipsis fuere dumtaxat speculativa gratiæ signa, quatenus aut conferebant sanctitatem munditiemque legalem, aut eripiebant à morte corporis transgressores; quæ erant symbola gratiæ, et redemptionis futuræ per Christum. Hoc, nihilque aliud Scripturæ, Patresque nos edocent, si attente legantur. Denique Augustini hac in re quænam sententia fuerit ex probationibus satis superque deducitur. Et licet objecto in loco videatur visibilibus Sacramentis invisibilem gratiam conjunxisse; non tamen infertur illa per se et ex opere operato sanctificasse, sed per accidens, et merito fidei Evangelicorum mysteriorum, quorum figuræ erant, et umbræ: idque de legalibus sacrificiis Doctor egregius evidenter affirmat, scribens quæst. 25. in Num. *Si per seipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi: si autem res ipsae, quarum haec Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.*

Objicies 2. Paulus in 1. ad Cor. 10. v. 2. de Patribus V. T. sic ait: *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari: et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Si ergo aqua Baptismi, et Eucharisticus panis gratiam ex opere operato producunt; idem, eodemque pacto mare rubrum, et manna in Testamento veteri præstiterunt.

Resp. Apostolum eo in loco docere, quod mare rubrum typus fuerit nostri Baptismatis, sicut manna Eucharistiæ, et petra Christi: ex quo perperam deducitur, æqualem fuisse virtutem in aqua maris tunc, ac nunc sit in aqua Baptismi, et manna eundem olim effectum gratiæ præstitisse, ac modo præstat Eucharistia; non enim eadem in umbra ac in ipsa rei veritate efficacitas invenitur. Neque ea verba significant, quod Patres eandem nobiscum escam manducaverint, sed quod manducaverint eandem inter se; uti ex contextu liquido patet, et manifestum est etiam ex Joann. c. 6. v. 32. ubi Christus affirmat Moysen non dedisse *Panem de coelo verum*, manna ab Eucharistia aperte distinguens. Quod si juxta quorundam interpretationem velis

asserere; Judæos eundem etiam nobiscum manducasse panem; breviter reponemus cum Augustino in Psalmum 7. manducasse eundem *significatione, non specie*; sive non in virtute, sed tantum in symbolo; propter quod etiam *spiritalis* esca, et potus *spiritalis* in textu leguntur.

Objicies 3. Ita vetera Sacramenta respiciebant sanguinem Christi fundendum, sicuti nova eundem respiciunt jam effusum: parem ergo virtutem ex Christi meritis habuerunt.

Deinde, si quis tempore Mosaicæ legis usus fuisset signis à se excogitatis, ut suam in venturum Messiam fidem profiteretur, non eundem consecutus fuisset affectum, ac si signa adhibuisset à Deo præscripta: illa itaque signa specialem aliquam vim habebant. Nam et si quis tunc cum fide ac pietate Sacramento vel sacrificio utebatur, plus spiritualis emolumenti percipiebat, quam si Sacramentum illud vel sacrificium minime adhibuisset.

Resp. ad 1. Discriminis ratio aliunde repetenda non est, quam ex Dei voluntate, qui in V. T. instituere Sacramenta decrevit infirma et egena in novo autem virtute majora, et utilitate meliora.

Ad alterum. Qui signa à Deo instituta ex fide usurpasset, præter fidei meritum, obedientiæ etiam meritum habuisset: ex ipsis autem signis præcise inspectis nullus sperandus erat spiritualis effectus. Sicuti qui cum fide ac pietate Sacramento vel sacrificio utebatur, is uberioris fructus particeps erat, quam si Sacramentum vel sacrificium nequaquam adhibuisset; non quidem ratione Sacramenti vel sacrificii, sed ratione tum fidei, tum obedientiæ, quam exercebat exequendo ritus à Deo præceptos. Vide Scotum in 4. d. 1. q. 6. n. 10.

Objicies 4. contra 3. et 4. propos. Gen. c. 17. ubi de circumcisionis institutione agitur, v. 11. legitur: *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos*: et v. 13: *Eritque pactum meum in carne vestra, in foedus aeternum.* Fuit igitur in signum fœderis, non in peccati remedium instituta.

Resp. versu 14. legi, quemlibet masculum fore circumcidendum, *ne deleatur anima illius de populo suo*: quæ verba juxta SS. Patrum interpretationem eo pacto demonstrant circumcisionem fuisse remedium peccati, quo illa Joann. 3. *Non intrabit in regnum coelorum*, ostendunt eodem fine institutum esse baptismum.

Notandum præterea est, Deum nunquam fœdus iniisse cum impiis, sed ut fœdus cum hominibus ineat, opus est, ut aut justitiam habeant, aut ipso fœderis signo justitiam consequantur. Et Abraham quidem ante circumcisionem justus erat, ideoque accepit, ut ait Apostolus ad Rom. 4. 11. *signum circumcisionis, signaculum justitiae fidei, quae est in praeputio.* At parvuli ex Abrahæ semine procreati nascebantur, ut ceteri omnes, *filii irae*, et originali infecti peccato. Cum iis itaque Deus in circumcisione fœdus inibat, impertiendo justificationem et gratiam, cujus circumcisio practicum signum erat.

Objicies 5. Apostolus ad Rom. 3. v. 1. ait: *Quid ergo amplius Judaeo est? aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem*

modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Si ergo præcipuum emolumentum, quod Judæi ex circumcisione traxerunt, fuit legem scriptam habere; dicendum profecto videtur, circumcisionem non delesse peccatum; quod opus est prophetia et lege præstantius. Hinc et ad Gal. 5. v. 6. legitur: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium.*

Resp. ad 1. quod eo loci Apostolus asserat, Judæis gloriandum non esse, quod legem, et circumcisionem receperint; quoniam circumcisio carnis, et lex, quatenus spectant ad vetus testamentum, ritusque Judaicos, absque fide Christi, et absque circumcisione cordis in spiritu, nihil aliud conferunt utilitatis, nisi notitiam præceptorum, et eloquiorum Domini, quæ peccatum redarguunt, non expungunt: ideoque semper, et in unoquoque statu justitia repetenda est à Christi fide, sine qua lex fuisset inutilis, et circumcisio carnis vulnus, non justitiæ signaculum extitisset.

Ad 2. Apostolus ibi agit adversus eos, qui legem Moysis non à Christo abrogatam, sed ad salutem adhuc necessariam esse dicebant; cum obligare desierit, et circumcisio fuerit Sacramentum quidem, sed illius temporis, et quæ adimpletis, quæ prænuntiabat, nuda remansit, ac nihil valet; quemadmodum nihil valet et præputium; id est, *sine fide, quae per charitatem operatur*, nec Judæus circumcisus, nec gentilis præputiatus potest obtinere salutem.

Opponunt etiam plures SS. Patrum auctoritates, in quibus aperte affirmare videntur, quod circumcisio nullo pacto data fuerit in originalis culpæ remedium, sed dumtaxat in signum, ne Judæi gentibus commiscerentur. At Patres illi circumcisionem sub ea tantum ratione considerant, qua carnis signaculum erat, et à Mediatoris fide sejuncta, et aliquando penitus abroganda: ei vero non denegant prærogativas alias, quatenus erat religionis symbolum, fideique in promissum Reparatorem signum protestativum, ac Sacramentum: alioquin iidem Patres quomodo tam diserte affirmassent, ipsammet carnis circumcisionem fuisse fœderis cum Abraham initi, divinarumque promissionum symbolum, typum baptismi, signum innovationis spiritus, et circumcisionis cordis, &c. quæ nonnisi ex divina institutione possunt rei sensibili convenire? quomodo enim asseruissent, circumcisionem fuisse signum illius temporis, cum etiamnum Judæi illam in tesseram gentis suæ circumferant? Aliter ergo de circumcisione nuda et legali, aliter de ea, ut symbolo ac Sacramento, dicendum est; eademque ratione exponendi sunt Patres.

Objicies 6. Si circumcisio instituta fuisset in remedium originalis peccati, potuisset quolibet tempore applicari, maxime dum id necessitas exigebat: atqui circumcisio parvulis ante octavum diem applicari non poterat.

Tum, remedium originalis peccati masculis et feminis debet esse commune: atqui circumcisio talis profecto non fuit.

Deinde quadraginta annis in deserto circumcisio omissa fuit, ut legitur Josue 5. Verisimile autem non videtur permisisse Moysen, ut

tanto tempore Judæi carerent medio, per quod originale piaculum delebatur.

Resp. ad 1. Sacramenta justificandi vim habere juxta Dei voluntatem. Cum ergo ille die octava circumcisionem masculis indixerit, si isti ante hanc diem obirent, salutem consequi poterant per solum legis naturæ remedium. Et sane circumcisione uti sine vitæ discrimine non poterant Judæi in parvulis nuper natis; ideoque in his per dies octo rationabiliter indultum est. Deinde idcirco ad octavum usque diem dilata est circumcisio, quia, ut ait S. Bonaventura in 4. d. 2. a. 3. q. 2. *circumcisio significabat utramque circumcisionem, scilicet primam in anima à culpa, et secundam in corpore à miseria, quae futura erat in octava resurrectionis.*

Ad 2. Sicuti mares ante octavum diem decedentes, ita et femellæ per solum legis naturæ remedium, sive per protestationem fidei sensibili aliquo signo factam, ab originali peccato mundabantur, et gratiam obtinebant. Adnotat etiam hac super re S. Bonaventura citato mox in loco, *quod circumcisio non tantum fuit in remedium, sed etiam in signum distinctionis, ut gens Judaeorum ab aliis discerneretur; ex quo Christus debebat ab ea nasci: et quia propagatio, et genealogia attenditur penes mares; ideo illis data fuit, non mulieribus.*

Ad 3. respondent aliqui, cum populo illo fuisse tunc divinitus dispensatum, ut sine circumcisione salvari posset, eodem nempe modo, quo ante institutam circumcisionem sub naturæ lege contigerat; idque propterea quod essent velut in perpetua profectione, ignorantes quando vel castra movere, vel contra hostes præliari deberent. At alii cum Augustino q. 6. super Josue probabilius arbitrantur in deserto prætermissam fuisse circumcisionem negligentia, culpa, et incredulitate parentum: *Quidam enim de Ægypto exeuntium filii* inquit S. Doctor, *in illo populo incircumcisi erant, quos poterat circumcidere Jesus; illorum scilicet filios qui genuerunt in deserto, et contempserunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei.*

Objectare etiam solent, Apostolum scripsisse, quod Sacramenta veteris legis fuerint infirma et egena, umbramque dumtaxat futurorum bonorum habuerint, salutemque promiserint quidem, non vero contulerint. Concilium etiam Florentinum de antiquis Sacramentis indefinite pronunciat, ea non causasse gratiam, sed illam solum per Christi passionem dandam figurasse: quod et Tridentinum asseruit sess. 7. can. 2.

At reponi 1. potest, circumcisionem ad veterem Mosaicam legem minime pertinuisse, uti Christus affirmat Joann. 7. v. 22. *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.* Deinde Apostolus, Concilia, et Patres tantum innuunt, circumcisionem nihil valuisse ad expiandum originale peccatum, quatenus erat signaculum carnis, et antiqui fœderis ceremonia nudumque symbolum; non quatenus ei ex Christi meritis, et institutione divina conjunctum erat peccati remedium.

CAPUT XVIII.

In quo de sacramentali Charactere disseritur.

Duplex est Sacramentorum effectus; gratia scilicet, et character. Illa de qua hucusque diximus, Sacramentis omnibus est communis: iste vero de quo nunc agimus, quibusdam dumtaxat competit Sacramentis. Est autem Character spirituale signaculum quoddam animæ indelebili modo inhærens, per quod Christiani in quorumdam Sacramentorum susceptione divino cultui deputantur, ejusque ratione Sacramenta, per quæ confertur, iterari non possunt.

Wiclefus primo, ac deinde Lutherus, Calvinus, et alii Novatores summo consensu negarunt per Sacramenta ullum imprimi characterem, eundemque ab Innocentio III. primitus excogitatum fuisse dixerunt. Scholæ vero Doctores characterem concorditer fatentur existere, et in exponenda tantum ejus natura, ac in assignando subjecto dissentiunt.

Durandus existimat characterem esse relationem rationis, sive extrinsecam denominationem, per quam homo ad sacra quædam munera deputatur; cujusmodi est in nummo ratio pretii, et in homine à principe delegato character ducis ac præsidis. Nonnulli vero Scotistæ characteris naturam in reali quadam relatione constituunt, quæ tamen inhærentem formam nequaquam excludat. Alii denique censent, characterem esse formam aliquam absolutam, veramque qualitatem; qui iterum inter se dissident, an ejuscemodi qualitas collocanda sit necne sub specie aliqua ex iis, quæ Aristoteles adinvenit.

Non minor etiam discordia est in designando subjecto, cui immediate character inhæreat. Alii enim intellectum, alii voluntatem, alii utramque potentiam, alii denique ipsam animæ substantiam pro proximo characteris subjecto constituunt.

Propositio. Datur character, eunque in anima imprimunt Sacramenta quæ iterari non possunt, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo.

Probatur. Apostolus in 2. ad Cor. c. 1. v. 21. ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Ut enim Catechismus etiam Romanus in p. 2. c. 1. n. 30. ait Apostolus *voce illa*, signavit; *non obscure characterem descripsit*; *cujus proprium est, alquid signare, et notare.* Et re quidem vera græcum illud σφραγισάμενος idem denotat ac *impresso sigillo insignivit*, et permanente nota obsignavit. Hinc et Paulus ad Rom. 4. v. 11. *signum circumcisionis* utique carni impressum et indelebile, appellavit, τὸν σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης, *signaculum justitiae.* Ex quo patet, quod etsi nonnulli illud *signavit* ad gratiam referant, probabilius tamen alii referunt ad characterem.

Legitur etiam ad Ephes. 1. v. 13. *In quo et credentes signati es-*

tis Spiritu promissionis Sancto. Et c. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis*: super quæ verba Chrysostomus hom. 2. inquit: *Porro character Spiritus Sancti nos insignivit* Et infra: *Signati sunt Israelitae, sed circumcisionis nota, ut pecora: nos autem, ut filii, signati sumus Spiritu Sancto.*

Alii quoque Patres catholicum dogma demonstrant. Nam S. Ambrosius in lib. de Mysteriis c. 7. scribit accipere nos in baptismate *signaculum spiritale.* Cyrillus Hieros. in Præfat. ad Catech. ait in baptismo nobis imprimi *sigillum sanctum indelebile.* Basilius orat. 13. in S. Baptisma inquit homines obsignari, ut Angelus curam eorum gerat; alioquin, subdit S. Doctor, *quomodo eripiet te ex hostibus, nisi impressum sigillum agnoscat?* Comparat etiam baptizatorum animas domibus Hebræorum in Ægypto illitas sanguine, easque appellat *obsignatum thesaurum, ovemque signatam.* Eadem comparatione utitur Nazianzenus scribens in Hortatione ad sacrum Lavacrum: *Ovis enim, quae sigillo insignita est, non facile patet insidiis, &c.* Item Epiphanius hær. 5. n. 6. characterem baptismatis signo circumcisionis assimilat, aitque; *Circumcisio magna, idest baptismatis, signatis nos in Dei nomen.*

Præ cæteris autem Patribus Augustinus aperte docuit in tribus præfatis Sacramentis imprimi characterem. Pluribus enim in locis baptismi characterem æquiparat notæ, qua milites ab Imperatoribus signabantur, adhibetque ovium similitudinem quam supra produximus. Lege tract. 6. in Joann. n. 13. lib. 1. contra Gresconium c. 30. lib. 6. de Bapt. contra Donatistas c. 1. &c. Sed præsertim in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13., S. Doctor comparationem militaris characteris adducit, ac subdit: *An forte minus haerent Sacramenta Christiana, quam corporalis haec nota? cum videamus, nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur; et ideo amitti non posse judicatur.* De confirmatione etiam inquit in lib. 2. contra lit. Petiliani c. 104. *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse et in hominibus pessimis, &c.* Denique in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. Ordinem Baptismo comparans ait: *Utrumque Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.*

Postremo hujusce dogmatis rationem Patres ex eo desumunt, quod Baptismus, Confirmatio, et Ordo sine sacrilegio iterari non possint; unde et consequitur tria tantum hæc Sacramenta characterem imprimere. Quare Synodus Tridentina in sess. 7. can. 9. ita decrevit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spiritale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem antea docuit Eugenius IV. in Decreto, quo instruxit Armenos.

Infertur ex dictis, quid indelebilis sit character, idque etiam

communi Theologorum assertione probatur ajentium, characteri nihil esse contrarium, à quo destrui possit; peccatum enim gratiæ opponitur, non characteri, tum quia potest etiam impius ferre Christi signaculum, quemadmodum desertor baltheum militis, tum quia character non confertur ad animarum sanctificationem, sed ad consecrationem quandam, spiritalemque potestatem. Unde communiter Scholæ Doctores asserunt etiam in Beatis ad ornatum, necnon in damnatis ad dedecus, spirituale illud signaculum permanere. Vide S. Thomam in p. 3. q. 63. a. 5., S. Bonaventuram in 4. d. 6. p. 1. a. 1. q. 5. et Ven. Scotum in 4. d. 6. q. 9.

Deduci quoque videtur, characterem esse physicam qualitatem absolutam ab anima reali distinctione secretam; id enim non obscure designant ea verba, quibus Concilia ac Patres utuntur, ut characteris munus exponant, ajuntque illum *imprimi*, *infigi*, *imponi*, *haerere*, &c. quæ profecto accidentariam realem formam esse characterem evidenter ostendunt. Nequit autem dici forma relativa; nam nihil magnum præstare potest iners sterilisque relatio: erit igitur accidentalis qualitas absoluta. Relege quæ diximus in lib. 23. c. 1. ubi simili modo de gratia sanctificante censuimus.

Si vero quæsieris, in quanum qualitatis specie reponendus sit character: respondebimus, hac de re quæ nullius momenti est, definite aliquid affirmari non posse; locari tamen non improbabiliter poterit in secunda qualitatis specie, quatenus est potestas quædam spiritualis ad recipiendum aliquid, vel agendum. Ut enim Angelicus Doctor ait in p. 3. q. 63. a. 2.: *Sacramenta novae legis characterem imprimunt, inquantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum Christianae religionis. Unde Dionysius in 2. cap. Eccles. Hierarchiae cum dixisset, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, subjungit. Perficiens eum divinum, et communicatorem divinorum. Divinus autem cultus consistit, vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis: ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis, requiritur potentia activa, ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quae sunt divini cultus.* Ita etiam opinatur P. Mastrius in 4. disp. 1. q. 5. a. 2. n. 205. affirmans, quod *potentia, quae est secunda species qualitatis, importat essentialiter qualitatem, quae sit principium alicujus operationis; sed character est qualitas ex divina institutione ordinata ad aliquam operationem; ordinatur enim ad cultum Dei, qui in Sacramentorum receptione, vel administratione exercetur: nam character baptismalis reddit hominem habilem, et idoneum ad omnia recipienda Sacramenta, et eorum effectus, ita ut sine tali charactere neque vera Sacramenta reciperentur, neque effectus illorum. Character Ordinis dat facultatem homini, ut diversa munera ipsorum Ordinum exerceat, et ministret. Character denique Confirmationis hominem ordinat ad hoc, quod fidem coram tyranno*

confiteantur quasi ex proprio officio, et munere: *ergo character in secunda specie qualitatis reponi potest.*

Sed contra principalem propositionem objectant hæretici; quod neque ex Scripturis, neque ex Patribus demonstrari possit sacramentalis characteris existentia. Plures enim postremæ etiam ætatis Scholastici confitentur nullum de charactere in sacris libris extare vestigium. Patres autem signaculi quidem baptismatis alicubi meminere, et Augustinus characterem expresso quoque vocabulo nominavit; at nequaquam id, quod contendunt Scholastici, eo vocabulo designarunt, sed vel ipsum Sacramentum vel gratiam sanctificantem, vel solam fidei professionem. Et sane Augustinus in sermone coram Emerito Donatista n. 2. ait: *Ego quando venio ad fratrem meum, et colligo errantem fratrem meum adtendo fidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritu Sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, praecepit dicens, Ite, baptizate gentes in nomine Patris, &c.*

Resp. quod etsi Scholastici quidam oppositum senserint, Bellarminus tamen, Gotti, Berti, aliique Cl. Viri quibus subscribimus, affirmarunt etiam ex Scripturis evinci existentiam characteris. Quamvis autem illæ silerent, clamat Antiquorum traditio, traditionisque custos, et perscrutatrix Ecclesia, quæ SS. Patrum mentem satis ac super expressit.

Et sane quod Patres characterem ab exteriori Sacramenti ritu distinxerint, inde patet, quod illum descripserint ut Sacramenti effectum, animæ inhærentem, etiam postquam Sacramentalis actio transit. Quod pariter asseruerint characterem à gratia sanctificante, et à fidei professione esse diversum, ex eo perspicuum est, quod eundem in peccatoribus, in apostatis, in hæreticis permanere docuerint.

Objecto autem in loco Augustinus idcirco characterem appellat *fidem in nomine Patris, &c.* sive fidem Trinitatis, quia ex ea fidei professione cognoscimus characterem; cum fidei confessio exprimat Trinitatem, cujus invocatione collatum baptisma characterem figit et imprimit. Et profecto Augustinus ibi asserit quod Baptismi, et Ordinis character in desertore permaneat, ac desertoris nomine schismaticum et hæreticum intelligit: agnoscit igitur characterem à gratia sanctificante, et à fidei professione distinctum.

At urgebis. Augustinus paulo ante adducta verba ait: *Si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret*: *ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem*: *nunc vero ipse desertor characterem fixit Imperatoris sui.* Si ergo Donatus proprio in nomine baptizasset, juxta Augustini mentem suum quidem impressisset characterem, non tamen inviolabilem, et qui deleri non posset, sed qui aliud non esset, quam tessera illiusque sectæ professio; idem itaque de Dominico charactere dicendum est.

Resp. Augustinum ibi de charactere baptismatis in nomine Donati non absolute, sed hypothetice tantum loqui; quasi dicat: Si baptismus in nomine Donati daretur, iterandus esset, nec indelebilem characterem imprimeret, quoniam esset character desertoris: contra vero dum in Trinitatis nomine datur, baptismus iterandus non est, figitque perenne signaculum, quoniam signaculum est Imperatoris. Sicut autem S. Doctor non ait baptismum à desertore collatum in nomine desertoris verum esse baptismum, ita non credidit characterem Donati futurum in ea hypothesi verum characterem: neque hypothesim ipsam approbat, sed ex ea urget et vellicat Donatistas iterantes collatum in Christi nomine Sacramentum extra Ecclesiæ unitatem.

Ex hucusque dictis apparet, quam falso Kemnitius in 2. p. Exam. Conc. Tridentini scripserit characterem ab Innocentio primitus fuisse confictum. Liquet enim ex cap. *Majores*, quod Pontifex Archiepiscopo Arelatensi rescribens de charactere loquatur, tamquam de re nota, omnibusque comperta: neque ibi quæstio pertractatur, *an baptismus characterem conferat*, sed, *an baptismus characterem conferat, si baptizentur amentes aut dormientes.* Denique ante Innocentium etiam Magister in 4. d. 24. meminit characteris, dum ait: *Character spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vocatur*; docetque hunc Ordinis characterem *sacrum quoddam* esse *signaculum.*

Objicies 2. Scholæ Theologi vitioso circulo implicantur, dum probare nituntur tria Sacramenta characterem imprimere, quia iterari non possunt; ajuntque vicissim iterari illa non posse, ex quo imprimunt characterem.

Deinde, idcirco docent in Baptismo, Confirmatione et Ordine characterem infigi, quod ea Sacramenta conferuntur quadam consecratione, per quam in Dei cultum homines deputentur: atqui id cujuslibet Sacramenti proprium esse videtur: ergo.

Postremo, character ille, qui ut signum quoddam distinctionis admittitur, est prorsus inutilis. Cui enim innotescere debent ferentes hanc notam? An Deo? At iste omnia per seipsum immediate cognoscit. An vero Beatis? Sed omnia illi intuentur in Verbo. An denique Viatoribus? Verum spirituale signaculum videri non potest ab homine corporeis sensibus alligato.

Resp. ad 1. vitiosum non esse circulum, dum existentia effectus ex causa, et vicissim existentia causæ ex effectu probatur; quando eorum unum à nobis certo dignoscitur. Cum ergo compertum sit, baptismum, etiam confessione hæreticorum, iterandum non esse, inde colligimus, quod id ex peculiari quodam et permanente ejusdem baptismi effectu contingat.

Ad 2. Quamvis Sacramenta omnia in Dei cultum homines deputent eo in sensu, ut gratiam conferant, ac liberent à peccato; non ita tamen, ut spiritualem tribuant potestatem ut superius dictum est. Legitur etiam hac de re in Catechismo Romano p. 2. c. 1. n. 31. *Character hoc praestat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipien-*

dum, vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. Ac Baptismi quidem charactere utrumque consequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo praeterea fidelis populus à gentibus, quae fidem non colunt, distinguuntur. Idem autem in charactere Confirmationis, et sacri Ordinis licet agnoscere; quorum altero veluti Christi milites, ad ejus nominis publicam confessionem, et propugnationem, ac contra insitum nobis hostem, et spiritualia nequitiae in coelestibus armamur, atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati, tanquam modo geniti infantes sunt, discernimur: alter vero tum potestatem Sacramenta conficiendi, et ministrandi conjunctam habet, tum eorum, qui hujusmodi potestate praediti sunt, à reliquo fidelium coetu distinctionem ostendit.

Ad 3. brevis esto responsio, placuisse Deo filios, milites, ac ministros suos spirituali indelebili charactere signare, ut ita consecrati cognoscerentur ab ipso Deo, mentibusque beatis, et in coelo etiam ad decus, in gehenna autem ad opprobrium ejuscemodi nota maneret; quamvis aliter fieri à Deo potuisse quis neget? Lege Scotum in 4. d. 6. q. 9. n. 19.

Si postremo quis interrogare voluerit, quodnam sit characteris subjectum? Respondebimus, remotum quidem subjectum esse animam, ut patet ex Canone 9. sessionis 7. Synodi Tridentinæ: de proximo autem subjecto certum quid affirmari non potest; num scilicet character immediate recipiatur in anima sub ratione *formali* animæ, an potius sub ratione *formali* intellectus, vel voluntatis. Quod si quid de parum utili ac insolubili quæstione Candidati nosse desiderant, adeant S. Thomam in p. 3. q. 63. a. 4., S. Bonaventuram in 4. d. 6. a. 1. q. 3., Ven. Scotum in 4. d. 6. q. 9., P. Mastrium in 4. disp. 1. q. 5. a. 4., &c.

CAPUT XIX.

De Caeremoniis, quae in Sacramentorum administratione servantur.

Caeremoniæ nomen unde deducat originem, non una est doctissimorum Virorum opinio. Aliqui illud à Cœre repetunt Etruriæ Urbe, quam Gallico bello furente Vestales, æternumque ignem perhibent asservasse: ita Strabo, Valerius Maximus, et Livius apud Vossium in Etymologico. At alii ceremoniam derivant à *Cerere*, in cujus honorem *Cerealia* antiquitus instituta fuerunt: quidam à *Coelo*, quasi in eo mysteria sculpta cernantur; aut priori mutata littera, à *Gero*, eo quod sacris Ministris modum ostendant, quod sese gerere in sacrorum administratione tenentur: nonnulli à nomine *Cerus*, quod veteri lingua *bonum, justumque* significat: aliqui ab Hebraico verbo [illegible]חרד, vel à Græco *χαιρειν caeremoniae* nomen deducunt: plerique

tandem à *carendo* volunt *appellatas ceremonias, quasi ceremonias, eo quod observantes careant his rebus, à quibus abstinent*: ita sensit Augustinus in lib. 2. Retract. c. 37. et post eum Isidorus in lib. 6. Etymolog. c. 19.

Sed quidquid de cæremoniæ etymologia dicatur, eo nomine hic intelliguntur externi ritus ab Apostolis, vel ab Ecclesia instituti, ut Sacramenta majori cum sanctitate tractentur, et uberiori cum fructu percipiantur; ita nimirum, ut non ipsa Sacramenta, sed modum dumtaxat et ordinem eadem peragendi ceremoniarum nomine designemus. De hujuscemodi ritibus duo breviter hoc in capite quærimus; 1. nempe, an eos Ecclesia jure merito prudenterque præscripserit; 2. an iidem ab omnibus sedulo sint servandi: utrumque enim recentiores inficiantur hæretici.

Propositio 1. Ecclesia sacras ceremonias præcipere jure potuit, ac recte prudenterque præcepit.

Probatur 1. pars. Sane quod Ecclesia auctoritatem habeat instituendi sacros ritus et ceremonias, quas in Sacramentorum administratione usurpare solemus, inde facile demonstratur, quod cum Paulus in 1. ad Cor. c. 11. multa de Eucharistia digne sumenda scripsisset, v. 34. conclusit: *Cetera cum venero disponam*. Quæ verba referens Augustinus epist. 118. modo 54. ad Jan. c. 6. scribit: *Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in ea epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quam universa per Orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur*. Vides, quod censuerit Augustinus, ordinem ritumque quem in Eucharistia ministranda tenemus, ab Apostolo Paulo fuisse dispositum. Antea etiam scribit, quod *ideo Salvator non praecepit, quo deinceps ordine sumeretur* Eucharistiæ Sacramentum, *ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum*. Ordinaria autem potestas illa quam habebant Apostoli, perseveravit semper in Ecclesia, et adhuc integra perseverat.

Deinde, sacrarum ceremoniarum institutio veterum Patrum traditione probatur. Martyr enim Justinus prope finem Apologiæ ad Antoninum Pium commemorat sacros Dominicæ diei conventus, concionum precumque ordinem, benedictionem Antistitum, Diaconorum ministerium, oblationes aquæ et vini, præscriptamque Eucharistiæ consecrandæ rationem. Tertullianus pariter de Corona militis c. 3. abrenuntiationes quæ in baptismo fiunt, trinam immersionem, gustatum lactis et mellis, Crucis signaculum fronti impressum, aliosque complures ritus ex antiqua disciplina recenset, quos inter nonnulli jam sunt obsoleti, alii vero nostra etiam ætate servantur. Lege præterea S. Cyprianum in Epistola ad Magnum, Cyrillum Jerosolym. in Catechesi 5., Basilium in lib. de Spiritu Sanct. c. 27., Ambrosium in lib. 1. de Sacram. c. 1., Augustinum in lib. 15. de Trin. c. 26. aliosque qui de sacris ritibus sæpissime pertractarunt.

Postremo, certa sacrorum mysteriorum ratio ad promovendum Dei cultum omni prorsus ætate recepta est ex ipso instinctu naturæ,

ex legis mandato, et ex auctoritate majorum. Et quidem nondum lata lege, post pium Abelem Noe constructo altari Domino pecudes volucresque mactavit. Jacob non solum lapidem erexit in titulum, verum et desuper oleum sacra ceremonia fudit. Jethro Exodi 18. v. 20. Moysi suasit, ut ceremonias, ritumque colendi Deum populo præmonstraret. Quæ vero idem Moyses Domino præcipiente constituit, manifesta sunt omnibus. Rituum autem veterum observationem ipsemet Moyses Deut. 4. populum alloquens, et Rex David in fine vitæ suæ Salomonem exhortans 3. Regum c. 2. summopere commendarunt. Synagoga quoque Judæorum nova addidit festa, ut patet ex lib. Esther c. 9., ex lib. Judith. c. 16., ex lib. 1. Machab. c. 4. Quis vero majorem Synagogæ, quam Ecclesiæ hisce in rebus tribuet auctoritatem? Denique in Evangelica lege statuerunt Apostoli abstinentiam à suffocato et sanguine, electionem Mathiæ per sortes, septem Diaconorum institutionem, et alia bene multa, quæ oportuna noverunt.

Ex dictis apparet quam merito Tridentina Synodus in sess. 21. c. 2. declarat, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietatē magis expedire judicaret.*

Quod vero ad 2. partem pertinet, nimirum quod Ecclesia in ceremoniarum institutione recte prudenterque se gesserit, eadem Sacrosancta Synodus in sess. 22. c. 5, verbis hisce demonstrat: "Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero clariore in Missa pronunciarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur."

Hisce consona scribit etiam Catechismus Romanus in p. 2. c. 1. n. 18. inquiens: "Merito quidem à primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam ceremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut Sancta Sancti tractare videremur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipsæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, et charitatem excitant: quo major cura et diligentia adhibenda erit, ut fideles vim ceremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant."

Propositio 2. Peccant qui secluso etiam scandalo et contemptu,

præscriptos ab Ecclesia ritus in solemni Sacramentorum administratione non servant.

Probatur. Ii proculdubio peccant, qui Ecclesiæ præceptum infringunt: qui autem, secluso etiam scandalo ac contemptu, prædictos ritus omittunt, Ecclesiæ præceptum infringunt: ergo, &c. Major propositio constat ex dictis in lib. 15. c. 10. ubi probavimus esse in Ecclesia potestatem condendi præcepta, quæ fideles in conscientia ligent. Minor etiam patet ex Canonibus, ac Ritualibus libris, præsertimque R mano, in quibus spectantes ad Sacramentorum administrationem ceremoniæ præscribuntur.

Merito itaque Tridentina Synodus in sess. 7. can. 13. sic decernit: *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Et sess. 22. can. 7. *Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.*

Objicies 1. Plures Romanæ Ecclesiæ ceremoniæ à Judæorum legibus derivarunt, plures etiam à Paganorum superstitione desumptæ fuerunt: atqui nefas est ejuscemodi ceremonias adhibere. Id innuisse videtur Christus Dominus inquiens Joann. 4. v. 23. *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum.*

Resp. quod etsi à Judæis, vel Paganis cæremoniæ traxissent originem, retinendæ adhuc essent, eo quod nos spiritualiter usurparemus, quæ Judæi carnaliter observarunt, et in Dei cultum verteremus, quæ Ethnici sacrilege adhibuerunt. Lege S. Augustinum in lib. 20. contra Faustum c. 21. Sane superstitio vel attenditur ex objecto, et est, quando Dei cultus creaturæ tribuitur: vel ex modo desumitur, quod contingit, quando improbis moribus, obscœnisque rebus sacra religionis officia temerantur. Superstitio itaque quæ in Gentilium ceremoniis invenitur, à nostris ceremoniis procul abest; quoniam nos verum Deum colimus, illi colunt idola: nos optimis institutis munera nostræ religionis exequimur, illi fœdis moribus cultum exercent; etsi utrique exterioribus signis utamur.

Quod vero ad Judaicas ceremonias specialiter attinet, respondemus, earum aliquas Evangelicæ legis mysteria præsignasse, uti circumcisio baptismum; cruenta sacrificia Christi mortem, et esus agni paschalis Sacramentum Eucharistiæ in figura signabant; et hi quidem ritus merito sublati sunt, quoniam res præfiguratæ jamdiu contigerunt. Alii vero ritus, ut sacræ vestes, lumina, thymiamata, cantica, quæ ad devotionis excitationem, exteriorisque cultus decentiam pertinebant, etiamnum jure servantur; cum teneamur animo et corpore cultum Deo præbere; maxime quod nostri ritus à mysticis abrogatæ legis ceremoniis sint valde diversi.

Paganorum autem ritus fere omnes diabolus divinorum honorum cupidissimus mutuavit ex nostris, *ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis aemulatus*, ut loquitur Tertullianus in lib. de Præscrip. c. 40. Quod si Christi Ecclesia quosdam eorum ritus, ut plebem à superstitione removeret, ex profanis sacros effecit; id non est idololatras imitari, sed idololatriæ adminicula in veræ religionis incrementa convertere.

Denique Christus apud Joannem reprobat dumtaxat actus mere corporeos et externos, cujusmodi erant sacrificia Judæorum et cæremoniæ, quæ res spirituales in umbra monstrabant, et ex sui natura ab interiori gratiæ spiritu, à fide spe, charitate, &c. minime procedebant, ac cum iis raro admodum jungebantur. Rejicit quoque Christus ibidem cultum à Samaritanis impensum, falsitati scilicet, et errori permixtum. Christianorum vero cultus est in spiritu, et veritate; cum exteriori ceremoniarum cortici non inhæreat, et ab omni sit procul errore.

Objicies 2. Ipsi Papistæ se veterum rituum contemptores ostendunt, dum baptisma nunc absque degustatione lactis et mellis, et absque Eucharistia ministrant: quæ si aspernari fas est, cur exorcismos, cereos, et ejuscemodi cetera respuere non licebit?

Addit præterea Calvinus in lib. 4. Institut. c. 15., quod *cum videret Satan, stulta mundi credulitate absque negotio fere inter ipsa Evangelii exordia receptas esse suas imposturas, ad crassiora ludibria prorupit: hinc sputum, et similes nugae palam in Baptismi probrum effroeni licentia invectae.*

Resp. fieri utique posse mutationem aliquam in accidentariis Sacramentorum ritibus; quin tamen inde sequatur, posse unumquemque privata auctoritate Ecclesiasticas ceremonias aspernari. Antiquati enim sunt quidam ritus, Ecclesiæ aut definitione, sicut communio parvulorum, aut desuetudine, sicut mellis lactisque degustatio; uti suo loco dicemus.

Ad id vero quod Calvinus affirmat, reponendum est, quod etiam Christus sputo surdum mutumque sanavit Marci 7. v. 33. eodemque sputo lutum fecit, quo cæcum à nativitate linivit, Joann. 9. v. 6. ideoque saliva liniuntur aures, naresque baptizandorum; *ut quemadmodum coecus ille Evangelicus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit: ita etiam intelligamus sacrae ablutionis eam vim esse, ut menti ad coelestem veritatem percipiendam lumen afferat*: ita Catechismus Romanus de Bapt. n. 68., et Gratianus cap. *Postea tanguntur*, de Consecr. dist. 4. c. 68. qui canon desumptus est ex lib. 1. de Sacram. c. 1. n. 3. inter Ambrosii opera. Impudentissime igitur de more suo pestilentissimus hæresiarcha argutando nugatur.

Objicies 3. Vestes, et cerei, aliaque ejuscemodi vel ex locorum consuetudine, vel ex necessitate primitus usurpata fuisse videntur: ergo cum diversa modo vigeat consuetudo, ac diurno dumtaxat tempore ad Ecclesiam fideles accedant, antiquæ vestes, lumina, et cetera hujusce generis possunt sine culpa repelli.

præscriptos ab Ecclesia ritus in solemni Sacramentorum administratione non servant.

Probatur. Ii proculdubio peccant, qui Ecclesiæ præceptum infringunt: qui autem, secluso etiam scandalo ac contemptu, prædictos ritus omittunt, Ecclesiæ præceptum infringunt: ergo, &c. Major propositio constat ex dictis in lib. 15. c. 10. ubi probavimus esse in Ecclesia potestatem condendi præcepta, quæ fideles in conscientia ligent. Minor etiam patet ex Canonibus, ac Ritualibus libris, præsertimque Romano, in quibus spectantes ad Sacramentorum administrationem ceremoniæ præscribuntur.

Merito itaque Tridentina Synodus, in sess. 7. can. 13. sic decernit: *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Et sess. 22. can. 7. *Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.*

Objicies 1. Plures Romanæ Ecclesiæ ceremoniæ à Judæorum legibus derivarunt, plures etiam à Paganorum superstitione desumptæ fuerunt: atqui nefas est ejuscemodi ceremonias adhibere. Id innuisse videtur Christus Dominus inquiens Joann. 4. v. 23. *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum.*

Resp. quod etsi à Judæis, vel Paganis cæremoniæ traxissent originem, retinendæ adhuc essent, eo quod nos spiritualiter usurparemus, quæ Judæi carnaliter observarunt, et in Dei cultum verteremus, quæ Ethnici sacrilege adhibuerunt. Lege S. Augustinum in lib. 20. contra Faustum c. 21. Sane superstitio vel attenditur ex objecto, et est, quando Dei cultus creaturæ tribuitur: vel ex modo desumitur, quod contingit, quando improbis moribus, obscœnisque rebus sacra religionis officia temerantur. Superstitio itaque quæ in Gentilium ceremoniis invenitur, à nostris ceremoniis procul abest; quoniam nos verum Deum colimus, illi colunt idola: nos optimis institutis munera nostræ religionis exequimur, illi fœdis moribus cultum exercent; etsi utrique exterioribus signis utamur.

Quod vero ad Judaicas ceremonias specialiter attinet, respondemus, earum aliquas Evangelicæ legis mysteria præsignasse, uti circumcisio baptismum; cruenta sacrificia Christi mortem, et esus agni paschalis Sacramentum Eucharistiæ in figura signabant; et hi quidem ritus merito sublati sunt, quoniam res præfiguratæ jamdiu contigerunt. Alii vero ritus, ut sacræ vestes, lumina, thymiamata, cantica, quæ ad devotionis excitationem, exteriorisque cultus decentiam pertinebant, etiamnum jure servantur; cum teneamur animo et corpore cultum Deo præbere; maxime quod nostri ritus à mysticis abrogatæ legis ceremoniis sint valde diversi.

Paganorum autem ritus fere omnes diabolus divinorum honorum cupidissimus mutuavit ex nostris, *ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis aemulatus*, ut loquitur Tertullianus in lib. de Præscrip. c. 40. Quod si Christi Ecclesia quosdam eorum ritus, ut plebem à superstitione removeret, ex profanis sacros effecit; id non est idololatras imitari, sed idololatriæ adminicula in veræ religionis incrementa convertere.

Denique Christus apud Joannem reprobat dumtaxat actus mere corporeos et externos, cujusmodi erant sacrificia Judæorum et cæremoniæ, quæ res spirituales in umbra monstrabant, et ex sui natura ab interiori gratiæ spiritu, à fide spe, charitate, &c. minime procedebant, ac cum iis raro admodum jungebantur. Rejicit quoque Christus ibidem cultum à Samaritanis impensum, falsitati scilicet, et errori permixtum. Christianorum vero cultus est in spiritu, et veritate; cum exteriori ceremoniarum cortici non inhæreat, et ab omni sit procul errore.

Objicies 2. Ipsi Papistæ se veterum rituum contemptores ostendunt, dum baptisma nunc absque degustatione lactis et mellis, et absque Eucharistia ministrant: quæ si aspernari fas est, cur exorcismos, cereos, et ejuscemodi cetera respuere non licebit?

Addit præterea Calvinus in lib. 4. Institut. c. 15., quod *cum videret Satan, stulta mundi credulitate absque negotio fere inter ipsa Evangelii exordia receptas esse suas imposturas, ad crassiora ludibria prorupit: hinc sputum, et similes nugae palam in Baptismi probrum effroeni licentia invectae.*

Resp. fieri utique posse mutationem aliquam in accidentariis Sacramentorum ritibus; quin tamen inde sequatur, posse unumquemque privata auctoritate Ecclesiasticas ceremonias aspernari. Antiquati enim sunt quidam ritus, Ecclesiæ aut definitione, sicut communio parvulorum, aut desuetudine, sicut mellis lactisque degustatio; uti suo loco dicemus.

Ad id vero quod Calvinus affirmat, reponendum est, quod etiam Christus sputo surdum mutumque sanavit Marci 7. v. 33. eodemque sputo lutum fecit, quo cæcum à nativitate linivit, Joann. 9. v. 6. ideoque saliva liniuntur aures, naresque baptizandorum; *ut quemadmodum coecus ille Evangelicus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit: ita etiam intelligamus sacrae ablutionis eam vim esse, ut menti ad coelestem veritatem percipiendam lumen afferat*: ita Catechismus Romanus de Bapt. n. 68., et Gratianus cap. *Postea tanguntur*, de Consecr. dist. 4. c. 68. qui canon desumptus est ex lib. 1. de Sacram. c. 1. n. 3. inter Ambrosii opera. Impudentissime igitur de more suo pestilentissimus hæresiarcha argutando nugatur.

Objicies 3. Vestes, et cerei, aliaque ejuscemodi vel ex locorum consuetudine, vel ex necessitate primitus usurpata fuisse videntur: ergo cum diversa modo vigeat consuetudo, ac diurno dumtaxat tempore ad Ecclesiam fideles accedant, antiquæ vestes, lumina, et cetera hujusce generis possunt sine culpa repelli.

Resp. non probari à nobis illorum sistema, qui asserunt, sacras ceremonias ob necessitatem, regionumque consuetudinem inductas esse; cum earum institutio symbolica sit, mystica, spiritalis, uti superius ex Tridentino Concilio, et Catechismo Romano notavimus. Ceterum etsi cæremoniæ quædam ex necessitate ac pro gentium more fuissent inductæ, minime sequeretur esse abolendas, postquam illas usu suo probavit Ecclesia, in eisque præter res sensibiles nobis spiritualium rerum symbola demonstravit.

Opponunt hic etiam, quod Augustinus in laudata superius ad Januarium epistola scribat, non recte se gerere qui per ritus quosdam, *Religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt.* At Augustini mentem exposuimus in lib. 15. c. 10. de humanæ legis vigore tractantes. Hic autem insuper adnotamus, eadem in epistola S. Doctorem asserere, quod si cæremoniæ ac ritus in universa Ecclesia sint recepti, eos parvipendere *insolentissimae insaniae est.* Si vero in peculiaribus Ecclesiis dumtaxat obtineant, in eisdem Ecclesiis commorantes illarum ritus, consuetudinemque servare tenentur, *pro eorum, inter quos vivitur, societate.* Quod ergo hæretici ex Augustino nobis objectant, in ipsos jure merito retorquemus.

FINIS.

INDEX.

LIBER XXIV.

LIBER XXV.

FR. ANDREÆ SGAMBATI,

ORDINIS MINORUM

SANCTI FRANCISCI CONVENTUALIUM,

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

PRO JUVENUM ORDINIS EJUSDEM INSTRUCTIONE.

TOMUS DUODECIMUS.

COMPLECTENS

LIBROS DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, ET ORDINE.

MATRITI ANNO MDCCCXXVI.
EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS DE BURGOS.
Superiorum facultate.

Se vende en Madrid en la imprenta de Burgos frente á S. Isidro el Real.

FR. ANDREÆ SGAMBATI,

ORDINIS MINORUM

SANCTI FRANCISCI CONVENTUALIUM,

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

PRO JUVENUM ORDINIS EJUSDEM INSTRUCTIONE.

TOMUS DUODECIMUS.

COMPLECTENS

LIBROS DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, ET ORDINE.

MATRITI ANNO MDCCCXXVI.
EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS DE BURGOS.
Superiorum facultate.

Se vende en Madrid en la imprenta de Burgos frente á S. Isidro el Real.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

LIBER XXVI.

In quo de Baptismi Sacramento tractatur.

Sigillatim nunc de septem Ecclesiæ Sacramentis acturi cum simus, primo nobis Baptismus occurrit: est enim Sacramentum istud, *veluti janua, qua in Christianae vitae societatem ingredimur, atque ab eo divinis praeceptis obtemperandi initium facimus*; uti recte adnotat Catechismus Romanus in p. 2. c. 2. n. 4. Hujus præterea Sacramenti tanta dignitas et excellentia est, ut ipsum præclarissimis titulis Scriptura, et Patres passim insigniant. Appellatur enim *sacramentum fidei, peccatorum ablutio, illuminatio, unctio Spiritus Sancti, incorruptionis indumentum, haereditatis sigillum et arrha*; aliisque tandem vocabulis illustratur, ut Nazianzenus Orat. 40. in S. Baptisma meritó dixerit: *Baptismus omnium Dei beneficiorum praeclarissimum est, et praestantissimum.* Et postea: *Huic gratulantur Coeli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant: hic futurae beatitudinis imaginem gerit: hunc praedicare quidem, et laudibus ornare gestimus; verum pro rei dignitate non possumus.*

CAPUT I.

Ubi Baptismi nomen exponitur, ejusque definitio traditur; ac probatur, Baptismum Christi longe Joannis Baptismo praestare.

Baptismus Grecum est nomen originem ducens à βαπτίζειν, quod mergere, tingere, intingere, lavare significat; et hoc in sensu

non apud profanos tantum Auctores, verum et in sacris etiam litteris usurpatur. Legimus enim Marci. 7. v. 4. *baptismata calicum, et urceorum, et aeramentorum, et lectorum.* Apostolus etiam ad Hebr. 9. v. 10. scribit *varia* Judæorum fuisse *baptismata.* Et in lib. Judith. c. 12. v. 7. dicitur, quod illa *baptizabat se in fonte aquae.* Ita denique alibi non semel acceptum idem vocabulum invenitur.

Translatum quoque hoc nomen est, ut calamitatem, pœnitentiam, martyriumque designet; ideo nempe, quod sicuti in Baptismate aquis, ita in calamitatibus, in pœnitentia, in martyrio, pœna, lacrymis, sanguine perfundamur. Hinc David in Psal. 68. v. 2. ad exprimendam afflictionis suæ vehementiam ait: *Intraverunt aquae usque ad animam meam.* Et Christus passionem mortemque suam baptismi nomine designavit, inquiens Marci 10. v. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Sancti item Patres pœnitentiam sæpius baptisma laboriosum, sive lacrymarum appellant: lege Nazianzenum Oratione 39. quæ est *in sancta lumina.* Denique Basilius hom. de 40. Martyribus, Chrysostomus hom. in S. Martyrem Lucianum, aliique martyrium *baptisma sanguinis* appellarunt.

Figurato etiam in sensu baptismi vocabulum usurpatur ad divinorum donorum affluentiam denotandam. Legitur enim Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Et Matth. 3. v. 11. Joannes de Christo ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni.* Igni autem virtus Spiritus Sancti ideo comparatur, quod efficacissimam vim habeat purgandi peccata, eorumque sordes penitus absumendi; et quod idem S. Spiritus in die Pentecostes super Apostolos sub ignearum linguarum figura descenderit.

Sed præter ejuscemodi significationes, baptismi nomen præcipue denotat sacram illam, mysticamque ablutionem, qua quis aqua baptizatur in corpore, ut interius Spiritu renascatur. De hoc Baptismate quod *fluminis* dicitur, ait Christus Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et paulus ad Titum 3. v. 5. scribit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti.*

Ab hæreticis multæ traduntur Baptismi definitiones, quæ omnes eo collineant, ut vel illius efficientiam adimant, vel dene-

gent gratiam inhærentem, vel ejusdem Baptismatis necessitatem excludant. Plures etiam hujusce Sacramenti definitiones è Catholicis assignantur; quas inter eam præ ceteris eligendam esse censemus, quæ in Catechismo Romano legitur p. 2. c. 2. n. 5. *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo.* Est enim ille sensibile signum gratiæ spiritalis; adeoque *Sacramentum* recte vocatur. Bene etiam dicitur Sacramentum *regenerationis*; ut patet ex adductis supra textibus Joan. 3. et ad Titum 3. illud vero *per aquam* Sacramenti hujusce materiam explicat, sicut illud *in verbo* ipsius formam exponit; juxta quod Paulus ad Ephes. 5. v. 25., et 26. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Verba autem, quæ formam Baptismi constituunt, sunt invocatio SS. Trinitatis: unde nonnulli, perspicuitatis gratia, id etiam in Baptismi definitione reponunt. Hac de re legi inter alios potest Ven. Scotus in 4. d. 3. q. 1.

Sacramentum istud plures olim adumbravere figuræ, quos inter Catechismus Rom. citato in loco recenset Noeticum diluvium, quo purgatus est mundus, cum multa malitia hominum esset in terra; et transitum mari rubri, quo populus Israel Ægyptiacæ servitutis jugum excussit; et ablutionem Naaman Syri, qui in Jordane lepra mundatus est ex Elisei præscripto; et admirabilem vim probaticæ piscinæ, et alia id genus multa, in quibus hujusce mysterii simbolum inesse evidenter apparet. Proprius autem, clariusque Christi Baptisma præfiguratum est in baptismate Joannis, de quo hic breviter disseremus.

Hæreticorum plerique cum putent, Sacramenta nihil aliud esse, quam Dei oppignorationem, et sigilla doctrinæ, nullumque excepta fide, justitiæ instrumentum agnoscant, eandem baptismo Joannis, ac Baptismo Christi, efficaciam inesse contendunt. Unde Calvinus in lib. 4. Instit. c. 14. § 7. scribit: *Quo etiam certissimum fit, idem fuisse prorsus Joannis ministerium, quod Apostolis postea delegatum est. Non enim alium baptismum faciunt diversae manus, quibus administratur: sed eundem esse, eadem doctrina ostendit. In unam doctrinam Joannes, et Apostoli consenserunt*, &c. Quam vero id perperam dictum sit, ostendit sequens

Propositio. Baptisma Christi in hoc præsertim Joanni baptismati præstat, quod illud ex sese gratiam conferat, culpamque remittat; istud vero non item.

Probatur. Matth. 3. v. 11. Joannes Pharisæis ad se venientibus, ut baptisma reciperent, inquit: *Ego quidem baptizo vos aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni.* Quibus profecto verbis Joannes discrimen istud inter suum, et Christi Baptisma constituit, quod suum dumtaxat corpus ablueret, et ad pœnitentiam excitaret; Christi vero Baptisma pertingat animum, et ipsum Spiritus Sancti gratia donisque perfundat. Quare Chrysostomus hom. 11. in Matth. de Joanne scribit: *Profitetur baptismatis simplicitatem sui, nec illud quidquam amplius habere demonstrat, quam ut eos ad poenitentiam duceret: non enim dicit in aqua remissionis, sed poenitentiae: tum demum ponit Christi baptisma ineffabilium donorum liberalitate cumulatum.*

Hæc præterea veritas confirmatur ex eo quod Act. c. 19. legatur, duodecim viros qui se baptizatos *dixerunt in Joannis baptismate*, baptizatos à Paulo fuisse *in nomine Domini Jesu.* Lege v. 3., 4. et 5. Si enim uterque baptismus idem esset, illum sane non iterasset Apostolus, maxime cum nefas sit baptismum repetere, qui semel est rite collatus. Hinc apposite S. Augustinus in lib. 5. de Bapt. contra Donatistas c. 10. n. 12. ait: *Quaero itaque, si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius praestare potuit baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis voluit baptizari?* et seq. n. 13. subdit: *Quae igitur causa est, nisi quia baptisma, quod illos jussit Paulus accipere, non hoc erat quod per Joannem dabatur?*

Alii præterea Patres communi id suffragio docuerunt. Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 15. scribit: *Illinc cognoscitur quantum inter eam gratiam, quae à Spiritu proficiscitur, et baptismum eum, qui aqua tantum constabat, sit discriminis, quod Joannes quidem baptizavit aqua, Dominus autem meus, Jesus Christus, in Spiritu Sancto.* Idem inter Græcos alios scribunt Nazianzenus Orat. 39. in sancta lumina, Cyrillus Hierosol. catech. 3. Cyrillus Alex. in c. 1. Joan. Theophylactus, Œcumenius, &c.

Ex Latinis autem S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ lib. 2. n. 79. ait: *Non aqua omnis ablutio est, sed haec inter se divisa esse non possunt; et ideo aliud fuit baptisma poenitentiae, aliud gratiae est.*

Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: *Audi quid Scripturae doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit,*

quam poenitentiae baptisma fuit, in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.

Denique Gregorius M. lib. 1. in Evang. hom. 7. inquit: *Joannes non Spiritu, sed aqua baptizat; quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non lavat.* His accensendi sunt pariter Tertullianus in lib. de Bapt. c. 10. Hilarius can. 2. in Matth. Optatus lib. 5. contra Parmen. &c.

Merito igitur Synodus Tridentina in sess. 7. can. 1. ita decrevit: *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.*

Hoc tamen in loco opportune notandum est, quod Catholici quidam Theologi sentiant, fidem non lædi, si dicatur Joannis baptismate dimissa fuisse peccata; modo inter illud, et Christi Baptisma differentia statuatur: quanquam verissime teneant ferme omnes baptisma Præcursoris aut non diluisse peccata, aut ea si diluit, id *ex opere operato* minime præstitisse, sed ratione duntaxat pœnitentiæ et fidei illorum, qui tali baptismate tingebantur.

Tandem advertimus, alias etiam à Theologis assignari discriminis rationes inter utrumque baptisma. Et primo Joannis baptisma nullam omnino formam habuit, cum Scriptura, et Patres altum de ea servent ubique silentium, neque necessum fuerit verbo consecrari materiam carentem virtute gratiam producendi. Putarunt utique quidam, baptizasse Joannem *in nomine Messiae venturi*; sed præterquam quod adhuc inde sequeretur, diversam fuisse formulam utriusque baptismatis, illorum opinio stare non potest. Interrogarunt enim Pharisæi Joannem, an ipse esset Christus, quibus ille se Christum non esse respondit; id igitur ignorabant Pharisæi: atqui minime ignorassent, si Joannes sub venturi Messiæ formula baptizasset. Præterea Paulus Act. 19. v. 5. baptizatos à Joanne baptizari jussit in *nomine Domini Jesu.*

Simili etiam ratione Vossii sententia confutatur, qui ipsum quoque Joannem *in nomine Trinitatis* baptizasse commentus est. Si enim id verum esset, omnes qui Joannis baptismate tingebantur, Spiritum Sanctum esse scivissent; quod falsum ostenditur ex citato Act. c. 19. v. 2.

Præcellit præterea Christi Baptismus baptismo Joannis, quod

iste sese circa Jordanis regionem continuerit, ac neminem ex falsa religione in veram adduxerit: at Christi Baptismus ad Gentes quoque pertransiit, easque de regione umbræ mortis in lucem Evangelicæ veritatis attraxit. In eo denique præstat baptismus Christi baptismo Joannis, quod hic tingeret propriis manibus, ille ministerio discipulorum: unus adultos, ac pœnitentia expiandos, alter et parvulos originaria tantum labe pollutos: postremo ad Christi Baptisma accessit multitudo populorum frequentior, ita, ut ea res zelotypiæ causa fuerit discipulis Joannis, atque invidentiæ Pharisæis.

Objicies 1. Ex Scripturis apparet, quod baptismus Joannis, et Christi eandem materiam, et formam, eundemque auctorem, ac effectum habuerint. De materia quidem nulla dubitatio esse potest, in utroque enim baptismo per aquam tinctio facta est. De forma similiter constat: nam Act. 19. v. 4. legitur, Joannem baptizasse *in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.* Baptizavit ergo ille *in nomine Christi*; quæ sane forma non est diversa ab ea, quam, uti nonnulli è Schola dixerunt, post passionem in baptizandis Judæis adhibuere discipuli. Uterque insuper eundem habuit auctorem; quia baptisma Joannis Matth. 21. v. 25. dicitur, *è Coelo* fuisse. Convenit tandem utrumque baptisma etiam in effectu; nam sicut de Christi Baptismo inquit Petrus Act. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*; ita de Joannis baptismo legitur Marci 1. v. 4. *Fuit Joannes in deserto baptizans, et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Uterque igitur peccata dimisit.

Resp. neminem ignorare, quod in baptismo Joannis aqua pro materia fuerit usurpata. Defuit tamen ibi forma consecrans elementum, ut superius dictum est; formam vero si detrahas, *quid est aqua, nisi aqua?* inquit Augustinus tract. 80. in Joan. n. 3. Nec proinde asserimus Joannem muta usum fuisse ceremonia, uti nobis objectant hæretici; cum certum sit, quod ille Christum annuntiaverit, et ad pœnitentiam hortatus fuerit quos tingebat. Negamus autem prædicationem istam, hortationemque appellandam esse Sacramenti formam, quam in doctrina consistere aliud est hæreticorum figmentum superiori in libro dispunctum. Paulus item adducto in loco de prædicatione loquitur, non de forma; uti ex supra dictis apparet. Ceterum etsi daremus, baptisma Joannis formam aliquam habuisse; non tamen illa gratiam

conferebat, sed redemptionem proxime futuram solummodo promittebat.

Ideo vero baptisma Joannis dicitur è *Coelo* fuisse, quia institutum fuit divino instinctu, inspiratione, mandato; unde ille apud cognominem Evangelistam c. 1. v. 33. ait: *Qui misit me baptizare in aqua*, &c. Et Lucas c. 3. v. 2. testatur tunc Joannem venisse ad prædicandum, cum super illum *factum est verbum Domini.* At si baptismi illius efficaciam virtutemque perspexeris è *Coelo* profecto non fuit, sed uti Doctor Angel. ait in p. 3. q. 38. a. 2. *ab homine; quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset: unde non fuit à solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur*: Idem jam ante tradiderat Tertullianus in lib. de Bapt. c. 10.

Tandem peccatorum remissio tribuenda non est baptismo Joannis, sed pœnitentiæ, ad quam ille excitabat: vel, ut ait Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 10. *baptizavit Joannes in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa vero in Domini baptismo id fieret.* Et sane de Joannis baptismo non legitur, eo hominem renasci, regenerari, renovari, ablui peccata, et cetera quæ de Christi Baptismo dicuntur; sed tantum legimus, *fuisse baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*: quorum verborum sensus est, Joannem prædicando et baptizando ad pœnitentiam provocasse Judæos, ut viam pararent ei, qui adveniebat gratiam exhibens, baptizans in Spiritu Sancto, et peccata dimittens: qua exhortatione, si qui pœnitentiam vehementem egerunt, hos vi contritionis fideique charitati conjunctæ justificatos esse concedimus. Qua in re notandum est pariter, quod Joannes non hortabatur ad pœnitentiam tanquam ad dispositionem baptismatis sui, ut Petrus Act. 2. v. 38. *Poenitentiam* (inquit) *agite, et baptizetur unusquisque*, &c. Sed tanquam ad præparationem pro recipiendo Messia, dicens Matth. 3. v. 2. et 3. *Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum... Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus*: atque dum Jesum vidit, Joan. 1. vv. 29. et 33. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi... Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.*

Objicies 2. Nonnulli Patres non obscure testantur per baptisma Joannis remissa fuisse peccata. Ita Basilius Orat. 1. de Baptismo ait: *Simul itaque accesserat quis, et peccata sua, quantacunque et qualiacunque fuissent, confessus fuerat; in Jordanis flumine*

baptizabatur, et confestim peccatorum remissionem accipiebat.

Cyrillus Hierosol. Catechesi mystagogica 2. inquit: *Per baptismum Joannis dabatur remissio peccatorum; per baptismum Christi adoptio filiorum.*

Ambrosius in lib. de Spiritu Sancto c. 3. scribit: *Joannes in remissionem peccatorum in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine.* Ex quo loco Magister Sent. in 4. d. 2. concludit baptizatos à Joanne non fuisse rebaptizatos, si in Trinitatem crediderant, nec in ipso Joannis baptismo spem collocaverant; ac rebaptizatos tantum, qui Spiritum Sanctum nesciebant, suamque spem in Joannis lavacro posuerant.

Denique, ut de aliis sileamus, Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 10. ita mentem suam exponit: *Ne quisquam contendat, etiam in baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus Apostolus denuo baptizari, per baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.*

Resp. Basilium objecto in loco tria distinxisse baptismata, unum Moysis, alterum Joannis, tertium vero Christi. Primum quod promittebat futurum Reparatorem, ac legalem tantum munditiem conferebat, appellat *obsignationem purificationis*: alterum, in quo Salvator prædicabatur adveniens, exhibebat *statim remissionem*: tertium, reliqua superans, tribuebat *supereminentiam gratiae.* Ne autem locus iste pugnet cum iis, quæ ex eodem Basilio in lib. de Spir. Sancto supra retulimus, dicendum est, illud *statim* idem valere ac *quamcitissime*, *quamprimum*; ita, ut sensus sit: Primum baptisma prænuntiabat remissionem aliquando futuram; alterum jam advenientem, ac statim obtinendam; tertium vero plenam, perfectamque largitur. Reponi præterea potest, quod Basilius affirmet, in baptismo Joannis dimissa fuisse peccata, non virtute ipsius baptismi, sed fidei ac pœnitentiæ, ad quam Joannes excitabat. Denique Basilius citato in loco Baptismum Christi tantum à Joannis baptismo distare pronuntiat, *quantum Sol stellis antecellit.* Statuit ergo ille apertum inter utrumque baptisma discrimen, quod ad fidem pertinet; quidquid interim dixeris de peccatorum remissione collata vel non collata per baptisma Joannis.

Cyrillus etiam de remissione loquitur, quam non ipse Joannis baptismus, sed adjuncta ei pœnitentia conferebat.

Ambrosius exponi recte potest de remissione futura per Christum. Ille enim Præfat. in Psal. 37. ait: *Baptismus Joannis oculus*

suppliciorum est, baptismus Christi oculus gratiarum. A Magistri vero opinione Commentatores ejus magno consensu recedunt, ut notat etiam Estius in 4. d. 2. §. 5.

Tandem Augustinus noluit pugnaciter agere, non quia censuit veram non esse sententiam, quam ibi expresse tradit, uti ex probationibus apparet; sed quia ad propositam causam non admodum conducebat. Ad refellendum enim Donatistarum argumentum ab exemplo baptismi Joannis petitum satis erat ostendere, quod fuisset ille à Christi Baptismo diversus; proindeque non unus idemque baptismus iteratus est, dum iterum baptizati sunt, qui baptismo Joannis fuerant baptizati.

Objicies 3. Baptismus Joannis propinquior erat Baptismo Christi, quam circumcisio: atqui per circumcisionem remittebatur originale peccatum; multo itaque magis id præstitit baptismus Joannis: sed remissio peccatorum sine gratia haberi non potest: ergo.

Resp. cum S. Thoma in p. 3. q. 38. a. 3. ad 3. «quod circumcisio instituta erat ad remedium originalis peccati; sed baptismus Joannis ad hoc non erat institutus, sed solum erat præparatorius ad Baptismum Christi... Sacramenta autem ex vi institutionis suum habent effectum."

Ex dictis infertur, quod Joannis baptisma etsi gratiam non dederit, suam tamen utilitatem attulerit, triplici nempe modo ad eandem gratiam præparando, ut eo in loco docet S. Thomas: *Uno quidem modo, per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi. Alio modo, assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi. Tertio modo, per poenitentiam, praeparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.* Denique legendum consulimus S. Bonaventuram in 4. d. 2. a. 2. ubi per tres quæstiones de Joannis baptismo prolixe, egregieque pertractat.

CAPUT II.

In quo de remota Baptismi materia disputatur.

Theologi in quolibet Sacramento quod in usu et actione consistit, duplicem solent assignare materiam; remotam nempe unam, et est res illa sensibilis, quæ ad conficiendum Sacramentum assumitur: alteram vero proximam; et est ipse usus, sive applicatio materiæ remotæ facta ei, qui suscipit Sacramentum. Hoc in capi-

te de remota materia, in sequenti vero de proxima disseremus.

Plures, ex antiquis hæreticis circa remotam Baptismi materiam erraverunt. Hos inter Cajani, sive Cainani, ita vocati, quod fratricidam Cain, aliosque turpiora perpetrantes facinora colerent, Baptismum aqua constare negarunt. Item Manichæi cum aquam à malo esse principio crederent; Baptismum in eo elemento collatum, uti noxium, respuerunt. Idem quoque sensisse Seleucianos, vel Hermianos perhibent Augustinus *Haer.* 59. et Philastrius in Cathalogo hæresum. His accensendi sunt Pauliciani, qui, uti refert Euthymius *in* 2. *p. Panopl. tit.* 21. aquæ elementum sustulerunt, existimantes Baptismum perfici sola pronuntiatione verborum, eo quod Christus in Evangelio dixerit: *Ego sum aqua viva.*

Quidam præterea hæretici, quorum meminit Anonymus Scriptor de Baptismo in tomo 1. Concil. pag. 783. et Martene de ritibus Baptismi lib. 1. a. 14. ignem in Baptismo adhibuerunt, jactantes, quod statim ac in fontem descenderent, super aquam ipse ignis appareret, eoque baptizati haberent integrum perfectumque lavacrum, non, sicut nos, decurtatum et mutilum. Igne quoque baptizasse Messalianos, Catharosque Eruditi plures affirmant.

Postremo Lutherus in Colloquiis Symposiacis c. 17. interrogatus, num deficiente aqua in lacte baptizare liceret, respondit: *Quidquid balnei loco esse potest*, *illud aptum esse ad baptizandum.* Etiam Beza in 2. ad Thomam Tillium epistola sensit, baptizandum in vino, aut in alio quovis liquore, si nullo modo aqua possit haberi.

Propositio. Sola naturalis aqua est remota Baptismi materia.

Probatur. Ea sola est necessaria Baptismi materia, cujus usum Christus ipse in Baptismo præcepit, factoque monstravit: atqui Christus naturalis aquæ usum in Baptismo præscripsit, inquiens Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *et Spiritu Sancto*, *non potest introire in regnum Dei.* Quod vero naturalem aquam Christus verbis hisce indicare voluerit, ex ejusdem facto probatur quod eo in capite legitur v. 22. et 23. *Post haec venit Jesus*, *et discipuli ejus in terram Judaeam*, *et illic demorabatur cum eis*, *et baptizabat. Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon*, *juxta Salim*: *quia aquae multae erant illic*, *et veniebant*, *et baptizabantur.* Ex quibus apparet, Christum ejusque discipulos baptizasse vera et naturali aqua, sicut ipse Joannes: unde ibidem v. 25. et 26. hæc habentur: *Facta est autem quaestio ex discipulis Joannis cum Judaeis de purificatione*: *et venerunt ad Joannem*,

et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.

Præterea legitur Act. 10. v. 47. dixisse Petrum: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* Actorum etiam 8. v. 36. et seq. de Philippo, et Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum perhibetur, quod *dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? . . . . Et descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, &c.* Quo sane in loco non nisi naturalis aqua potest intelligi.

Aliis tandem innumeris Scripturarum oraculis confirmatur assertio. Quoties enim Scripturæ de materia Baptismi loquuntur, aquam absolute ac sine additione proponunt: aqua autem absolute dicta significat elementarem, naturalem, veramque aquam; juxta scilicet litteralem sensum, cum nihil occurrat fidei veritati, morumque honestati contrarium.

Id insuper demonstratur ex communi Patrum consensu, quorum testimonia in re notissima proferre superfluum est. Perpetuus quoque Ecclesiæ usus, ac doctrina naturalem aquam Baptismi materiam esse declarat; uti præsertim patet ex Florentino Concilio, quod in Instructione Armenorum ait: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera, et naturalis.* Concilium pariter Tridentinum in sess. 7. can. 2. decrevit: *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritus Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Observandum postremo hic est, quod licet in his, quæ divinam habent institutionem, humanam rationem investigare nequaquam oporteat; plures tamen congruentiæ à Patribus, ac Theologis assignantur, cur aqua sit propria Baptismi materia. Ut enim scribit Doctor Angel. in p. 3. q. 66. a. 3. Convenienter institutus à Deo est Baptismus in aqua, «primo quantum ad ipsam »rationem Baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, »quod maxime congruit aquæ: unde et semina, ex quibus gene»rantur omnia viventia, scilicet plantæ, et animalia, humida »sunt, et ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi »posuerunt aquam omnium rerum principium.

»Secundo quantum ad effectus Baptismi, quibus competunt »aquæ proprietates, quæ sua humiditate lavat: ex quo conveniens »est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum: sua »frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris; et ex hoc com»petit ad mitigandam concupiscentiam fomitis: sua diaphaneitate »est luminis susceptiva; unde competit Baptismo, in quantum »est fidei Sacramentum.

»Tertio, quia convenit ad repræsentanda mysteria Christi, »quibus justificamur: ut enim dicit Chrysostomus super illud »Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* (hom. 24.), sicut in quodam »sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo se»pelitur; et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rur»sus ascendit.

»Quarto, quia ratione suæ communitatis, et abundantiæ, est »conveniens materia necessitati hujus Sacramenti, potest enim »ubique de facili haberi." Hisce consona scribunt etiam S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. et Ven. Scotus in 4. d. 3. q. 3. ac demum Catechismus Romanus in p. 2. c. 2. n. 10.

Objicies 1. Relata superius Christi verba apud Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, &c.* non proprio in sensu accipienda sunt, ut elementum naturalis aquæ significent; sed metaphorice sunt exponenda, denotantque ipsum Spiritum Sanctum qui instar aquæ hominem interius lavet, et mundet. Plerumque enim particula et non distinguit, sed dumtaxat exponit; uti exempli gratia patet ex Act. 17. v. 25. ubi illud *vita et inspiratio*, idem est, ac *inspiratio vitae*; illudque ad Colloss. 2. v. 8. *per philosophiam et inanem fallaciam*, idem sonat, ac *per inanes philosophiae fallacias.* Ergo illud quoque, *ex aqua et Spiritu*, idem significare potest, ac *ex Spiritu aquae*, idest ex Spiritu instar aquæ mundante. Imo quod hæc esse debeat horum verborum significatio, constat ex simili textu Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni*: ubi sane vox *ignis* metaphorice sumitur, ac designat ipsum Spiritum Sanctum qui tanquam ignis corda purificet, illuminet, inflammet, et ad cœlestia trahat.

Resp. quod quamvis Scriptura duobus terminis rem eandem per particulam et quandoque designet; perperam tamen ad Christi verba Joan. 3. v. 5. observatio isthæc aptetur, quasi aqua et Spiritus idem omnino significent. Pari quippe modo quis contendere posset, per hæc nomina, *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,*

significari tantum trinominem unam eandemque personam. Loci ergo circumstantiæ, subjecta materia, Ecclesiæ totius praxis, constansque traditio expendendæ sunt, ex quibus legitimus verborum Christi sensus apparet; ostenditurque, quod eo in textu particula et distinguendi vim habeat, et aquæ nomen veræ ac naturalis aquæ denotet elementum. Sane cum Nicodemus hæsitasset ad Christi sententiam, *Nisi quis renatus fuerit denuo*, eam intelligendo de renascentia carnali; ac Dominus respondisset de alia longe dispari se loqui, de ea nimirum, qua homo *ex aqua et Spiritu Sancto* renascitur: Cumque et ista nondum Israelita satis perciperet, addidit Christus se de spiritualibus loqui, et posse Spiritum etiam per aquam hominem regenerare. Quid his mysteriis erat opus, nisi de aquæ Baptismate Dominus pertractasset? Sat erat reponere, *Solo Spiritu homo regeneratur.*

Adnotat præterea Estius inter verba Matth. 3. et verba Joan. 3. non leve interesse discrimen; in priori enim textu ignis postponitur Spiritui Sancto, in posteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adjunctum, tanquam ejus quod antecedit determinationem, qua nimirum certa Spiritus Sanctus proprietas designetur; hic vero aquam posterius nominatam, ne per eam intelligatur aliqua Spiritui Sancto attributa proprietas, sed in sua propria significatione sumatur. Unde, uti supra notavimus, Christus statim post habitum cum Nicodemo sermonem, ut traditam à se doctrinam facto probaret, in Judæam digrediens baptizavit in aqua.

Tandem nemo ex SS. Patribus ita Matthæi textum exposuit, ut ignem esse diceret Baptismi materiam; sed illum interpretati sunt vel de linguis igneis super Apostolos delapsis in die Pentecostes, vel metaphorice (uti dictum est) de proprietate Spiritus Sancti qui instar ignis corda purificet, vel de probatione ac purgatione in extremo judicio futura per ignem.

Objicies 2. Ad Sacramenti materiam requiritur analogia cum ablutione animarum: atqui ejuscemodi analogia inest cuique liquori, ac vino præsertim, quo absterguntur vulnera et sanantur. Hinc in Tomo 6. Conciliorum Labbei pag. 1652. extat rescriptum Stephani III. vel, ut alii volunt, II. qui de Presbytero, à quo baptizatus fuerat infans vino, ait: *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo.*

Resp. Sacramenti materiam non solum habere analogiam cum re quam significat, sed divinam etiam institutionem; cum Sacramentum sit signum divinitus institutum: non enim penes hominem est sensibili signo efficaciam gratiæ alligare, neque idem signum immutare à Christo præscriptum. Christus autem, uti ex ante dictis apparet, aquam solam instituit pro Baptismi materia; cujus quidem rei ratio est ipsius sola voluntas, congruentias vero superius adduximus, addimusque ex S. Thoma in citato loco ad 2. *quod vinum*, *et oleum*, aliique liquores, *non communiter assumuntur ad usum ablutionis*, *sicut aqua. Nec etiam ita perfecte abluunt*, *quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, quantum ad odorem*, *quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter et abundanter habentur*, *sicut aqua.*

Ad rescriptum Stephani dicimus, nonnullos ea responsa tribuere, non Romano Pontifici, sed Stephano Tornacensi Episcopo; cum ad calcem Codicis Laudunensis ita legi affirment: *Finis definitionum Stephani Papae Tornacensis.* Sirmondus qui primus hæc edidit ex eodem Codice, animadvertit eadem responsa à Stephano Papa II. privatim data Monachis Britaniacensibus; proindeque non Pontificiam definitionem, sed privatam opinionem continere. In Tomo 6. Conciliorum adnotatur, ibi à librario *glossema temere intrusum*; quo deleto absolvitur quidem Presbyter ab excommunicatione, sed baptisma minime probatur. Unde post citata verba subjungitur: *Si aqua adfuit praesens*, *ille presbyter excommunicetur*, *et poenitentiae submittatur*, *quia contra Canonum sententiam agere praesumpsit.* Postremo quibusdam omnino supposititium esse videtur illud Stephani responsum, cujus nec Collationes Canonum, nec Scriptorem aliquem meminisse invenitur: neque credibile est, Romanum id ignorasse Pontificem, quod vel minores Clerici norunt, nempe quod Baptismus in sola aqua sit conferendus.

Quod de Responso Stephani dictum est, dicendum est pariter de alio Siricii, citato in Pœnitentiali Theodori, et in quibusdam Codicibus à Tournelio laudatis: cum enim non inveniatur in Romanis Archivis, neque in aliqua Canonum collectione, neque citati Codices consentiant, nunquam denique in Romana Ecclesia opinio de baptismate in vino obtinuerit, imo nec ætate Siricii fuerit audita, jure merito affirmamus Siricii Responsum vel adulteratum esse, vel spurium.

Objicies 3. Narrat Joannes Moschus in Prato Spirituali c. 176.

et post eum Nicephorus in lib. 3. H. E. c. 37. quod *cum Judaeus per loca arida iter faceret, ac subito deficientibus viribus moriturus crederetur, ter superfusa in eum arena baptizatus est: ac per hanc tam insolitam, et admirandam sanctorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tanquam vinculo quodam solutus, validius quam alii, iter fecit.* Ex hoc ergo miraculo demonstratur, valere Baptismum etiam sine aqua collatum.

Resp. ex citata narratione patere, quod baptismus hujusmodi nullus et irritus declaratus fuerit Ecclesiastico judicio, et quod Judæus aqua subinde fuerit baptizatus. Scribit namque Nicephorus: *Postquam autem domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriae Episcopum retulerunt. Ille vero admiratione stupens Ecclesiam consuluit, cui visum est aqua insuper ad eum modum initiatum juxta Ecclesiae traditionem abluendum esse.* Idem etiam refert Moschus. Ergo Judæus ille convaluit, non quia validus fuerit baptismus in arena collatus, sed quia fidem habuit votumque Baptismi.

Hic obiter nota, errasse Nicephorum circa Dionysii personam. Scribit enim ille factum contigisse sub Marco Aurelio Antonino: at hoc imperante fuerunt Episcodi Alexandrini Celadion, et Agrippinus, non Dionysius, qui sedit imperante Philippo: quare si ad tempora Marci Aurelii hæc historia esset referenda, contigisset sub Dionysio Corinthiorum Episcopo, ut visum Baronio ad annum 181. num. 2. Deniqne Moschus, qui omnium primus hanc scripsit historiam, refert sub Dionysio Episcopo Ascalonita, id accidisse; quia vero adjungit, narratum fuisse factum *Alexandriae ab Andrea Abbate*; inde erroris causa patet, cur nempe Nicephorus pro Dionysio Ascalonita scripserit *Alexandrinum*.

Jam ergo patet ex dictis, omnem et solam naturalem aquam esse remotam Baptismi materiam: naturalis vero aqua illa censetur, quæ fluida est, et cui artificialis opponitur. Valet ergo Baptisma collatum in aqua maris, fluminis, pluviæ, resoluta ex nive, glacie, grandine, pruina, transfusa per cineres, per balnea sulphurea, aut alia mineralia loca, adhibita ad carnes, pisces, et alimenta alia decoquenda; nisi tamen elementum istud tot diversi generis partes imbiberit, ut suam speciem commutarit.

Patet præterea irritum esse Baptismum datum in aquis, quæ ex floribus, fructibus, herbis, aliisque rebus hisce similibus exprimuntur. Ut enim notat Scotus in 4. d. 3. q. 3. n. 6. *aqua artificialis, etsi habeat aliqua accidentia similia; tamen ali-*

Resp. Sacramenti materiam non solum habere analogi...
re quam significat, sed divinam etiam institutionem; c...
mentum sit signum divinitus institutum: non enim ...
nem est sensibili signo efficaciam gratiæ alligare, n...
num immutare à Christo præscriptum. Christus ...
te dictis apparet, aquam solam instituit pro...
cujus quidem rei ratio est ipsius sola volunt...
superius adduximus, addimusque ex S. Th...
quod vinum, et oleum, aliique liquores ...
*muntur ad usum ablutionis, sicut aq...
abluunt, quia ex eorum ablutione r...
tum ad odorem, quod non conti...
ita communiter et abundanter ...*

Ad rescriptum Stephani ...
buere, non Romano Pontif...
po; cum ad calcem Cod...
definitionum Stephani ...
mus hæc edidit ex e...
à Stephano Papa ...
proindeque non ...
nem continere ...
rio *glossema* ...
Presbyter ... *...na Baptismi materia.*
Unde po...
presbyt... ...i superiori capite aquæ usum, sive corporis ablutio-
tra C... ...cholæ Theologis proximam Baptismi materiam appellari.
da... *Tribus* autem modis fieri potest ablutio; vel nempe per corporis
immersionem in aqua, vel per effusionem, vel aspersionem aquæ
supra corpus. De triplici hoc abluendi modo nunc quæritur, qui-
nam illorum adhibendus sit, ut Baptisma tum valide, tum licite
conferatur.

Græci schismatici, antesignano Marco Ephesio, postquam so-
luta fuit Synodus Florentina, inter ceteras separationis suæ cau-
sas istam etiam objectarunt, quod Baptismus ab ipsis juxta Apos-
tolicam traditionem trina mersione collatus, alius sit à Baptis-
mo, quem infusione utens Romana præbet Ecclesia; ideoque
hanc à vera fide descivisse dixerunt, scribente ad Ephesios Pau-
lo c. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Propositio 1. Valet Baptismus sive immersione, sive infusio-
ne, sive aspersione collatus.

*Pro*batur. Valet Baptismus, in quo accedit verbum ad elementum, et vere corpus abluitur, ut interior peccatorum ablutio ...quetur: atqui id semper in Baptismo contingit, sive immer... sive infusione, sive aspersione conferatur. Lege S. Thomam ... q. 66. a. 7. et S. Bonaventuram in 4. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ...de valet Baptismus, quem valere usu suo semper Eccle...it: atqui quovis sæculo Ecclesia Baptismum per tripli...llum adhibuit. Et de immersione quidem nullum ...bium, cum certissima apud Patres extent hujusce ... Tertullianum de Corona Mil. c. 3. Basilium de ...7. Ambrosium lib. 2. de Sacram. c. 7. Hiero... ...ciferianos, aliosque ad unum omnes. Hunc ...m usque ad 13. sæculum communiter fuisse ... Thoma, qui in loco supra citato scribit, ... *modum immersionis, quia hoc habet* ...iam S. Bonaventura ibidem: *Mos com*... ...*e immergendo.*

...di per immersionem tunc præva... ...pensabiliter observatus. Nam 1. Cli... ...entium in lecto præ infirmitate, baptis... ...uit S. Cyprianus epist. 76. ad Magnum, etsi im... ... minime conferretur: *Nos*, inquit ille, *quantum conci... mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari, et debilitari posse beneficia divina.... Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam loquatur, et dicat*: (c. 36. v. 25. juxta Lxx.) *Et aspergam super vos aquam mundam.*

Clinicorum quoque baptisma infusione, aut aspersione collatum probavit Neocæsariense Concilium anno 314. can. 12. Et Antissiodorense anno 578. can. 18. necnon Matisconense II. anno 585. can. 3. ac denique Parisiense IV. anno 829. c. 7. &c.

Præterea cum Baptismus maximæ sit necessitatis, cumque verisimile non videatur, datum illum immersione fuisse, dum aut animam ageret parvulus; aut aquæ copia deficeret, aut ad unum Sacerdotem immensa baptizandorum multitudo conflueret; tunc infusionem, aut aspersionem ministros adhibuisse dicendum est. Hinc ex Actis S. Laurentii discimus, ipsum aqua ex urceo effusa Romanum militem baptizasse; ac simili ritu collatum Baptisma constat ex Actis etiam S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, et

qua dissimilia habet à tota specie, ex quibus sequitur distinctio substantiae; quod ibidem n. 3. probat Subtilissimus Doctor. Ex quo et illud apparet, neque in casu necessitatis extremæ fas esse sub conditionali forma aliquem baptizare cum aqua è rosis, aut floribus aliis, aut plantis expressa.

Denique notandum est, quod quamvis aqua quælibet naturalis sit materia sufficiens ad Baptismum; extra tamen necessitatis casum non licet aliam adhibere, quam illam, quæ pridie Paschatis, aut Pentecostes fuerit consecrata. Rident Novatores baptismalis aquæ benedictionem; at prorsus immerito, cum sacra isthæc ceremonia ex antiquissima Patrum doctrina descendat. Basilius enim in lib. de Spiritu Sancto c. 27. benedictionem hanc repetens ex Apostolica traditione inquit: *Benedicimus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis, ac praeterea ipsum qui baptismum accepit. Ex quibus scriptis?* Hoc idem docuere Cyrillus Hierosol. in Catechesi 3. Cyprianus in epist. 70. Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 5. Augustinus serm. 352. n. 3. aliique communiter. Hunc postremo morem comprobant pervetusti Rituales libri, antiqua Baptisteria ac perpetua tandem praxis universalis Ecclesiæ.

CAPUT III.

De proxima Baptismi materia.

Diximus in superiori capite aquæ usum, sive corporis ablutionem à Scholæ Theologis proximam Baptismi materiam appellari. Tribus autem modis fieri potest ablutio; vel nempe per corporis immersionem in aqua, vel per effusionem, vel aspersionem aquæ supra corpus. De triplici hoc abluendi modo nunc quæritur, quinam illorum adhibendus sit, ut Baptisma tum valide, tum licite conferatur.

Græci schismatici, antesignano Marco Ephesio, postquam soluta fuit Synodus Florentina, inter ceteras separationis suæ causas istam etiam objectarunt, quod Baptismus ab ipsis juxta Apostolicam traditionem trina mersione collatus, alius sit à Baptismo, quem infusione utens Romana præbet Ecclesia; ideoque hanc à vera fide descivisse dixerunt, scribente ad Ephesios Paulo c. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Propositio 1. Valet Baptismus sive immersione, sive infusione, sive aspersione collatus.

Probatur. Valet Baptismus, in quo accedit verbum ad elementum, et vere corpus abluitur, ut interior peccatorum ablutio designetur: atqui id semper in Baptismo contingit, sive immersione, sive infusione, sive aspersione conferatur. Lege S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 7. et S. Bonaventuram in 4. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2.

Deinde valet Baptismus, quem valere usu suo semper Ecclesia declaravit: atqui quovis sæculo Ecclesia Baptismum per triplicem ritum illum adhibuit. Et de immersione quidem nullum oriri potest dubium, cum certissima apud Patres extent hujusce rei vestigia. Vide Tertullianum de Corona Mil. c. 3. Basilium de Spiritu Sancto c. 27. Ambrosium lib. 2. de Sacram. c. 7. Hieronymum adversus Luciferianos, aliosque ad unum omnes. Hunc autem baptizandi ritum usque ad 13. sæculum communiter fuisse receptum, apparet ex S. Thoma, qui in loco supra citato scribit, *tutius esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus.* Scribit etiam S. Bonaventura ibidem: *Mos communis Ecclesiae est baptizare immergendo.*

At quamvis ritus baptizandi per immersionem tunc prævaluerit, non fuit tamen indispensabiliter observatus. Nam 1. Clinicorum, sive decumbentium in lecto præ infirmitate, baptismum ratum habuit S. Cyprianus epist. 76. ad Magnum, etsi immersione minime conferretur: *Nos*, inquit ille, *quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus in nullo mutilari, et debilitari posse beneficia divina.... Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam loquatur, et dicat*: (c. 36. v. 25. juxta Lxx.) *Et aspergam super vos aquam mundam.*

Clinicorum quoque baptisma infusione, aut aspersione collatum probavit Neocæsariense Concilium anno 314. can. 12. Et Antissiodorense anno 578. can. 18. necnon Matisconense II. anno 585. can. 3. ac denique Parisiense IV. anno 829. c. 7. &c.

Præterea cum Baptismus maximæ sit necessitatis, cumque verisimile non videatur, datum illum immersione fuisse, dum aut animam ageret parvulus; aut aquæ copia deficeret, aut ad unum Sacerdotem immensa baptizandorum multitudo confluerет; tunc infusionem, aut aspersionem ministros adhibuisse dicendum est. Hinc ex Actis S. Laurentii discimus, ipsum aqua ex urceo effusa Romanum militem baptizasse; ac simili ritu collatum Baptisma constat ex Actis etiam S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, et

S. Luidgeri Episcopi, patetque, ex aliis monumentis, quæ ab Eruditis non pauca recensentur. Insignes etiam Theologi cum SS. Thoma, et Bonaventura, et Ven. Scoto probabiliter arbitrantur, Petrum Apostolum aspersione usum fuisse, quando una die tria millia hominum, et alia die hominum quinque millia baptizavit, ut legitur Act. 2. v. 41. et 4. v. 4.

Denique vero magis simile videtur, aspersionem usurpasse Liberium, dum in Pentecoste *quatuor millia et duodecim* promiscui sexus salutari Baptismo expiavit, ut ex Actis Damasi refert Paulus Aringhus Romæ subterr. pag. 223. Voluminis 1.

Propositio 2. Perinde est ad Baptismi valorem, si per ablutionem vel trinam, vel unicam conferatur.

Id descendit ex dictis. Quocunque enim modo conferatur Baptismus, si materia, et forma serventur, ratus erit, ac validus: neque necessum est, ut una, vel trina immersione, infusione, aut aspersione mysterium Trinitatis, aut Christi passio designetur: tum quia Sacramentum est signum gratiæ, non prædicatio dumtaxat fidei; gratiam vero commonstrat quæcunque ablutio: tum quia fides, si baptizetur adultus, ab eo petitur, et exigitur, tanquam prævia dispositio; et si tingatur infantulus, id supplet fides gestantium, aut sanctæ matris Ecclesiæ.

Deinde per solam formam significatur Essentiæ unitas vocabulo numeri singularis, *In nomine*; significatur et Trinitas Personarum, distincta illarum enumeratione, *Patris* nempe, *et Filii*, *et Spiritus Sancti.* Valet ergo Baptismus sive trina, sive unica ablutione collatus. Mors etiam Christi trina ablutione monstratur, cum Christus triduo in sepulcro permanserit; monstratur et unica ablutione, cum semel fuerit ille sepultus, utque S. Thomas affirmat in p. 3. q. 66. a. 7. ad 2. Christi sepultura aliquo modo semper repræsentatur, *quocunque modo fiat ablutio*, eo ipso quod *corpus hominis*, *vel aliqua pars ejus*, *aquae supponitur*, *sicut corpus Christi sub terra fuit positum.*

Ad hæc accedit, quod circa sexcentesimum annum Hispaniarum Episcopi trinam immersionem deseruerunt occasione Arianorum, qui ex ea argumentum petebant ad oppugnandam Sanctæ Trinitatis consubstantialitatem; inductamque ab Hispanis consuetudinem Magnus Gregorius approbavit lib. 1. epist. 43. ad Leandrum Episcopum Hispalensem; ubi post multa, quæ etiam à Gratiano relata sunt in canone, *De Trina*, De Consecrat. dist. 4. ait S. Pontifex: *Reprehensibile esse nullatenus potest, in-*

fantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nuncusque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerans, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. Gregorii judicio adhæsit Concilium Toletanum IV. anno 633. in can. 6. alias 5. quem inter decreta retulit Gratianus in citata dist. 4. cap. *Propter vitandum.* Trina igitur immersio, sicut et infusio, ac aspersio, trina, necessaria minime est, ut Baptisma valide conferatur.

Propositio 3. Ut Baptisma licite detur, debet baptizans eum abluendi modum servare, quem Ecclesiæ consuetudo requirit.

Probatur. Uti ex dictis in præcedente libro c. 19. colligitur, quilibet Minister in solemni Sacramentorum administratione præscriptos ab Ecclesia ritus servare tenetur: ut ergo Baptisma licite conferatur, debet Minister ad Ecclesiæ, cujus Minister est, Rituales libros attendere, ac juxta præscriptam ab eis normam abluere: neque privata auctoritate eidem licet præceptos ritus aut contemnere, aut pro libito omittere, aut in novos alios immutare. Hinc peccaret Græcus Minister, qui non per immersionem, sed per infusionem, vel aspersionem Baptisma conferret, nisi necessitas aliter postularet, peccaretque Latinus nunc immersionem adhibens, nisi vel necessitate urgente, vel particularis Ecclesiæ cui adscriptus est, ritu aliter imperante. Nam et apud Latinos pro Ecclesiarum consuetudine non tantum per infusionem, verum etiam per immersionem Baptisma confertur. Huc faciunt quæ Rituale Romanum habet in tit. de forma Baptismi: *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.* Ex quo et illud apparet, perperam affirmare Græcos, quod immersionis ritus à nobis fuerit eliminatus.

Objicies 1. contra 1. propos. Christum immersione baptizatum non obscure demonstrant ea verba Matth. 3. v. 16. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Si enim ascendit; ergo ante descenderat: proindeque in hoc textu non infusio, non aspersio, sed immersio declaratur. Atqui non aliter baptizandi sumus, quam baptizatus est Christus.

Patres insuper baptizandi ritum per trinam immersionem ab

Apostolorum traditione descendisse dixerunt. Ita namque asserit Tertullianus in lib. de Corona Militis c. 4. Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 27. Hieronymus adversus Luciferianos, &c. Nefas est igitur hunc ritum non servare.

Postremo cum dicat Apostolus ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*; cumque prioribus Ecclesiæ sæculis omnes, nunc vero multi immersione baptizent; profecto consequitur, quod sine immersione validum esse Baptisma non possit.

Resp. quod etsi Christus per immersionem baptizatus sit, aliosque simili modo baptizaverit; ejus tamen exemplum nobis necessitatis legem non imponit, cum præceptum ita faciendi nequaquam indixerit. Plura enim Christus in conficiendis ac dispensandis Sacramentis gessit, quæ ad illorum substantiam non pertinere nemo negaverit. Ita Eucharistiam sero post cœnam in azymo pane confecit, ac Discipulis sub duplici specie distribuit: ita denique in Jordane baptizatus est; quin tamen inde sequatur, quod et nos similiter agere debeamus.

Distinguendæ præterea sunt traditiones, quæ ad Sacramentorum substantiam, et fidei morumque regulam spectant, ab iis quæ Ecclesiæ regimen, et disciplinam dumtaxat, ritusque respiciunt; et quemadmodum primi generis traditiones inviolate sunt custodiendæ, ita postremæ pro locorum temporumque varietate mutantur. Hinc ex supra dictis apparet, Veteres in Baptismi collatione non semel ritum adhibuisse diversum.

Ad ultimum respondet S. Thomas in p. 3. q. 66. a. 7. ad 1. *quod ea quae sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam; unde et baptismus lavacrum nominatur, secundum illud Ephes.* 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. *Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo; et ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi.*

Objicies 2. Canon 49. ex iis qui Apostolici dicuntur, ita habet: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur.* Irritum ergo pronunciat Baptismum sine trina immersione collatum.

Deinde non solum Magnus in epist. ad Cyprianum, sed etiam Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. c. 43. dubitat de validitate baptismatis Clinicorum; scribit enim de Novatiano in lecto aquæ

perfusione baptizato, *In ipso, in quo jacebat lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est.*

Accedit, quod etsi Cyprianus valere ejuscemodi baptisma responderit, rem tamen apud omnes certam non esse minime dissimulat, et unicuique permittit facere ac sentire quod velit: scribit enim: *Quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia haec est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege, et jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes et vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur.*

Denique Eunomius omnium primus simplicem immersionem invexit, teste Theodoreto in lib. 4. Hæret. fab. cap. 3. ob quam sane causam Concilium CP. I. eos rebaptizari præcepit.

Resp. ad 1. eo canone non declarari nullum Baptismum sine trina mersione datum, sed deponi dumtaxat, qui illam adhibere noluerit; idque decretum est, tum propter vigentem tunc Ecclesiæ disciplinam, tum propter serpentem quorundam errorem baptizantium non in nomine Trinitatis, sed in nomine solius Christi pro nobis mortui: illi enim idcirco unica tantum mersione utebantur, quia circa mysterium Trinitatis errabant, formamque Baptismatis corrumpebant. Ita colligitur ex sequenti canone 50. *Si quis Presbyter.*

Ad alterum. Cyprianus Magni dubitationem aperte solideque dispunxit; quamvis temperanter modesteque se gerens diversam opinionem, diversumque ritum minime reprobaverit.

Cornelius nunquam Novatiani baptismum irritum esse putavit, alioquin illum rebaptizandum fore dixisset. Ejus ergo baptismum duplici ex causa improbavit; primo videlicet propter irregularitatem annexam, qua tamen non obstante per gratiam Episcopi Novatianus ad Presbyteratus Ordinem promotus fuerat contra sacros Canones et Ecclesiæ disciplinam. Non enim licebat quemquam eorum, qui urgente vi morbi in lectulo perfusi erant, in Clerum assumi; *quia*, ut ait citata superius Synodus Neocæsariensis can. 12. *non ex proposito fidei illorum, sed ex necessitate descendit*; idest, quia ex necessitate ac metu mortis potius, quam ex propria electione baptismum suscipere videbantur. Secundo Cornelius Novatiani baptismum ex eo minime probavit, quod ille neque postquam liberatus fuit à morbo, Confirmatio-

»Secundo quantum ad effectus Baptismi, quibus competunt »aquæ proprietates, quæ sua humiditate lavat: ex quo conveniens »est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum: sua »frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris; et ex hoc com»petit ad mitigandam concupiscentiam fomitis: sua diaphaneitate »est luminis susceptiva; unde competit Baptismo, in quantum »est fidei Sacramentum.

»Tertio, quia convenit ad repræsentanda mysteria Christi, »quibus justificamur: ut enim dicit Chrysostomus super illud »Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* (hom. 24.), sicut in quodam »sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo se»pelitur; et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rur»sus ascendit.

»Quarto, quia ratione suæ communitatis, et abundantiæ, est »conveniens materia necessitati hujus Sacramenti, potest enim »ubique de facili haberi." Hisce consona scribunt etiam S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. et Ven. Scotus in 4. d. 3. q. 3. ac demum Catechismus Romanus in p. 2. c. 2. n. 10.

Objicies 1. Relata superius Christi verba apud Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, &c.* non proprio in sensu accipienda sunt, ut elementum naturalis aquæ significent; sed metaphorice sunt exponenda, denotantque ipsum Spiritum Sanctum qui instar aquæ hominem interius lavet, et mundet. Plerumque enim particula et non distinguit, sed dumtaxat exponit; uti exempli gratia patet ex Act. 17. v. 25. ubi illud *vita et inspiratio*, idem est, ac *inspiratio vitae*; illudque ad Colloss. 2. v. 8. *per philosophiam et inanem fallaciam*, idem sonat, ac *per inanes philosophiae fallacias.* Ergo illud quoque, *ex aqua et Spiritu*, idem significare potest, ac *ex Spiritu aquae*, idest ex Spiritu instar aquæ mundante. Imo quod hæc esse debeat horum verborum significatio, constat ex simili textu Matth. 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni*: ubi sane vox *ignis* metaphorice sumitur, ac designat ipsum Spiritum Sanctum qui tanquam ignis corda purificet, illuminet, inflammet, et ad cœlestia trahat.

Resp. quod quamvis Scriptura duobus terminis rem eandem per particulam et quandoque designet; perperam tamen ad Christi verba Joan. 3. v. 5. observatio isthæc aptetur, quasi aqua et Spiritus idem omnino significent. Pari quippe modo quis contendere posset, per hæc nomina, *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,*

significari tantum trinominem unam eandemque personam. Loci ergo circumstantiæ, subjecta materia, Ecclesiæ totius praxis, constansque traditio expendendæ sunt, ex quibus legitimus verborum Christi sensus apparet; ostenditurque, quod eo in textu particula et distinguendi vim habeat, et aquæ nomen veræ ac naturalis aquæ denotet elementum. Sane cum Nicodemus hæsitasset ad Christi sententiam, *Nisi quis renatus fuerit denuo*, eam intelligendo de renascentia carnali; ac Dominus respondisset de alia longe dispari se loqui, de ea nimirum, qua homo *ex aqua et Spiritu Sancto* renascitur: Cumque et ista nondum Israelita satis perciperet, addidit Christus se de spiritualibus loqui, et posse Spiritum etiam per aquam hominem regenerare. Quid his mysteriis erat opus, nisi de aquæ Baptismate Dominus pertractasset? Sat erat reponere, *Solo Spiritu homo regeneratur.*

Adnotat præterea Estius inter verba Matth. 3. et verba Joan. 3. non leve interesse discrimen; in priori enim textu ignis postponitur Spiritui Sancto, in posteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adjunctum, tanquam ejus quod antecedit determinationem, qua nimirum certa Spiritus Sanctus proprietas designetur; hic vero aquam posterius nominatam, ne per eam intelligatur aliqua Spiritui Sancto attributa proprietas, sed in sua propria significatione sumatur. Unde, uti supra notavimus, Christus statim post habitum cum Nicodemo sermonem, ut traditam à se doctrinam facto probaret, in Judæam digrediens baptizavit in aqua.

Tandem nemo ex SS. Patribus ita Matthæi textum exposuit, ut ignem esse diceret Baptismi materiam; sed illum interpretati sunt vel de linguis igneis super Apostolos delapsis in die Pentecostes, vel metaphorice (uti dictum est) de proprietate Spiritus Sancti qui instar ignis corda purificet, vel de probatione ac purgatione in extremo judicio futura per ignem.

Objicies 2. Ad Sacramenti materiam requiritur analogia cum ablutione animarum: atqui ejuscemodi analogia inest cuique liquori, ac vino præsertim, quo absterguntur vulnera et sanantur. Hinc in Tomo 6. Conciliorum Labbei pag. 1652. extat rescriptum Stephani III. vel, ut alii volunt, II. qui de Presbytero, à quo baptizatus fuerat infans vino, ait: *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo.*

Resp. Sacramenti materiam non solum habere analogiam cum re quam significat, sed divinam etiam institutionem; cum Sacramentum sit signum divinitus institutum: non enim penes hominem est sensibili signo efficaciam gratiæ alligare, neque idem signum immutare à Christo præscriptum. Christus autem, uti ex ante dictis apparet, aquam solam instituit pro Baptismi materia; cujus quidem rei ratio est ipsius sola voluntas, congruentias vero superius adduximus, addimusque ex S. Thoma in citato loco ad 2. *quod vinum, et oleum*, aliique liquores, *non communiter assumuntur ad usum ablutionis, sicut aqua. Nec etiam ita perfecte abluunt, quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter et abundanter habentur, sicut aqua.*

Ad rescriptum Stephani dicimus, nonnullos ea responsa tribuere, non Romano Pontifici, sed Stephano Tornacensi Episcopo; cum ad calcem Codicis Laudunensis ita legi affirment: *Finis definitionum Stephani Papae Tornacensis.* Sirmondus qui primus hæc edidit ex eodem Codice, animadvertit eadem responsa à Stephano Papa II. privatim data Monachis Britaniacensibus; proindeque non Pontificiam definitionem, sed privatam opinionem continere. In Tomo 6. Conciliorum adnotatur, ibi à librario *glossema temere intrusum*; quo deleto absolvitur quidem Presbyter ab excommunicatione, sed baptisma minime probatur. Unde post citata verba subjungitur: *Si aqua adfuit praesens, ille presbyter excommunicetur, et poenitentiae submittatur, quia contra Canonum sententiam agere praesumpsit.* Postremo quibusdam omnino supposititium esse videtur illud Stephani responsum, cujus nec Collationes Canonum, nec Scriptorem aliquem meminisse invenitur: neque credibile est, Romanum id ignorasse Pontificem, quod vel minores Clerici norunt, nempe quod Baptismus in sola aqua sit conferendus.

Quod de Responso Stephani dictum est, dicendum est pariter de alio Siricii, citato in Pœnitentiali Theodori, et in quibusdam Codicibus à Tournelio laudatis: cum enim non inveniatur in Romanis Archivis, neque in aliqua Canonum collectione, neque citati Codices consentiant, nunquam denique in Romana Ecclesia opinio de baptismate in vino obtinuerit, imo nec ætate Siricii fuerit audita, jure merito affirmamus Siricii Responsum vel adulteratum esse, vel spurium.

Objicies 3. Narrat Joannes Moschus in Prato Spirituali c. 176.

et post eum Nicephorus in lib. 3. H. E. c. 37. quod *cum Judaeus per loca arida iter faceret, ac subito deficientibus viribus moriturus crederetur, ter superfusa in eum arena baptizatus est: ac per hanc tam insolitam, et admirandam sanctorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tanquam vinculo quodam solutus, validius quam alii, iter fecit.* Ex hoc ergo miraculo demonstratur, valere Baptismum etiam sine aqua collatum.

Resp. ex citata narratione patere, quod baptismus hujusmodi nullus et irritus declaratus fuerit Ecclesiastico judicio, et quod Judæus aqua subinde fuerit baptizatus. Scribit namque Nicephorus: *Postquam autem domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriae Episcopum retulerunt. Ille vero admiratione stupens Ecclesiam consuluit, cui visum est aqua insuper ad eum modum initiatum juxta Ecclesiae traditionem abluendum esse.* Idem etiam refert Moschus. Ergo Judæus ille convaluit, non quia validus fuerit baptismus in arena collatus, sed quia fidem habuit votumque Baptismi.

Hic obiter nota, errasse Nicephorum circa Dionysii personam. Scribit enim ille factum contigisse sub Marco Aurelio Antonino: at hoc imperante fuerunt Episcodi Alexandrini Celadion, et Agrippinus, non Dionysius, qui sedit imperante Philippo: quare si ad tempora Marci Aurelii hæc historia esset referenda, contigisset sub Dionysio Corinthiorum Episcopo, ut visum Baronio ad annum 181. num. 2. Denique Moschus, qui omnium primus hanc scripsit historiam, refert sub Dionysio Episcopo Ascalonita, id accidisse; quia vero adjungit, narratum fuisse factum *Alexandriae ab Andrea Abbate*; inde erroris causa patet, cur nempe Nicephorus pro Dionysio Ascalonita scripserit *Alexandrinum.*

Jam ergo patet ex dictis, omnem et solam naturalem aquam esse remotam Baptismi materiam: naturalis vero aqua illa censetur, quæ fluida est, et cui artificialis opponitur. Valet ergo Baptisma collatum in aqua maris, fluminis, pluviæ, resoluta ex nive, glacie, grandine, pruina, transfusa per cineres, per balnea sulphurea, aut alia mineralia loca, adhibita ad carnes, pisces, et alimenta alia decoquenda; nisi tamen elementum istud tot diversi generis partes imbiberit, ut suam speciem commutarit.

Patet præterea irritum esse Baptismum datum in aquis, quæ ex floribus, fructibus, herbis, aliisque rebus hisce similibus exprimuntur. Ut enim notat Scotus in 4. d. 3. q. 3. n. 6. *aqua artificialis, etsi habeat aliqua accidentia similia; tamen ali-*

qua dissimilia habet à tota specie, ex quibus sequitur distinctio substantiae; quod ibidem n. 3. probat Subtilissimus Doctor. Ex quo et illud apparet, neque in casu necessitatis extremæ fas esse sub conditionali forma aliquem baptizare cum aqua è rosis, aut floribus aliis, aut plantis expressa.

Denique notandum est, quod quamvis aqua quælibet naturalis sit materia sufficiens ad Baptismum; extra tamen necessitatis casum non licet aliam adhibere, quam illam, quæ pridie Paschatis, aut Pentecostes fuerit consecrata. Rident Novatores baptismalis aquæ benedictionem; at prorsus immerito, cum sacra isthæc ceremonia ex antiquissima Patrum doctrina descendat. Basilius enim in lib. de Spiritu Sancto c. 27. benedictionem hanc repetens ex Apostolica traditione inquit: *Benedicimus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis, ac praeterea ipsum qui baptismum accepit. Ex quibus scriptis?* Hoc idem docuere Cyrillus Hierosol. in Catechesi 3. Cyprianus in epist. 70. Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 5. Augustinus serm. 352. n. 3. aliique communiter. Hunc postremo morem comprobant pervetusti Rituales libri, antiqua Baptisteria ac perpetua tandem praxis universalis Ecclesiæ.

CAPUT III.

De proxima Baptismi materia.

Diximus in superiori capite aquæ usum, sive corporis ablutionem à Scholæ Theologis proximam Baptismi materiam appellari. Tribus autem modis fieri potest ablutio; vel nempe per corporis immersionem in aqua, vel per effusionem, vel aspersionem aquæ supra corpus. De triplici hoc abluendi modo nunc quæritur, quinam illorum adhibendus sit, ut Baptisma tum valide, tum licite conferatur.

Græci schismatici, antesignano Marco Ephesio, postquam soluta fuit Synodus Florentina, inter ceteras separationis suæ causas istam etiam objectarunt, quod Baptismus ab ipsis juxta Apostolicam traditionem trina mersione collatus, alius sit à Baptismo, quem infusione utens Romana præbet Ecclesia; ideoque hanc à vera fide descivisse dixerunt, scribente ad Ephesios Paulo c. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Propositio 1. Valet Baptismus sive immersione, sive infusione, sive aspersione collatus.

Probatur. Valet Baptismus, in quo accedit verbum ad elementum, et vere corpus abluitur, ut interior peccatorum ablutio designetur: atqui id semper in Baptismo contingit, sive immersione, sive infusione, sive aspersione conferatur. Lege S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 7. et S. Bonaventuram in 4. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2.

Deinde valet Baptismus, quem valere usu suo semper Ecclesia declaravit: atqui quovis sæculo Ecclesia Baptismum per triplicem ritum illum adhibuit. Et de immersione quidem nullum oriri potest dubium, cum certissima apud Patres extent hujusce rei vestigia. Vide Tertullianum de Corona Mil. c. 3. Basilium de Spiritu Sancto c. 27. Ambrosium lib. 2. de Sacram. c. 7. Hieronymum adversus Luciferianos, aliosque ad unum omnes. Hunc autem baptizandi ritum usque ad 13. sæculum communiter fuisse receptum, apparet ex S. Thoma, qui in loco supra citato scribit, *tutius esse baptizare per modum immersionis*, *quia hoc habet communior usus*. Scribit etiam S. Bonaventura ibidem: *Mos communis Ecclesiae est baptizare immergendo.*

At quamvis ritus baptizandi per immersionem tunc prævaluerit, non fuit tamen indispensabiliter observatus. Nam 1. Clinicorum, sive decumbentium in lecto præ infirmitate, baptismum ratum habuit S. Cyprianus epist. 76. ad Magnum, etsi immersione minime conferretur: *Nos*, inquit ille, *quantum concipit mediocritas nostra*, *aestimamus in nullo mutilari*, *et debilitari posse beneficia divina.... Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri*, *cum gratiam dominicam consequuntur*, *quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam loquatur*, *et dicat*: (c. 36. v. 25. juxta LXX.) *Et aspergam super vos aquam mundam.*

Clinicorum quoque baptisma infusione, aut aspersione collatum probavit Neocæsariense Concilium anno 314. can. 12. Et Antissiodorense anno 578. can. 18. necnon Matisconense II. anno 585. can. 3. ac denique Parisiense IV. anno 829. c. 7. &c.

Præterea cum Baptismus maximæ sit necessitatis, cumque verisimile non videatur, datum illum immersione fuisse, dum aut animam ageret parvulus; aut aquæ copia deficeret, aut ad unum Sacerdotem immensa baptizandorum multitudo conflueret; tunc infusionem, aut aspersionem ministros adhibuisse dicendum est. Hinc ex Actis S. Laurentii discimus, ipsum aqua ex urceo effusa Romanum militem baptizasse; ac simili ritu collatum Baptisma constat ex Actis etiam S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, et

S. Luidgeri Episcopi, patetque, ex aliis monumentis, quæ ab Eruditis non pauca recensentur. Insignes etiam Theologi cum SS. Thoma, et Bonaventura, et Ven. Scoto probabiliter arbitrantur, Petrum Apostolum aspersione usum fuisse, quando una die tria millia hominum, et alia die hominum quinque millia baptizavit, ut legitur Act. 2. v. 41. et 4. v. 4.

Denique vero magis simile videtur, aspersionem usurpasse Liberium, dum in Pentecoste *quatuor millia et duodecim* promiscui sexus salutari Baptismo expiavit, ut ex Actis Damasi refert Paulus Aringhus Romæ subterr. pag. 223. Voluminis 1.

Propositio 2. Perinde est ad Baptismi valorem, si per ablutionem vel trinam, vel unicam conferatur.

Id descendit ex dictis. Quocunque enim modo conferatur Baptismus, si materia, et forma serventur, ratus erit, ac validus: neque necessum est, ut una, vel trina immersione, infusione, aut aspersione mysterium Trinitatis, aut Christi passio designetur: tum quia Sacramentum est signum gratiæ, non prædicatio dumtaxat fidei; gratiam vero commonstrat quæcunque ablutio: tum quia fides, si baptizetur adultus, ab eo petitur, et exigitur, tanquam prævia dispositio; et si tingatur infantulus, id supplet fides gestantium, aut sanctæ matris Ecclesiæ.

Deinde per solam formam significatur Essentiæ unitas vocabulo numeri singularis, *In nomine*; significatur et Trinitas Personarum, distincta illarum enumeratione, *Patris* nempe, *et Filii*, *et Spiritus Sancti.* Valet ergo Baptismus sive trina, sive unica ablutione collatus. Mors etiam Christi trina ablutione monstratur, cum Christus triduo in sepulcro permanserit; monstratur et unica ablutione, cum semel fuerit ille sepultus, utque S. Thomas affirmat in p. 3. q. 66. a. 7. ad 2. Christi sepultura aliquo modo semper repræsentatur, *quocunque modo fiat ablutio*, eo ipso quod *corpus hominis*, *vel aliqua pars ejus*, *aquae supponitur*, *sicut corpus Christi sub terra fuit positum.*

Ad hæc accedit, quod circa sexcentesimum annum Hispaniarum Episcopi trinam immersionem deseruerunt occasione Arianorum, qui ex ea argumentum petebant ad oppugnandam Sanctæ Trinitatis consubstantialitatem; inductamque ab Hispanis consuetudinem Magnus Gregorius approbavit lib. 1. epist. 43. ad Leandrum Episcopum Hispalensem; ubi post multa, quæ etiam à Gratiano relata sunt in canone, *De Trina*, De Consecrat. dist. 4. ait S. Pontifex: *Reprehensibile esse nullatenus potest, in-*

fantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nuncusque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerans, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. Gregorii judicio adhæsit Concilium Toletanum IV. anno 633. in can. 6. alias 5. quem inter decreta retulit Gratianus in citata dist. 4. cap. *Propter vitandum.* Trina igitur immersio, sicut et infusio, ac aspersio, trina, necessaria minime est, ut Baptisma valide conferatur.

Propositio 3. Ut Baptisma licite detur, debet baptizans eum abluendi modum servare, quem Ecclesiæ consuetudo requirit.

Probatur. Uti ex dictis in præcedente libro c. 19. colligitur, quilibet Minister in solemni Sacramentorum administratione præscriptos ab Ecclesia ritus servare tenetur: ut ergo Baptisma licite conferatur, debet Minister ad Ecclesiæ, cujus Minister est, Rituales libros attendere, ac juxta præscriptam ab eis normam abluere: neque privata auctoritate eidem licet præceptos ritus aut contemnere, aut pro libito omittere, aut in novos alios immutare. Hinc peccaret Græcus Minister, qui non per immersionem, sed per infusionem, vel aspersionem Baptisma conferret, nisi necessitas aliter postularet, peccaretque Latinus nunc immersionem adhibens, nisi vel necessitate urgente, vel particularis Ecclesiæ cui adscriptus est, ritu aliter imperante. Nam et apud Latinos pro Ecclesiarum consuetudine non tantum per infusionem, verum etiam per immersionem Baptisma confertur. Huc faciunt quæ Rituale Romanum habet in tit. de forma Baptismi: *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.* Ex quo et illud apparet, perperam affirmare Græcos, quod immersionis ritus à nobis fuerit eliminatus.

Objicies 1. contra 1. propos. Christum immersione baptizatum non obscure demonstrant ea verba Matth. 3. v. 16. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Si enim ascendit; ergo ante descenderat: proindeque in hoc textu non infusio, non aspersio, sed immersio declaratur. Atqui non aliter baptizandi sumus, quam baptizatus est Christus.

Patres insuper baptizandi ritum per trinam immersionem ab

Apostolorum traditione descendisse dixerunt. Ita namque asserit Tertullianus in lib. de Corona Militis c. 4. Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 27. Hieronymus adversus Luciferianos, &c. Nefas est igitur hunc ritum non servare.

Postremo cum dicat Apostolus ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*; cumque prioribus Ecclesiæ sæculis omnes, nunc vero multi immersione baptizent; profecto consequitur, quod sine immersione validum esse Baptisma non possit.

Resp. quod etsi Christus per immersionem baptizatus sit, aliosque simili modo baptizaverit; ejus tamen exemplum nobis necessitatis legem non imponit, cum præceptum ita faciendi nequaquam indixerit. Plura enim Christus in conficiendis ac dispensandis Sacramentis gessit, quæ ad illorum substantiam non pertinere nemo negaverit. Ita Eucharistiam sero post cœnam in azymo pane confecit, ac Discipulis sub duplici specie distribuit: ita denique in Jordane baptizatus est; quin tamen inde sequatur, quod et nos similiter agere debeamus.

Distinguendæ præterea sunt traditiones, quæ ad Sacramentorum substantiam, et fidei morumque regulam spectant, ab iis quæ Ecclesiæ regimen, et disciplinam dumtaxat, ritusque respiciunt; et quemadmodum primi generis traditiones inviolate sunt custodiendæ, ita postremæ pro locorum temporumque varietate mutantur. Hinc ex supra dictis apparet, Veteres in Baptismi collatione non semel ritum adhibuisse diversum.

Ad ultimum respondet S. Thomas in p. 3. q. 66. a. 7. ad 1. *quod ea quae sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam; unde et baptismus lavacrum nominatur, secundum illud Ephes.* 5. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. *Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo; et ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi.*

Objicies 2. Canon 49. ex iis qui Apostolici dicuntur, ita habet: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur.* Irritum ergo pronunciat Baptismum sine trina immersione collatum.

Deinde non solum Magnus in epist. ad Cyprianum, sed etiam Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. c. 43. dubitat de validitate baptismatis Clinicorum; scribit enim de Novatiano in lecto aquæ

perfusione baptizato, *In ipso, in quo jacebat lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est.*

Accedit, quod etsi Cyprianus valere ejuscemodi baptisma responderit, rem tamen apud omnes certam non esse minime dissimulat, et unicuique permittit facere ac sentire quod velit: scribit enim: *Quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia haec est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege, et jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes et vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur.*

Denique Eunomius omnium primus simplicem immersionem invexit, teste Theodoreto in lib. 4. Hæret. fab. cap. 3. ob quam sane causam Concilium CP. I. eos rebaptizari præcepit.

Resp. ad 1. eo canone non declarari nullum Baptismum sine trina mersione datum, sed deponi dumtaxat, qui illam adhibere noluerit; idque decretum est, tum propter vigentem tunc Ecclesiæ disciplinam, tum propter serpentem quorundam errorem baptizantium non in nomine Trinitatis, sed in nomine solius Christi pro nobis mortui: illi enim idcirco unica tantum mersione utebantur, quia circa mysterium Trinitatis errabant, formamque Baptismatis corrumpebant. Ita colligitur ex sequenti canone 50. *Si quis Presbyter.*

Ad alterum. Cyprianus Magni dubitationem aperte solideque dispunxit; quamvis temperanter modesteque se gerens diversam opinionem, diversumque ritum minime reprobaverit.

Cornelius nunquam Novatiani baptismum irritum esse putavit, alioquin illum rebaptizandum fore dixisset. Ejus ergo baptismum duplici ex causa improbavit; primo videlicet propter irregularitatem annexam, qua tamen non obstante per gratiam Episcopi Novatianus ad Presbyteratus Ordinem promotus fuerat contra sacros Canones et Ecclesiæ disciplinam. Non enim licebat quemquam eorum, qui urgente vi morbi in lectulo perfusi erant, in Clerum assumi; *quia*, ut ait citata superius Synodus Neocæsariensis can. 12. *non ex proposito fidei illorum, sed ex necessitate descendit*; idest, quia ex necessitate ac metu mortis potius, quam ex propria electione baptismum suscipere videbantur. Secundo Cornelius Novatiani baptismum ex eo minime probavit, quod ille neque postquam liberatus fuit à morbo, Confirmatio-

nem, et Eucharistiam pro usitato tunc Ecclesiæ more receperat.

Tandem in Eunomio reprobatum est baptisma, quod cum una mersione, ejus formulam vitiabat. Dicebat enim, teste Theodoreto in citato loco, *non oportere ter mergi eum, qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi.* Constat etiam ex S. Epiphanio hær. 76. Eunomianos formulam depravasse.

Hic tandem advertimus, Ministrum baptismi debere Baptizandi corpus immediate aqua contingere, ut moraliter censeatur ablutum. Quare sufficiens non æstimatur ablutio, qua Baptizandi corpus una, vel altera aquæ gutta perfunditur; sicuti neque illa sufficiens est, qua Baptizandi vestes tantum, vel capilli tinguntur; non vero ipsa immediate caro, vel cutis. Lege Scotum in 4. d. 3. q. 3. Ut vero valeat Baptisma, sat erit, quod notabili aquæ copia abluatur caput, quod humani corporis pars præcipua est, et in quo omnes sensuum facultates vigent, suaque exercent officia; quare Theologi pro certo habent, eum graviter peccare, qui, cum possit caput abluere, alteram corporis partem tingit, etiam pedem, aut brachium. Necessitate tamen urgente, *ex. gra.* si materno ex utero puerulus manum unam emitteret, perfundenda est pars, quæ apparet juxta Ritualis Romani præscriptum in tit. de Baptizandis parvulis, ubi hæc habentur: *Nemo in utero matrum clausus baptizari debet: sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Ex hac itaque præscriptione colligitur, non constare de validitate Baptismi, si alia à capite pars abluatur; quandoquidem forma conditionalis adhibenda non est, *nisi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio*, ut recte monet idem Rituale titulo præcedenti, et Catechismus Romanus p. 2. c. 2. num. 57. quod et nos superiori in libro notavimus. Neque oppositum probat Ecclesiastica sepultura eo modo baptizatis concessa: hanc enim jure illis impertitur Ecclesia, quia nemo in dubiis æquo, justoque privatur.

CAPUT IV.

De forma Baptismi.

Verba quibus consecratur aquæ elementum, Baptismi formam appellare Theologi consueverunt. Apud Latinos autem à pluribus retro sæculis hæc forma viget: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Ita namque legitur in Sacramentario Gregorii Magni, et in Decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, et in Ritualibus Gregorii XIII., et Pii V. quibus consentit universa Occidentalis Ecclesia. Cum vero Gregorius formam istam non primus invexerit, sed descripserit tanquam communi Latinorum usu receptam; profecto consequitur, eam antiquiorem esse Gregorio, et à primis sæculis usurpatam.

Quod insuper hæc sit conveniens forma Baptismatis, ita perspicue S. Thomas ostendit in p. 3. q. 66. a. 5. *Baptismus per suam formam consecratur, secundum illud Ephes. 5.* Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, *et Augustinus dicit in lib. 6. de Bapt. contra Donatistas c. 25. quod* Baptismus verbis evangelicis consecratur; *et ideo oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem ejus duplex causa. Una quidem principalis à qua virtutem habet, quae est Sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet Minister, qui tradit exterius sacramentum. Minister autem tangitur, cum dicitur,* Ego te baptizo; *causa autem principalis, cum dicitur,* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Unde haec est conveniens forma baptismi,* Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Græci vero ab antiquis quoque temporibus ea forma utuntur: *Baptizatur servus, vel serva Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Valere hanc Baptismi formam constat ex Eugenio IV. in supracitato Decreto, ex Leone X. in Bulla, *Accepimus nuper*, emanata die 18. Maji anno 1521. et ex Clemente VII. in Bulla, *Provisionis nostrae*, die 26. Martii anno 1526. Deinde Ecclesia Latina baptizatos à Græcis iterum non baptizat; ideoque illorum Baptismum uti legitimum approbat, sub tali forma collatum. Denique à Latinorum forma hanc Græcam *substantialiter* non differre certissimum est; quoniam et ista tingendi exprimit actionem, et explicitam Trinitatis invocationem inclu-

dit: sicut ergo Latina, ita et Græca forma, sua validitate n caret.

Quærunt hoc in loco Theologi, num ad Baptismi valorem necessaria sint omnia verba, quibus ejusdem forma componitur. Quæstio autem non movetur de pronomine *Ego;* illud enim satis exprimitur in verbo *Baptizo*: unde in probata Græcorum formula minime continetur. Neque dubium est de particula *Amen;* cum illa sit quasi acclamatio Sacramenti jam peracti. Primo itaque disputatur de pronunciatione verbi *Baptizo*, quam olim nonnulli Doctores, quos inter sunt Præpositivus, et Petrus Cantor, et Stephanus Tornacensis Episcopus, existimarunt ad formæ essentiam non requiri.

At vera communisque sententia tradit, ad Baptismi validitatem necessarium esse verbum, quo baptizantis actus exprimitur, nempe *Baptizo*, vel *Baptizatur*. Ita sane docuit Alexander III. Extrav. de Bapt. et ejus effectu eap. *Si quis*, inquiens: *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen; et non dixerit, Ego te baptizo &c. puer non est baptizatus.* Item Alexander VIII. die 7. Decembris anno 1690. hanc propositionem num. 27. proscripsit: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, praetermissis illis, Ego te baptizo.* Hujusce autem rei congruam rationem assignat S. Thomas in laudato superius loco ad 2. inquiens: *Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc, quod dicatur:* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: *quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. 3. Et ideo, si non exprimatur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Graecorum, non perficitur Sacramentum.*

Scribit etiam hac de re S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. *quod sicut dicit auctoritas Alexandri III.* supra relati, *verbum baptizandi est de necessitate formae. Ratio autem quare est de necessitate, est institutio. Ratio autem institutionis est, quia intentio est necessaria sacramento: et hoc est sacramentum necessitatis, et est ad alterum. Ideo propter periculum defectus intentionis, proprio verbo expressa est ibi in forma.*

Hinc si quis objecerit: In Sacramento Eucharistiæ necessaria est intentio, et tamen in forma nequaquam exprimitur; idem igitur dici poterit de Baptismo: Reponemus cum eodem S. Doctore,

quod Eucharistia non est sacramentum necessitatis, et praeterea non est ad alterum, et iterum fit cum majori solemnitate; ideo intentio ibi colligitur, non evagatur tunc, propterea non est necesse exprimi verbo: et ideo non oportuit institui, nec per consequens observari. Alia ratio hujus est, sed infra dicetur, cum agetur de forma Eucharistiae.

Sed opponunt. Non oportet, ut qui actum aliquem exercet, de ipso actu faciat mentionem; sicuti non oportet, ut qui docet, dicat, *Ego vos doceo.* Atqui Christus docendi simul et baptizandi præceptum dedit, inquiens Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Ergo quemadmodum Minister dum docet, non debet dicere, *Ego vos doceo;* ita neque dum baptizat, dicere debet, *Ego vos*, vel *te baptizo*; sed sufficit, ut baptizandi actionem exerceat.

Resp. ex S. Thoma in 4. d. 3. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4. ad valorem Baptismi requiri in Ministro intentionem faciendi quod Christus instituit, et Ecclesia facit; quæ quidem intentio non requiritur in doctrina: et ideo oportet in Baptismo, quamvis non in doctrina, exprimi omnia, quibus ad actum illum determinetur intentio.

Deinde alii actus *ex suo tantum exercitio* efficaciam habent; *sed actus baptizandi habet efficaciam ex forma verborum: et quia talis efficacia est sacramentalis, idcirco oportet, quod verba formae significando efficaciam actui praebeant: et ideo oportet baptizantem actum suum verbo significare, quamvis in aliis actibus non reperiatur.*

Tandem in iis, quæ à divina institutione dependent, neque in Scriptura inveniuntur expressa, Traditio certam nobis dijudicandarum rerum regulam exhibet; alioqui, neque necesaria esset in Baptismo prolatio verborum, *In nomine Patris*, &c. quoniam in citato Matthæi capite Christus expresse non ait: *Ite, haec verba proferte*: quod si dicamus, plurimum profecto gestient cum Socino plures Heterodoxi. Quod autem ex Traditione descenderit, quod in Baptismate verbum actum ablutionis exprimens usurpetur, ex constanti ac perpetua universæ Ecclesiæ consuetudine demonstratur.

At altera cum hæreticis controversia gravior est, num nempe ratum sit Baptisma absque expressa trium divinarum Personarum invocatione?

Socinus in disput. de Baptismo c. 2. negat illis Christi verbis

apud Matthæum: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* contineri præceptum, formamque Baptismi; ac consequenter affirmat hunc ratum esse, etiamsi Christi solius nomen pronuntietur. Hoc postremum tenuit etiam Magister in 4. d. 3. lit. E., et Cajetanus in Comentariis Summæ, ex quibus tamen jussu Pii V. sententia istæc expuncta fuit; eamque antiquiores nonnulli citati à Dominico Soto in 4. d. 3. a. 6. tradiderant.

Quidam præterea arbitrantur, Apostolos utique ex legitima dispensationis causa, nempe ad majorem nominis Christi commendationem, et celebritatem apud primos Christianos promovendam, in solo ejus nomine baptizasse; sed sublata deinde ea causa dispensationis, affirmant, non amplius ratum esse Baptisma, nisi sub distincta trium divinarum Personarum invocatione conferatur. Ita inter alios autumarunt S. Thomas, et S. Bonaventura, quibus posterioris ævi quamplurimi adhæserunt; nunc autem oppositum tradit magis recepta et communis opinio, quam sequuntur Bellarminus, Suarez, Estius, Juenin, Tournelius, Berti, aliique ex qualibet Schola Theologi.

Propositio 1. Non valet Baptismus absque expressa SS. Trinitatis invocatione collatus.

Probatur. Baptisma non valet, nisi conferatur verbis à Christo præscriptis: cum enim Sacramentorum essentia ex Christi voluntate dependeat, valere non possunt, nisi eo ritu, quem Christus præscripsit, conferantur. Atqui præscripsit Christus, ut Baptisma conferretur sub expressa Trinitatis invocatione; ait enim Matth. ult. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* quo in loco Baptismi formam à Christo fuisse præscriptam, constans et perpetua Patrum omnium traditio docet.

Et sane id Tertullianus asseruit in lib. de Bapt. c. 13. scribens: *Lex tingendi imposita est, et forma praescripta: Ite, docete omnes nationes, tingentes eas, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Cyprianus in epist. ad Jubajanum ait: *Dominus post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instruxit, et docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra, ite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Insinuavit Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizarentur.*

Ambrosius de Myst. cap. 4. num. 20. ita de Catechumeno lo

quitur: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum.*

Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 15. ait Baptismum consecrari Evangelicis verbis, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et in lib. 6. c. 25. *Ceterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?*

Idem docent inter Latinos alios Hieronymus in lib. 4. in Mattheo et Fulgentius de Incarnat. c. 11. ex Græcis autem Basilius in lib. de Spir. Sanct. c. 12 Athanasius epist. 4. ad Serapionem, Chrysostomus in epist. ad Ephesios hom. 20., Cyrillus Jerosol. Catech. 16. aliique.

Ex repetitis etiam Ecclesiæ definitionibus evidenter ostenditur necessariam esse plenam verborum illorum prolationem. Arelatense Concilium I. anno. 314. can. 8. *De Afris*, alias, *De Arianis*, præcepit, ut rebaptizentur, *qui baptizati non fuerint in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Nicænum I. jussit can. 8. rebaptizandos non esse Catharos, sive Novatianos; rebaptizandos autem Paulianistas, sive Samosatenses can. 19. præcepit: hujusce vero discriminis ratio est, *quia*, uti scribit Innocentius I. in epist. 22. *Paulianistae in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti minime baptizabant; et Novatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant.* Eandem proferunt rationem Augustinus in lib. de Hæres. n. 44. et Gregorius in epist. 67. lib. 11. relatus à Gratiano cap. *Ad antiqua*, de Consecr. dist. 4.

Hinc merito alii canones præscripsere, ut absque ulla ambiguitate *in Sanctae Trinitatis nomine* baptizarentur, qui baptizati essent solummodo *in nomini Domini;* atque ubi id non esset plane compertum, interrogarentur venientes ab hæresi. Vide citatam dist. 4. de Consecr. cap. *Si revera, et Multi sunt*, ex epistolis Pelagii deprompta, necnon cap. *Hi vero haeretici*, petitum ex epistola prælaudata Gregorii, ac denique cap. *Retulerunt nuntii*, ex Zacharia desumptum.

Postremo perpetuam hanc Ecclesiæ sententiam id confirmat, quod in nullo Rituali, aut Liturgico libro comperies aliquam Baptismi formulam, quæ expressam non habeat SS. Trinitatem, pervolutes quantumvis Thomasium, Menardum, Goarium, Martenium, aliosque.

Hic autem adnota Socini, Vossii, aliorumque sententiam, quæ cujuslibet formæ necessitatem in Baptismate denegant, hæ-

reticam esse, et Sacramenti rationem audacter oppugnare: at Magister, et Cajetanus ab hæresi sunt immunes, quoniam necessitatem formæ, ejusque præscriptionem profitentes existimarunt in nomine unius personæ totam Trinitatem intelligi, innixi difficili Ambrosii testimonio, quod mox inferius exponemus. Horum tamen opinio, quam nonnulli putant erroneam, iisdem argumentis impetitur.

Propositio 2. Probabilior eorum videtur opinio, qui asserunt, neque ab Apostolis sine expressa Trinitatis invocatione collatum fuisse Baptismum.

Et re quidem vera ex dictis apparet, quod Christus Apostolis formam Baptismi præscripserit, inquiens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Atqui imperceptibile est Apostolos tam expressum ac recentissimum Christi mandatum fuisse trasgressos.

Reponunt Adversarii id Apostolos non præstitisse pro libito, sed dispensatione divina, ut Christi nomen honorificentius redderetur. At dispensationis hujusce nullum extat vel in Scriptura, vel in Traditione vestigium; merito igitur, uti conficta, rejicitur. Si ergo Christus præcepit Apostolis, ut baptizando gentes, singulas Trinitatis Personas exprimerent, eisque simul injunxit, ut servarent, et servanda præscriberent, *quaecumque mandavit;* dicamus oportet, neque ex divina dispensatione Apostolos in solo Christi nomine baptizasse. Hinc laudati Patres ita asserunt præscriptam Baptismi formam, ut unius Personæ invocatio ab aliarum invocatione nequeat separari quemadmodum ipsa fides separari non potest; eandemque formam S. Basilius in cap. 12. de Spiritu Sancto *inviolabilem traditionem* appellat; quod perinde est, ac asserere traditam Baptismi formam nulla ratione fuisse mutandam.

Nulla præterea dispensationis causa profertur, cur aliter baptizarent Apostoli. Ad manifestandam enim Christi gloriam, et honorem sat erat Apostolorum prædicatio præmissa Baptismati, per quam probe noverant Baptizandi Jesum Christum esse Deum, ac Mundi Redemptorem, seque initiatione Baptismi in ejus cultum, et religionem adsciscí. Deinde etiamsi dare vellemus, gloriam nominis Jesu Christi postulasse, ut peculiari ratione exprimeretur in forma Baptismatis, fieri id optime poterat Patris, et Spiritus Sancti nomine non omisso; hoc enim, aut simili modo dici potuisset: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus Sancti.* Postremo si quia Christi nomen Ju-

dæis erat *scandalum* gentibusque *stultitia*, justam habuissent Apostoli causam baptizandi in solo Christi nomine, sequeretur, eandem et nunc vigere rationem, ac dispensandi motivum si baptizandi sint Pagani, aut Judæi, Christiani nominis hostes infensi; id autem quam falsum sit, ex dictis in priori propositione satis superque monstratur.

Objicies 1. Constat ex Actibus Apostolorum, quod multi in Christi nomine fuerint baptizati. Ita c. 2. v. 38. legitur: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Et c. 8 v. 12. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri et mulieres.* Quod et repetitur c. 10. v. 48 et c. 19. v. 5. Atqui verbis illis commonstratur forma Baptismi, non secus, ac verbis Matth. ult. v. 19. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo Apostoli in solo Christi nomine baptizarunt.

Resp. nomen aliquando significare virtutem; sicut Act. 4. v. 7. quærentibus Judæorum Principibus *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* respondit Petrus v. 10. *In nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quandoque insuper denotat auctoritatem: ita Christus Joan. 5. et 10. dicit se venisse, et operari *in nomine Patris sui*; ejus scilicet auctoritate. Aliquando designat et meritum, ut patet ex Christi verbis Joan. 14., 15. et 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Præterea nomen pro re nominata passim accipitur, uti Act. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomem est sub coelo datum hominibus*, &c. Quatuor ergo modis intelligi potest Apostolos in Christi nomine baptizasse, nempe vel per virtutem, vel per auctoritatem, vel per meritum ejus, vel in ipso Christo, idest Baptismo, quem Christus instituit. Hoc posteriori modo dicitur Rom. 6. v. 3. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et Act. 19. v. 3. quidam *in Joannis baptismate* baptizati dicuntur. At Christus baptismum instituit conferendum sub expressa Trinitatis invocatione.

Hinc Patres aperte docent, non aliter, quam cum invocatione Trinitatis eosdem illos baptizatos fuisse, quorum mentio in Actis habetur. Cyprianus in epis. 73. ad Jubajanum ait: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Basilius in lib. de Spiritu Sanct. c. 12. *Neminem*, inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, et Spiritus Sancti mentionem in baptismatis commemoratione frequenter omittit; neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem.* Hieronymus in c. 3. Joelis: *In*

Actibus Apostolorum, qui baptizati erant baptismate Joannis in eum qui venturus erat, hoc est in nomine Domini Jesu; quia responderunt Paulo interroganti, Sed nec si sit quidem Spiritus Sanctus novimus, iterum baptizantur, imo verum baptisma accipiunt: quia sine Spiritu Sancto et mysterio Trinitatis, quidquid in unam, aut alteram personam accipitur, imperfectum est. Augustinus in lib. 3. nunc 2. contra Maximinum c. 17. *Si autem etiam non nominatis Patre, et Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio Dei, Omnia per ipsum facta sunt; ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?* Laudatis Patribus consonant alii, quorum testimonia referunt Tournely, Berti, aliique Theologi. Ex quibus infertur pariter, quod etsi verba illa, *in nomine Christi,* monstrarent formam, qua tingebant Apostoli; non tamen consequens inde esset, baptizasse illos in solo Christi nomine, Patre, ac Spiritu Sancto prætermissis.

Objicies 2. S. Hilarius in lib. de Synodis n. 85. ait: *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt.*

Ambrosius in lib. 1. de Spiritu Sancto c. 3. hanc sibi proponit quæstionem: *Nunc consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato nihil desit ad mysterii plenitudinem.* Quæstionem vero resolvens adjungit: *Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem, à quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum Sanctum, quo unctus est, designasti.*

Denique Bernardus in epist. ad Henricum Archidiaconum Aurelianensem interrogatus, an ratum esset baptisma collatum puero periclitanti sub hac forma, *Baptizo te in nomine Dei, et sanctae et verae Crucis*, respondet ratum sibi videri, hac ratione producta, *Legimus sane in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, verum et in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.*

Resp. Hilarii sensum esse, non deserendum vocabulum ὁμοόσιοι, *quia vitiose à nonnullis soleat intelligi*: ad quod commonstrandum varia profert exempla, ut delenda alioqui ex prima

ad Timotheum ea verba, *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, quoniam hoc loco Photinus abutitur; aliisque allatis exemplis concludit novum quoque Testamentum abjiciendum, si ob pravam quorundam intelligentiam aliqua essent supprimenda vocabula: quippe si legantur, *exempli gratia*, Actus Apostolici, ubi narratur Apostolos baptizasse *in nomine Jesu*, si nugari velimus, Apostoli *reperientur in crimine*, utpote qui præscriptam à Christo formam minime observarint. Quare ut ex Hilarii scopo liquet, et ex toto orationis complexu colligitur, idem est, *Tantum in Jesu nomine baptizaverunt*, ac *Tantum in Jesu nomine baptizasse leguntur*; uti etiam PP. S. Mauri optime adnotarunt. Ergo supponit Hilarius Apostolos baptizasse *in nomine Trinitatis*; alias perperam eorum produxisset exemplum ad probandum non esse vocem aliquam eliminandam, quod nonnulli vitiose illam intelligant.

Ambrosii testimonium quamvis perdifficile sit, nullatenus tamen Adversariis suffragatur. Primo namque inde sequeretur, non Apostolorum tantum tempore, verum et nunc ratum esse Baptismum solius Christi nomine invocato; cum ratio, quam S. Antistes inculcat, nunc quoque subsistat. Consequeretur etiam validum esse Baptismum *in solo nomine Spiritus Sancti*, de quo præsertim pertractat Ambrosius. Dicendum est itaque cum communiori sententia, quam Tournely, Berti, aliique sequuntur, Ambrosium non agere de forma Baptismatis, sed de fide eorum, qui Baptisma suscipiunt; eundemque docere, quod Catechumeni, quamvis interrogarentur de fide in unam Personam Sanctæ Trinitatis, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent, legitimum Baptismum, ac peccatorum remissionem acciperent. Hanc esse Ambrosii mentem ex tota orationis serie demonstratur. Primo enim profert num. 41. exemplum Æthiopis Eunuchi Reginæ Candacis, qui *baptizatus in Christo plenum mysterium consecutus est*. Legimus vero illum hanc fidei professionem emisisse, Act. 8. v. 37. *Credo filium Dei esse Jesum Christum.* Deinde n. 42. hæc inter alia scribit: *Quamvis Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Quæ quidem verba nequeunt accipi de forma Baptismi; alioquin irritum esset Baptisma *in nomine Trinitatis* ab Ariano collatum; intelligenda sunt ergo de fide suscipientium. Ex quo autem ad fidei professionem sufficiat dicere, *Credo in Dominum Jesum Christum*, modo

animo retineantur etiam Spiritus Sanctus ac Pater, non sequitur idem ad formam Baptismi sufficere; quippe fides in corde sita est, Sacramentorum autem forma in verbis à Christo præscriptis, quæ virtutem suam non ex proferentium animo, sed ex Institutoris merito assequuntur.

Adductam Bernardi epistolam spuriam esse arbitrantur Estius, Berti, aliique non pauci. Et sane testatur Mabillon in præf. ad S. Bernardi opera eandem Epistolam *in paucis MSS. inveniri, nec in ullo alio, praeterquam in Sorbonico exemplari valde mutilo*, à se repertam. Deinde ratio qua probatur, ratum esse baptismum illum, quia baptizans *in eo quod addidit, sanctae et verae Crucis, manifeste commendavit Dominicam passionem*, insulsa est, et quæ ex Melliflui ore proficisci non poterat. Non enim latere ipsum poterat, *Crucis nomen* nunquam Baptismi formam constituisse. Quod si cum Tournelio, Juenino, aliisque epistola illa Bernardi esse dicatur, cum iisdem Theologis reponemus, improbandam hodie esse sententiam istam, quæ traditione Apostolica, et aliorum Patrum auctoritate refellitur; etsi olim quibusdam visa sit utcumque probabilis. Denique Auctor illius epistolæ ait, se *breviter respondere, et sine praejudicio sanius sapientis*; quo liquet ipsum aliis distentum negotiis non hæc certa assertione dictasse.

Objicies 3. Nicolaus I. cap. *A quodam*, de Consecr. dist. 4. respondens Bulgaris de quibusdam à Judæo baptizatis ait: *Hi profecto si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum quippe, idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos.*

Resp. Romanorum Pontificum sententiam nobis manifestam fieri ex aliis ejusdem dist. Rescriptis, quæ supra citavimus. Nicolai vero judicium irreformabile est in eo, quod statuit legitime baptizatum à Judæo, vel Pagano, non esse rebaptizandum; de hoc enim fuerat interrogatus à Bulgaris. De forma vero Baptismatis, de qua interrogatus non fuerat, obiter opinionem suam inseruit, non Romanum Pontificem agens, sed privatum Doctorem, cujus judicium falli potest.

Quamvis autem ex dictis valide communita monstretur eorum sententia, qui asserunt, neque ab Apostolis unquam collatum fuisse Baptismum in solo Christi nomine; non tamen inde inferendum est, contrariam assertionem omni penitus probabili-

tate carere. Constat enim antiquiores Scholasticos in oppositam conspirasse sententiam, ac præsertim S. Thomam, S. Bonaventuram, et Ven. Scotum, quibus subscripsere discipuli numero, doctrinaque percelebres. Præter vero Scholasticos non desunt alii, qui in eandem sententiam devenerunt, ac præcipue Nicolaus I. supra laudatus, à quo insertam Rescripto ad Bulgaros opinionem, quæ nono sæculo non esset recepta, affirmare non possumus. Inter Patres autem Ferrandus Diaconus in epist. ad Anatolium aperte sic ait: *In nomine Domini Jesu Apostoli baptizabant: numquid quia Patrem, et Spiritum Sanctum tacebant, ideo negabant?* Præterea veterum Scholæ Doctorum opinioni non opponitur Catechismus Rom. p. 2. c. 2. n. 15. quamvis in sententiam nostram ejus Auctores in seq. n. 16. descenderint. Tandem in Synodo Nemausensi celebrata circa annum 1484. hæc habentur: *Dicimus infantem baptizatum esse, si baptizans dicit, Baptizo te in nomine Christi. Quod tamen non est laicis exprimendum, ne à forma statuta per Ecclesiam recedatur.*

Sed argumenta isthæc, aliaque similia non tanti ponderis esse videntur, ut à proposita sententia removere nos valeant; cum eorum nonnulla concludant, etiam hoc tempore valere Baptismum in solo Christi nomine datum; quod Adversarii non admittunt cetera autem facto historico innitantur, in cujus inquisitione permulti operam minime locaverunt. Antiqui enim de Baptismi forma tractantes, docuerunt Apostolos in solo Christi nomine baptizasse ex speciali Dei consilio, ut Christi nomen Judæis, et Gentibus honorabilius redderetur, non serio inquirentes, an revera ea forma baptizassent Apostoli; sed exponentes quædam superius citata loca ex Actibus Apostolorum, quæ primo aspectu id videntur innuere: unde eorum potius sententia propugnanda est, qui in hisce locis expendendis, atque in Patrum investiganda traditione, nervos omnes ac animum intenderunt. Denique de multiplici mutatione quæ contingere potest in forma Baptismatis, legi poterunt tum prolixiores Theologiæ Tractatores, tum etiam quæ in superiori libro diximus cap. 4.

CAPUT V.

Quandonam Christus Baptismum instituit?

A Christo institutum fuisse Baptisma Orthodoxi omnes, hæreticique consentiunt: de institutionis autem tempore plurimum al-

tercantur. Alensis enim, Albertus Magnus, aliique Baptismi originem eo in tempore statuunt, quo Christus post resurrectionem ascensurus in Coelum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Alii vero quamvis ante Christi passionem institutum Baptisma defendant, in assignando tamen præciso institutionis tempore non concordant. S. Thomas, aliique permulti censent, Baptismum à Christo institutum, quando in Jordane à Joanne baptizatus est: quidam autem institutionis tempus illud assignant, quo Christus Nicodemo dixit Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Quidam postremo cum Scoto censent, institutum illum fuisse paulo ante, quam Christi Discipuli baptizare cœperunt. Hæc quoque opinio placuit Seraph. Doctori in 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1.

Propositio 1. Christus Baptismum ante suam passionem instituit.

Probatur. Christus ante passionem suam, etsi non propriis, discipulorum tamen manibus baptizabat. Legitur enim Joan. 3. v. 22. *Venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Et c. 4. v. 22. *Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Atqui non Joannis, sed Christi erat ille Baptismus. Jam ergo à Christo Baptismus fuerat institutus. Probatur minor. Baptismus quem discipuli conferebant, talis erat, per quem dictus est Christus eorum manibus baptizasse: *et baptizabat*: Ergo discipuli non Joannis, sed Christi Baptismum conferebant: alioquin Joannes potius, quam Christus diceretur per discipulos baptizasse. *Baptizabat enim*, inquit Augustinus tract. 15. in Joan. *quia ipse mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat. Praebebant discipuli ministerium corporis, praebebat ille adjutorium majestatis.*

Et sane Joannes de Christo prædixerat, Joan. 1. 33. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*: nec ullibi de Christo, sicuti de Joanne, scriptum invenies, ipsum in aqua solummodo baptizasse. Ergo quod legitur: *Jesus baptizabat*, intelligendum est, baptizasse *in Spiritu Sancto*, per suum nempe Baptismum.

Deinde Joan. 3. vv. 25. et 26. legitur: *Facta est autem quaestio ex discipulis Joannis cum Judaeis de purificatione. Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Atqui si Jesus, ejusque discipuli baptizassent baptismo Joannis, quæstio illa facta non esset, ne-

que æmulationem Joannis discipuli habuissent, dum ipsius honori cessisset, quod baptismate suo etiam Christi discipuli baptizarent.

Præterea nullibi legimus eos, quos discipuli Domini baptizarunt, fuisse iterum baptizatos, sicuti Act. 19. v. 4. rebaptizatos legimus tinctos baptismo Joannis. Ergo baptizati à Christi discipulis, non Joannis, sed ipsius Christi Baptismum acceperant. Vide S. Augustinum tract. 5. in Joan. n. 16.

Denique congruebat, ne Apostoli Eucharistiam acciperent, et novæ legis Sacerdotes constituerentur nondum baptizati, Christi nempe Baptismo, qui ex ejusdem institutione debet alia Sacramenta præcedere. Jam ergo ante ultimam Christi Cœnam, ejusque passionem institutum fuisse Baptisma dicendum est.

Propositio 2. Probabilius videtur, Christum instituisse Baptisma paulo postquam ad eum venit Nicodemus, ac paulo ante quam ipse et discipuli ejus baptizasse dicuntur Joan. 3.

Probatur. Baptismus non est institutus à Christo, dum ille in Jordane baptizatus est; *quia*, ut ait Scotus in 4. d. 3. q. 4. n. 2. *ille non fuit baptismus Christi, idest in forma Christi sed in forma Joannis.* Nihil enim præter aquam commune habuit Joannis baptismus cum Christi Baptismo: ex quo igitur Christus Joannis baptismum acceperit, non recte deducitur, Christum tunc suum instituisse Baptismum.

Neque illum instituit, dum Nicodemo dixit, *Nisi quis, &c.*, *quia*, uti citato in loco subjungit Scotus, *non est verisimile tam necessarium Sacramentum in conclavi coram persona privata institui, quae non debuit esse praeco institutionis illius.* Deinde quemadmodum ex verbis illis Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, probari non potest, tunc Christum instituisse Eucharistiam; ita neque ex verbis hisce, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* potest inferri, Baptismum tunc fuisse institutum: sed solum indicatur futura Baptismi necessitas, sicut in priori textu futura necessitas Eucharistiæ prædicitur. Unde S. Thomas in p. 3. q. 66. a. 2. ad 3. ait: *Quod Dominus Nicodemo dixit Joan. 3. Nisi quis, &c. magis videtur ad futurum respicere, quam ad praesens tempus.*

Restat igitur, ut cum Scoto dicamus, *tempus institutionis fuisse ante illud tempus, quo discipuli Christi baptizabant; licet praecise hora institutionis non legatur in Evangelio.* Probabilius

ergo dicendum videtur, à Christo institutum fuisse Baptismum paulo post, quam ad ipsum Nicodemus accessit, et paulo ante quam Apostoli baptizare cœperunt. Tempus vero illud implicite indicatur, dum Evangelista Joannes post enarratum Nicodemi cum Christo colloquium c. 3. v. 22. subjungit: *Post haec venit Jesus, et discipuli ejus*, &c.

Hic obiter adnota, nonnullos cum Juenino censere, quod Christus Baptismum instituit, quum Matth. 10., Marci 3., Lucæ 9. misit Apostolos, ut Judeos adventum Messiæ docerent. At quæ in citatis Evangelii locis contigisse narrantur, multo postea evenerunt, quam Jesus ac discipuli ejus cæperint baptizare; proindeque multo postea quam à Christo Baptisma fuerit institutum; ut patet omnibus, qui sacram Chronologiam vel à limine salutarunt.

Objicies 1. contra 1. propos. Christus Baptismi formam non nisi post resurrectionem suam instituit, docuitque tunc Apostolis mysterium Trinitatis, sub cujus invocatione illum conferre deberent, inquiens Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ergo tunc ipsum etiam Baptismum instituit.

Huic sententiæ favent Patres, ex quibus Ambrosius lib. 10. in Lucam ait, quod Christus post resurrectionem Apostolis *docendi, et baptizandi tribuit potestatem.* Scribit et Augustinus tract. 120. in Joan. aliisque in locis, Ecclesiæ Sacramenta ex Christi latere profluxisse, quando exivit inde *sanguis et aqua*: Joan. 19. v. 3. Non ergo ante Christi passionem institutus est Baptismus. Sed clarius Leo magnus in epist. 4. c. 3. inquit: *Posteaquam resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus Praesules omnes Ecclesiarum docebantur, et formam, et potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes ergo*, &c. *De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse.*

Denique Tertullianus in lib. de Bapt. c. 11. ait: *Itaque tingebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante praecursor, eodem baptismo Joannis.* Id quoque docuere Chrysostomus hom. 28. in c. 3. Joan. Theophylactus, Euthymius, aliique.

Resp. quod quando Christus discipulos misit ad baptizandas omnes Gentes Matth. ult. non Baptismum, neque formam ejus instituit; sed præcepit, ut jam instituto Gentes initiarent; nec solis Judæis, verum et Paganis tum cœlestem doctrinam, tum Sacramenta conferrent. Neque tunc primum Apostolis Trinitatis mysterium revelatum est; cum sæpe Christus in Evangelio mentionem fecerit

Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; et Petrus Matth. 16. v. 16. aperte Christum Filium Dei vivi confessus sit: ac tandem Apostoli ignorare non poterant, tres divinas Personas, dum baptizatus est Christus, visibiliter adfuisse.

Ambrosius dumtaxat affirmat, Apostolos tunc primum accepisse mandatum baptizandi omnes Gentes, sicut et docendi; prius enim utrumque in Judaico tantum populo faciebat. Distinguenda itaque est Baptismi institutio à baptizandi potestate, sive mandato.

Leonis quoque verba referenda sunt ad mandatum, et ad universalem publicamque Baptismatis promulgationem; de Christo enim inquit in seq. n. 6. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, et aqua baptismatis.* Quod si tunc sanxit, quomodo postea instituit?

Quod vero Augustinus asserit, Sacramenta de Christi latere profluxisse, de merito et efficacia accipiendum est, non de Sacramentorum institutione: alioqui tunc etiam instituta Eucharistia, et Ordo fuissent. Quem pariter sensum citata superius Leonis verba præ se ferunt.

Fatemur denique non Tertullianum modo, sed et Chrysostomum, aliosque aliter docuisse; at non oportet, ut ad confirmandam Scholæ opinionem suffragium afferat traditio universa; sed sufficit, si innixa ea sit plurium auctoritati: hujusmodi autem est opinio nostra, quam præter Augustinum tradiderunt etiam Cyrillus in Joan. et Ammonius in Catena Græcorum, aliique etiam ex Scholæ Magistris, qui in eo conveniunt, quod Christus ante passionem non Joannis, sed suo Baptismate baptizarit. Horum sententiam non obscure argumenta superius adducta demonstrant: Tertulliani vero, aliorumque sententia eo momento ducitur, quod ante Christi ascensionem Spiritus Sanctus non erat datus, ut legitur Joan. 7. v. 39. At bene adnotat Augustinus q. 61. inter 83. quod Spiritus Sanctus visibili quidem specie super Apostolos in die Pentecostes descendit; sed ipsis, aliisque, ut Davidi, Elisabeth, &c. datus antea fuerat invisibiliter, à quo jam gratiam sanctificationis acceperant. Deinde ex opposita sententia sequeretur, neque Eucharistiæ Sacramentum in ultima Cœna institutum ubertatem spiritalis gratiæ tribuisse.

Objicies 2. contra 2. propos. cum Tournely, Berti, aliisque Thomistis. Instituitur Sacramentum, dum consecratur materia, et designatur verborum forma, ejusque manifestatur effectus. At Baptismi materiam, idest, aquam fuisse à Domino in Jordane

mundatam, sanctificatam, consecratam, concors est SS. Patrum sententia; ut patet ex Ambrosio lib. 2. in Lucam n. 83., ex Nazianzeno orat. 39., ex Maximo Taurinensi hom. 6. de Epiph. &c. Designatam tunc quoque fuisse baptismi formam iidem Patres affirmant, quos inter Augustinus tract. 6. in Joan. n. 5. ait: *Apparet manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In ista Trinitate missi sunt Apostoli.* Denique tunc etiam Baptismi effectus innotuit. Ut enim recte scribit Ephrem Syrus in Cat. Græc. *Super Jesum venit Spiritus, ut ostendat super omnes fideles, dum baptizantur, se se etiam venturum.*

Resp. Angel. Doctorem, etsi in opposita fuerit opinione, in supra citato loco recte notasse, quod *tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum.* Id autem profecto non contigit, dum in Jordane Christus baptismum accepit. Neque enim tunc aquæ sanctificandi vim obtinuerunt; cum illam dumtaxat obtineant, quando per SS. Trinitatis invocationem Catechumeno applicantur. Et quamvis antequam aquæ id prima vice præstarent, determinari ac elevari à Christo debuerint; hoc tamen nequaquam evenit, quando ille ad Joannis baptismum accessit: non enim determinari tunc poterant aquæ ad gratiæ collationem, et elevari ad sacramentalis Baptismatis dignitatem, nisi simul determinaretur et forma verborum, quæ consecrant elementum. Atqui ex Evangelio minime constat, quod tunc primo Christus formam determinaverit, ac sacra verba ipse protulerit, efficaciter ordinando, ut quando aquæ cum SS. Trinitatis invocatione Catechumenis applicarentur, sanctificandi virtutem haberent.

Dum vero Patres asserunt, Christum contactu carnis suæ aquas consecrasse, eisque vim regenerandi dedisse, non de vi aliqua inhærente, neque de prima Baptismatis institutione loquuntur; sed solum affirmant, quod Christus eo facto suo veluti signo quodam aquas ad regenerationem hominum ordinavit, *et ostendit ceteros credentes in aqua fore baptizandos*; ut loquitur S. Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. quem legendum etiam in seq. quæst. 2. consulimus.

Ita similiter Trinitatis apparitio in Jordane, significavit utique in nomine et virtute Trinitatis à peccatis abluendos ac sanctificandos esse eos, qui deinceps Christi Baptismum acciperent; non tamen evincit, tunc primum Trinitatis invocationem effi-

eaciter ordinatam, prolatam, expressamque pro forma Baptismatis. Ita denique per Spiritus Sancti descensum innotuit effectus Baptismi, non qui tunc institutus fuit, sed qui instituendus erat à Christo.

Quærere hic Theologi solent, quandonam suscipiendi Baptismi lex cœperit homines obligare? At jam dum de legibus in lib. 15. tractavimus, in c. 8. proposit. 1. cum Ven. Scoto, et S. Bonaventura docuimus, Baptismi legem obligare tunc cœpisse, quum in die Pentecostes illum publice ac solemniter promulgarunt Apostoli.

CAPUT VI.

Ubi de Baptismi Ministro disseritur.

Bifariam potest conferri Baptisma; vel nempe solemniter, cum publicus ritus, et Ecclesiasticæ ceremoniæ observantur; vel privatim, omissis nempe ceremoniis, iisque dumtaxat adhibitis, quæ ad Sacramenti confectionem necessario requiruntur. Potest præterea Baptisma conferri, vel necessitate premente, sive mortis instante periculo; vel extra necessitatis casum, dum nempe baptizandus integra fruitur sanitate.

Consentiunt Novatores solemnis Baptismi ministrum esse Episcopum, ac Presbyterum, necnon ex delegatione Diaconum. In necessitate autem baptizare etiam posse minores Clericos, imo et Laicos, ipsasque mulieres, Catholicorum doctrina est, à qua Calvinus, ac recentiores quidam Græci apud Petrum Arcudium recesserunt.

Propositio 1. Jus solemniter baptizandi principaliter Episcopis competit, ac deinde Presbyteris, non tamen sine Episcoporum auctoritate.

Probatur 1. pars. Apostolis, quibus succedunt Episcopi, dixit Christus Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos; &c.* Et Paulus in 1. ad Cor. c. 4. v. 1. se aliosque Apostolos appellat *Dispensatores mysteriorum Dei.* Constat præterea ex historia N. T. Apostolos ministrasse Baptismum; uti de Petro legitur Act. 2. v. 41. de Paulo Act. 16. v. 15. &c.

Secunda quoque pars facile demonstratur. Habetur enim in Constitut. Apostolicis lib. 3. c. 11. *Permittimus baptizare solos Episcopos, ac Presbyteros, ministrantibus Diaconis.* Innocentius I. in epist. ad Decentium c. 3. de Presbyteris inquit, *Seu*

extra Episcopum, sive praesente Episcopo baptizant. Denique Eugenius IV. in Decreto pro Armenis de Baptismo ait: *Minister hujus sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Quod autem Sacerdotes dependenter ab Episcopo jus habeant baptizandi, colligitur ex Tertulliano, qui in lib. de Bapt. c. 17. scribit: *Dandi* baptismum *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est.* Hieronymus etiam in Dialogo adversus Luciferianos ait: *Sine Episcopi jussione neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi.* Hinc olim soli baptizabant Episcopi, uti tum ex momentis aliis patet, tum ex epistola S. Gregorii Papæ 32. nunc 33. libri 1. ad Romanum Italiæ Exarchum, qua illum hortatur, ne Ravennæ detineat Blondum Hortensem Episcopum, quod eo absente, *Ecclesia sine rectore, et populus, quasi sine pastore grex, deperiret, et ibidem infantes absque baptismate morerentur.* In quem locum PP. S. Mauri ita notant: *Quare absente Episcopo infantes sine baptismate moriebantur? Quia baptismi ordinarius Minister est Episcopus, et in illa solum civitatis Ecclesia, in qua Episcopus sedebat, olim erat Baptisterium: hodieque Florentiae, Pisis, Parmae, Patavii, Bononiae, &c. in solis Ecclesiae Cathedralis Baptisteriis infantes sacris aquis intingi solent.*

Dicendum itaque est, Sacerdotes omnes habere *vi Ordinis*, ut præsint Christianæ plebi ideoque ut doceant, et baptizent, et omnia Sacramenta ministrent, exceptis Ordine, et Confirmatione, quapropter Episcopus sacram Ordinationem celebrans inquit, *Presbyterum oportet praeesse.* Hæc tamen baptizandi potestas, per quam illi passim à Theologis ordinarii Baptismi Ministri, et ex officio baptizare dicuntur, ab Episcopo jurisdictionem, quam Tertullianus *auctoritatem*, et Hieronymus *jussionem* appellat, accipere debet. Quare dum Episcopi baptizabant, non poterant id muneris usurpare Presbyteri; uti et modo, si illi doceant, hos tacere necessum est. Ita si nunc adsit Parochus, Sacerdos alius baptizare non debet, nec possunt parentes ad aliam Parochiam deferre baptizandum infantem. Ac propterea in Rituali Romano præscribitur, solemnis Baptismi Ministrum *esse Parochum, vel alium Sacerdotem à Parocho, vel ab Ordinario loci delegatum.*

Propositio 2. Diaconus non potest nisi ex delegatione Baptisma solemniter administrare.

Probatur cum S. Thoma in p. 3. q. 67. a. 1. «Sicut Coelestium Ordinum proprietates, et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut Dionysius dicit c. 7. Coel. Hierarchiæ, ita »etiam ex nominibus Ecclesiasticorum Ordinum accipi potest, »quid ad unumquemque pertineat Ordinem. Dicuntur autem »Diaconi quasi Ministri: quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, et quasi ex proprio officio præbere; sed adhibere ministerium aliis Majoribus in Sacramentorum exhibitione. Et sic ad Diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere Sacramentum Baptismi; sed in collatione hujus Sacramenti, et aliorum assistere, et ministrare »Majoribus."

Id confirmatur ex Epiphanio ita scribente in hær. 79. quæ est Collyridianorum: *Nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico Ordine Sacramentum perficere conceditur, sed hoc dumtaxat, ut eorum quae perficiuntur, ministri sint.* Idem quoque docetur ab Auctore Constit. Apostol. lib. 8. cap. 28. Denique suffragantur et Canonum definitiones, ut patet ex cap. *Diaconos*, dist. 93. et ex cap. *Constat*. dist. 4. de Consecratione.

Quod vero Diaconis commissum aliquando fuerit baptizandi munus, in dubium revocari non potest. Liquet enim ex Act. c. 8. Philippum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginæ Æthiopum. Item in can. 77. Illiberitani Concilii legitur: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, &c.* quo permittitur Diacono jurisdictione Ecclesiastica prædito baptizare, non autem baptizatum per benedictionem *perficere*, scilicet *confirmare*; quod Episcoporum est munus. Hoc idem postremo colligitur ex Vet. Ordine Romano, et ex Catech. Rom. p. 2. c. 2. n. 23.

At quidam putant, Diaconos posse *ex officio* conferre Baptismum, ejusque dici *ordinarios* ministros; hi itaque sic opponunt. In Pontificali Romano Episcopus Diaconos consecrans, ait: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, praedicare, &c.* Tertullianus etiam, et Hieronymus in locis supra citatis eodem modo loquuntur de Presbyteris, ac de Diaconis; ideoque tum illi, tum isti baptizare dicendi sunt *ex officio*, et ordinaria potestate.

Resp. autem juxta communiorem, veramque sententiam, Diaconos nonnisi extraordinarios, ac delegatos esse Baptismi ministros. Nam illi vi ordinis potestatem dumtaxat accipiunt bapti-

zandi ex commissione; si nempe ad ministerium illud ab Episcopo, vel Presbytero assumuntur; neque aliter agere possunt, nisi urgente necessitate. Hinc in citato cap. *Diaconos* legitur: *Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortassis ordinibus, seu officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat.*

Ad alterum. Presbyter, et Diaconus baptizare non possunt absque jussione Episcopi, eo præsente; quod ad jurisdictionem pertinet: sed Presbyter *vi ordinis* est solemnis Baptismi ordinarius minister, Diaconus autem extraordinarius tantum, ac delegatus, ut constat ex dictis.

Propositio 3. In casu necessitatis quilibet homo, etiam laicus, ac etiam mulier, potest administrare Baptismum; sine tamen solemni ritu.

Probatur 1. ex Veterum testimonio. Tertullianus in lib. de Bap. c. 17. scribit: *Baptismus aequae Dei census ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, cum ea majoribus competat, nec sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episcopatus... Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris; sicubi aut loci, aut temporis, aut personae conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis*, &c.

Id ipsum asseruit Augustinus tum alibi, tum in lib. 7. de Bapt. c. 53. ubi ait verum esse Baptismum, *ubicunque, et à quibuscunque, verbis Evangelicis consecratum.* Consentiunt Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, Isidorus in lib. 2. de Div. Officiis c. 24. aliique omnes.

Probatur præterea ex Conciliorum, sacrorumque Canonum definitione. Lateranense IV. cap. *Firmiter*, habet: *Sacramentum baptismi à quaecunque rite collatum proficit ad salutem.* Et Florentinum in Instruct. Armenorum ait: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, et haereticus baptizare potest.* Idem denique definitur in Cap. *Quod quodam*, Causa 1. q. 1. num. 97. Cap. *Ad limina*, 30. q. 1. n. 7. Cap. *Super quibus*, 30. q. 3. n. 4. Cap. *Sanctum*, de Consecrat. dist. 4. n. 36., &c.

Hujusce autem rei rationem Patres, ac Theologi ex summa Dei bonitate deducunt; quibus Catechismus Rom. adhærens in p. 2. c. 2. n. 24. scribit: *In quo profecto summam Domini nostri bonitatem, et sapientiam licet admirari. Nam cum hoc Sa-*

cramentum necessario ab omnibus percipiendum sit, quemadmodum aquam ejus materiam instituit; qua nihil magis commune esse potest, sic etiam neminem ab ejus administratione excludi voluit; quamvis, ut dictum est, non omnibus liceat solemnes ceremonias adhibere: non quidem, quod ritus, aut ceremoniae plus dignitatis, sed quod minus necessitatis, quam Sacramentum habeant. Eadem fere leges apud S. Thomam in p. 3. q. 67. a. 3. consentitque S. Bonaventura in 4. d. 5. a. 1. q. 1.

Objic. 1. Christus Matth. ult. solis Apostolis baptizandi contulit potestatem, inquiens: *Euntes docete*, &c. quibus profecto verbis constat mandatum, ut baptizarent, ordinariis tantum verbi Ministris.

2. Patres baptisma à mulieribus collatum communi consensione rejiciunt. Hos inter legi poterit Epiphanius hær. 42. n. 4. et hær. 49. n. 2. ac denique hær. 79. n. 3. Sed et Cartaginense Concilium IV. celebratum anno 398. can. 100. inquit: *Mulier baptizare non praesumat.*

3. Concilium Eliberitanum can. 38. non omnibus laicis, etiam in casu necessitatis, baptizandi tribuit potestatem; sed iis tantum, qui pœnitentiam publicam non subierint, sintque monogami: ait enim: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit; posse fidelem qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate.*

Resp. ad 1. ex argumento aliud non concludi, quam Apostolos esse Baptismi, ad prædicationis ordinarios, principesque ministros. Nam præterquam quod in Scripturarum expositione Ecclesiæ judicium, Majorumque traditionem debemus attendere; constat ex Actis Apostol. etiam Philippum Diaconum administrasse Baptismum Eunucho, et Ananiam, quem nonnulli laicum tunc fuisse sentiunt, Paulo. Quod si Calvinistæ reponant, etiam Philippum, et Ananiam fuisse *verbi ministros*; responsum addemus, quod saltem appareat, Diaconos, qualis certo erat Philippus, ex delegatione, posse solemni ritu et baptizare, et prædicare; ideoque Christi mandatum Matth. ult. non ita spectare ad Apostolos, ut ad alios pertinere non possit. Denique in casu necessitatis, domi saltem, posse et laicos docere colligitur ex 1. ad Cor. c. 14. v. 35. idque possunt et mulieres, uti docet etiam S. Thomas in loco paulo supra citato a. 4. ad 1. Similiter ergo privatim baptizare minime prohibentur.

Ex Patrum testimoniis dumtaxat evincitur feminas baptizare

non posse in Ecclesiæ conventu, solemni ritu, extra necessitatem, et si virorum adsit copia: urgente autem necessitate posse ac debere feminas administrare Baptismum aperte inter alios docuit Tertullianus loco supra citato, inquiens: *Reus erit perditi hominis, si supersederit praestare quod libere potuit.*

Epiphanius sane iis in locis agit contra Pepuzianos, Cataphryges, et Collyrianos *apud quos mulieres Episcopi erant, ac Presbiteri;* quos et valide refellit, quoniam B. V. Mariæ potius, quam Quintillæ, aut muliercula alteri Sacerdotalis dignitas collata fuisset; *si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidpiam praestare in Ecclesia liceret*: inquit hær. 59. sive 79. n. 3.

Canon 100. Synodi Carthaginensis vetat mulieribus ministerium publici, solemnisque Baptismi. In præcedenti enim Canone 99 legitur: *Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non praesumat.* Per quod apparet in proximo etiam Canone 100. eandem subintelligendam esse exceptionem; scilicet, *in conventu*, sive *in Ecclesia*, ubi cum adsint Sacerdotes, et viri, nulla necessitas feminas baptizare compellit.

Eliberitani denique Canonis sensus est, quod *si adsint plures laici*, qui morienti Catechumeno possint per Baptisma succurrere; is inter alios sit seligendus, qui neque inter pœnitentes publicos accenseatur, neque sit bigamus. In casu autem, quo non alius nisi aut publicæ pœnitentiæ addictus, aut bigamus occurreret, non negat Eliberitana Synodus posse illum ac debere Baptisma conferre. Ita cum Mendoza, Albaspinæo, Van-Espen, aliisque Canonem istum interpretantur recentiores Theologi.

Ex hucusque dictis infertur, dignitatis ordinem esse servandum, si in necessitatis casu plures adfuerint qui valeant baptizare. Qua de re in Rituali Romano tit. de Baptismo §. de Ministro Bapt. sic legitur: *Si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminae; nisi pudoris gratia deceat feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum; vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi.* Sed jam de hæreticis, paganisque specialiter disseramus.

CAPUT VII.

Num haeretici, ac pagani validum Baptisma ministrent?

Superiori in libro de Sacramentis generatim agentes, ostendimus valere Sacramenta ab impiis collata Ministris; si materiam formamque servaverint, debitamque intentionem habuerint. De hæreticis autem disputare non immerito hucusque distulimus, tum quod controversia isthæc de Baptismo præsertim efferbuit, tum quod Synodus Tridentina in sess. 7. can. 4. expresse de Baptismo ab hæreticis dato sententiam tulit; non desunt vero, qui salva fide negant posse hæreticos quædam Sacramenta conficere, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem; quod nemo jam de Baptismate pronuntiabit.

Baptismum itaque ab hæreticis administratum *primus omnium mortalium*, ut in Commonitorio n. 9. scribit Vincentius Lirinensis, respuit Agrippinus Cartaginensis Episcopus, coactoque Concilio circa annum 215. rebaptizandos esse constituit quos baptizarunt hæretici. Hunc etiam errorem secutus est Cyprianus Agrippini successor, qui tres etiam Synodos ad eundem stabiliendum indixit; unam anno 255. alteram anno 256. aliamque rursus eodem anno, quæ frequentior fuit ac plenior. Cypriano adhæsere Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, aliique Orientales, qui coactis item Synodis Iconii, et Synnadæ, circa annum 256. vel, ut aliis cum Baronio placet, 258., hæreticorum baptisma non valere dixerunt.

Illorum vero errori, conatibusque viriliter restitit Stephanus R. P. decrevitque Catholicam veritatem, Cypriano rescribens: *Si quis ergo à quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* Quæ verba apud Cyprianum leguntur in sua ad Pompejum epistola n. 74. Quamvis autem Stephanus excommunicandos putaverit Rebaptizantes, eos tamen minime excommunicavit. Ut enim ait Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 25. *Vicit pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.* Denique quæstio de hæreticorum baptismo finita postea fuit *plenarii Concilii auctoritate*, ut idem S. Doctor inquit in c. 9. libri 2. de Bapt. Illud vero Concilium alii Nicænum, alii Arelatense fuisse contendunt. Constat postremo ex dictis in priori lib. c. 12.

etiam Donatistas IV. Ecclesiæ sæculo administratum ab hæreticis baptisma irritum censuisse. At pro Catholica veritate sit

Propositio 1. Valet Baptismus ab hæreticis cum prescripta forma collatus.

Probatur ex constanti Ecclesiæ consuetudine, quæ ab Apostolica Traditione manavit. Ut enim scribit Augustinus in lib. 2. de Bapt. c. 7. *Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis, et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem; sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum, nec in Conciliis posteriorum; et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, et commendata creduntur.*

Libro autem 3. c. 12. probat S. Doctor, neque post Agrippinum in Africa Rebaptismum communiter obtinuisse, atque ita ratiocinatur: *Si permanebat ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab haereticis venientes, ut quid facta sunt à Cypriano de hac re Concilia? Ut quid eidem Jubajano dicit, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino constitutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus Collegae in Concilio dixerunt rationem et veritatem consuetudini praeponendam, ac non potius dixerunt eos, qui aliud facere vellent, et contra veritatem, et contra consuetudinem facere?* Quæ quidem Augustini verba aliud exhibent vetustæ consuetudinis argumentum ex ipsorum Rebaptizantium confessione depromptum. Revera enim Cyprianus in epist. 71. ad Quintum ait: *Non est de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum.* Et in epist. 73. ad Jubajanum: *Sed dicet aliquis, quid ergo fiet deis, qui in praeteritum de haeresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt?* Ubi, uti peracute notat Augustinus lib. 2. de Bapt. c. 9., aliam fuisse Ecclesiæ consuetudinem Cyprianus aperte significat.

Hanc vero consuetudinem, veritatemque perpetuo probarunt, firmaruntque Concilia. Arelatense enim I. anno 314. ita can. 8. decrevit: *De Afris autem, quod propria lege sua utantur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis haereticus venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, Fi-*

lio, et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur: quod si interrogatus symbolum, non responderit Trinitatem, tunc merito baptizetur.

Deinde Nicenum anno 325. can. 8. Catharos, sive Novatianos in Ecclesiam admittendos jussit sola manuum impositione; can. autem 19. rebaptizandos statuit Paulianistas, *regulam baptismatis non tenentes*: uti scribit Augustinus in lib. de Hær. n. 44.

CP. I. quod fuit generale II. can. 7. statuit rebaptizandos Eunomianos; Montanistas, et Sabellianos, non vero Arianos, Macedonianos, et Novatianos; non alia ratione, nisi quod primi tingentes Evangelicis verbis minime uterentur.

Postremo his; aliisque innumeris Ecclesiæ definitionibus insistens Synodus Tridentina sess. 7. can. 4. ita decrevit: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomime Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Hic vero notandum, quod etsi Scripturæ præsentem quæstionem expresse clareque non dirimant; ad Catholicum tamen dogma tuendum ea loca faciunt, quibus adstruitur, Ministros Sacramenta conficere non propria auctoritate; sed Christi, *qui baptizat in Spiritu Sancto;* de quo testimonio Joan. 1. v. 33. plura diximus in præced. lib. c. 12. ubi theologicam rationem huc quoque spectantem invenies.

Propositio 2. Etiam Pagani validum Baptisma conferunt, si legitimam formam adhibeant.

Descendit hæc veritas ex demonstratis. Si enim Christus est qui in Spiritu Sancto baptizat, neque propria Baptismi sanctitas à Ministri probitate, vel fide dependet; dicendum profecto est, valere Baptismum etiam à Pagano collatum, neque hujus errorem perfidiamque posse inditam illi à Christo virtutem adimere. Hinc Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 104. ait, *A quodam Judaeo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis; et quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctae Trinitatis..... baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.*

In cap. etiam *Romanus*, de Consecr. dist. 4. n. 23. desumpto aut ex Isidoro, aut ex lib. 4. Capitularum c. 6. habetur: *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.* Idem denique legitur in Instructione Armenorum, quam

in Florentino Concilio edidit Eugenius IV. ut constat ex dictis in propos. 3. capitis antecedentis.

Objicies 1. Baptismus unus est, sicut et fides est una, scribente Apostolo ad Ephes. 4. v. 5. *Una fides, unum baptisma.* Sicut ergo hæretici fidem non habent, ita neque Baptismum. Deinde etiam Ecclesia una est, de qua Cant. 4. v. 12. legitur: *Hortus conclusus, fons signatus;* et 6. v. 8. *Una est columba mea, perfecta mea.* In hunc hortum conclusum intrare non possunt hæretici, utpote qui sunt ejecti extra Ecclesiæ unitatem; ideoque eundem fontem aquarum viventium nobiscum communem habere non poterunt. Huc quoque facit, quod de hæreticis ait Dominus Jer. 2. v. 13. *Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* Non ergo habent hæretici *fontem aquae vivae, et salientis in vitam aeternam*, idest salvificam undam sacri Baptismatis; sed aquam habent adulteram et profanam.

Resp. cum S. Augustino, Christi Baptismum utique unum esse, sed esse unum tam in manibus hæreticorum, quam Catholicorum. *Sacramenta*, inquit S. Doctor in lib. 3. de Bapt. c. 15. *si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur, et discordiose tractantur: sicut scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur.* Et in lib. de unico Baptismo contra Petilianum c. 8. scribit: *Hic fortasse dicet, jam non esse Christi Sacramentum, quod à sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod à sacrilegis dicitur?* Sicut ergo una eademque Scriptura potest tum à Catholicis, tum ab hæreticis asservari; ac sicut unum idemque Christi nomen à Catholicis, hæreticisque profertur; ita potest unus et idem Baptismus apud Catholicos, hæreticosque manere. Idcirco autem ablata fide potest in hæreticis permanere Baptismus; quia Sacramentum istud ad Ecclesiam spectat, tanquam Christi fidelium character, et nota: notæ vero et characteres etiam in transfugis apostatisque persistunt, ut idem Augustinus declarat in lib. 2. contra Parmenianum c. 13.

Ad verba illa ex Canticis deprompta reponimus ex eodem S. Doctore in cit. lib. 5. de Bapt. c. 27 quod si hortum conclusum, fontenque signatum intelligamus Ecclesiam Sanctorum, non est illa *in avaris, et fraudatoribus, et raptoribus, et foenatoribus, et ebriosis, et invidis, quos tamen cum justis baptismum habuisse*

communem, Cyprianus ipse concessit: eundem ergo Baptismum eodem pacto habere possunt hæretici. Si vero *hortum conclusum* dicas Ecclesiam hujus temporis, in qua mali cum bonis admixti sunt; in ipsa Ecclesia quædam sunt propria Sanctorum, ut charitas; quædam communia Sanctis et improbis, ut fides; quædam etiam extra Ecclesiæ corpus ac in hæreticis inveniuntur, *ut sacrosancta mysteria.*

Denique legitur in cap. 45. de Consecr. dist. 4. *Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis, possc quidem ejus baptismum homines etiam foris recipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam et flumina de fonte Paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt.*

Tandem ex dictis patet responsio ad textum ex Jeremia depromptum. Nam et illi qui profitentur fidem, et vitiis indulgent, dereliquerunt Deum fontem aquarum viventium: *Neque enim pedibus, ac non corde relinquitur Deus.* Dicimus insuper neque istos, neque hæreticos viventem aquam habere, *quantum ad sanctificationem vitae;* quamvis illam habeant *quantum ad participationem sacramenti.* Lege lib. 2. contra Parmenianum c. 10. Neque profana est aqua, *super quam nomen Dei invocatur;* quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen profanum est. Ita c. *Non est aqua*, 50 de Consecr. dist. 4. et S. Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 10.

Objicies 2. quorundam Patrum auctoritatem. Non enim soli Cyprianus, ac Firmilianus, quibus præiverat etiam Tertullianus; verum et alii magni nominis oppositam tenuere sententiam. Et primo quidem Dionysium Alexandrinum Rebaptizantibus adhæsisse testatur Hieronymus de Script. Eccles. c. 69. scribens: *Hic in Cypriani, et Africanae Synodi dogma consentiens de haereticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quae usque hodie extant.* De Basilio etiam nemo dubitaverit, si Canonicam ejus epistolam ad Amphilochium legerit.

Idem quoque Athanasium sensisse colligitur ex ejusdem orat. 3. nunc 2. contra Arianos, ubi inter alia inquit: *Sicut creatura diversum quid est à Filio; ita diversum quiddam à vero baptismate est quod ab illis existimatur dari.*

Consentit Optatus Milevitanus affirmans in lib. 1. contra Parmenianum n. 12. *haereticos habere varia et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, nec immundus emundare.*

Postremo Cyrillus Hieros. aperte sic ait Præfat. in Catecheses: *Soli haeretici rebaptizantur; siquidem prius illud non erat baptisma.*

Resp. ipsos Patres, qui pro Rebaptismo steterunt, minime denegasse contrariam ac vetustissimam consuetudinem, plenariis postea Conciliis, Romanorum Pontificum statutis, maturaque rei discussione firmatam. Ceterum de Dionysii mente non una est Theologorum opinio, eumque inter alios tueri nititur Gaspar Jueninus in q. 6. de Bapt. c. 7. a. 3.

Athanasins, uti Tournely, Berti, aliique recte notarunt, vacuum ac inutilem Arianorum baptismum appellat quantum ad effectum, non quantum ad characterem: *in quo quidem,* ait S. Doctor, *insit religionis simulatio, sed reverà nihil ad pietatem queat conferre*; iis nempe, qui pravæ hæreticorum doctrinæ consentiunt.

Optatus loquitur de hæreticis *sani et verissimi Symboli desertoribus*, qui circa mysterium Trinitatis errabant, neque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti tingebant. Alibi vero, ut in lib. præsertim 5. non obscure docet, unum eundemque esse Baptismum, ac minime iterandum, si in Trinitatis nomine conferatur.

Cyrillus denique vel rebaptizandos affirmat hæreticos, quando formam adulterant; vel si aliter ille antea sensit, in CP. I. Synodo cui interfuit, traditam in Catechesibus sententiam retractavit. De Tertulliano autem, Cypriano, Firmiliano, et Basilio dicimus, eos utique oppositum opinatos fuisse, sed adversus aliorum Patrum totiusque Orbis morem, uti ex supradictis apparet.

Objicies 5. canones Apostolicos 45. et 46. quorum primus est: *Episcopum vel Presbyterum, qui haereticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi jubemus*: alter vero: *Episcopus, vel Presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.*

Resp. prædictos Canones editos fuisse in aliqua Rebaptizantium Synodo, scilicet in Iconiensi, vel Synnadensi, ac deinde alicujus Colectoris inscitia in numerum Apostolicorum intrusos: siquidem eos nec Cyprianus, nec Firmilianus, nec Rebaptizantium aliquis ad confirmationem suæ sententiæ laudavit; quod, plures doctissimi Viri jamdiu observarunt. Si vero iidem Canones ut genuini probentur, accipiendi erunt de hæreticis qui formam Baptismi depravant.

Objicies 6. Specialiter contra 2. propos. Augustinus in lib. 2. adversus Parmen. c. 3. ait: *Et haec quidem alia quaestio est, utrum et ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantae rei sufficit.* Similia scribit etiam in lib. 7. de Bapt. c. 53. Imo cum Donatistas frequentissime urgeat ex eo, quod Baptizati non possint Sacramentum amittere, quod in Catholica Ecclesia susceperunt, ac dari possit Baptismus ubi potest haberi; videtur S. Doctor aliud sentire de hæreticis, aliud de non baptizatis, qui cum Baptismum non habeant, consequenter illud conferre non possunt.

Resp. laudandam esse Augustini moderationem, dum sententiam dicere detractavit in re, quæ nondum erat Ecclesiæ auctoritate, et judicio definita: id autem modo non faceret post Conciliorum, Pontificumque statuta. Post enim allata verba contra Parmenianum è vestigio subdit: *De iis vero qui ab Ecclesiae unitate separati sunt, nulla jam quaestio est, quin et habeant, et dare possint... Hoc enim jam in ipsa totius Orbis unitate discussum, consideratum, perfectum atque firmatum est.*

In citato autem lib. de Bapt. c. 53. quamvis dubitare videatur; ostendit tamen se ita affectum, ut ratum crederet legitimumque Baptismum, *ubicunque, et à quibuscumque, verbis Evangelicis consecratum.* Imo quum sæpissime contra Donatistas affirmat, propriam Baptismo inesse virtutem, illumque non ministrantium, sed Christi esse Sacramentum, ac alia hujusce generis plurima, propositionem istam ubique confirmat.

Quod denique refutaverit Donatistas, ex quo extra Ecclesiam non amittantur Baptismus, id fecit ex eorum principiis, commonstrans, quod si extra Ecclesiam habetur, extra Ecclesiam et datur. Dicebant enim Donatistæ, ut legitur in loco nuper citato: *Recedens ab Ecclesia baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit.* Quibus respondet Augustinus: *Cur non potest dari* baptismus, *ubi non recte datur; cum possit haberi, ubi non recte habetur? An quia non habere aliud est, aliud non recte habere? Sic et non dare aliud est, aliud non recte dare. Sicut non recte habent qui ab unitate discedunt: sed tamen habent, et ideo redeunti non redditur; sic etiam non recte dat qui ab unitate discedit, sed tamen dat. Et ideo quod ab eo accepit venienti ad unitatem non iteratur, &c.* Ex hoc autem argumentandi modo non recte deducitur, censuisse Augustinum, quod Baptismus ab

eo dumtaxat conferri possit, qui Baptismum accepit: non enim de paganorum, sed de hæreticorum Baptismo tunc quæstio versabatur. Reliqua argumenta ex ratione deprompta ex dictis in c. 12. superioris libri facile diluuntur. Vide insuper S. Thomam in p. 3. q. 67. a. 6. et S. Bonaventuram in 4. d. 5. a. 1. q. 1. et 2. qui et alia plura docent ad Ministrum Baptismi spectantia.

CAPUT VIII.

Quod liceat, expediatque parvulos baptizare.

Postquam de Baptismi Ministro tractavimus, nunc de ejusdem subjecto, sive de baptizandis disseramus oportet. Primo itaque de parvulis, postea de adultis dicturi, hoc in capite quærimus, num liceat expediatque infantibus ante rationis usum Baptisma conferre?

Id negarunt Valdenses; Petrobruissiani, Cathari, ac præsertim Anabaptistæ sic dicti quod in infantia baptizatos, cum ad adultam pervenissent ætatem, iterum baptizarent, ajentes, nullum esse Baptisma quod confertur infantibus.

Ex recentioribus item hæreticis contendunt plures, neminem olim baptizatum, *nisi aetate jam adulta*, neque invicte demonstrari antiquam esse et ex Apostolis derivatam consuetudinem parvulos baptizandi. Ita censent Salmasius, Vitringa, Vandale, &c.

Ex iis autem, qui parvulorum Baptisma probarunt, Fidus, quem Pamelius Episcopum putat, Morellius vero Presbyterum, voluit non nisi die octava baptizandum infantem, apud Cyprianum epist. 59. quod non utique propter necessitatem, sed propter mysterium alii etiam commendarunt. Nonnulli præterea ad quadragesimum diem, nonnulli ad triennium differendum Baptisma dixerunt, nisi tamen immineat vitæ periculum; uti videtur innuere Gregorius Nazianzenus Orat. 40. quæ est in sanctum Baptisma. Denique Tertullianus in lib. de Bapt. c. 18. utilius esse putavit, si infantes Baptisma receperint, dum adoleverint, ac Christum nosse potuerint.

Propositio. Licet, ac expedit infantulos baptizare.

Probatur. Sicut olim Deus Gen. 17. circumcisionem universim ac indefinite mandavit, ne *anima* incircumcisi *deleretur de populo suo*; ita Joan. 3. v. 5. baptismum unicuique et absolute præscripsit, ne excludatur à regno Dei, dicens, *Nisi quis renatus*

fuerit, &c. Quemadmodum ergo tunc circumcisioni subdebantur infantuli, ita et nunc sunt regenerandi baptismate. Consequentiam demonstrant quæ diximus in super. libro c. 17. ostendentes tam circumcisionem, quam baptismum instituta fuisse ad delendum originale peccatum.

Deinde Christus omnes omnino redemit, ac nemo mortalium est, qui nequeat fructum ex ejus redemptione percipere; uti tum alibi docet Apostolus, tum ad Rom. c. 5. At infantes non moriuntur in Adam, nisi carnali generatione ab illo nascantur. Ergo vivificari in Christo non possunt, nisi per Christum regenerentur; neque resurgere possunt ad spiritualem vitam, nisi cum illo sepeliantur in mortem. Est autem Baptismus *lavacrum regenerationis* ad Titum 3. v. 5. et id, quo cum Christo *consepulti sumus in mortem*, ad Rom. 6. v. 4.

Huc accedit, quod etiam parvulis Christus beneficia contulit: nam Matth. 19. v. 13. *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret*; et discipulis increpantibus illos, qui parvulos offerebant, inquit: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum.* Ubi profecto designari infantes ante rationis usum apparet ex eo quod non solum dicuntur παιδία, *pueri*, apud Matthæum, sed etiam βρέφη, *recentes ab utero*, apud Lucam 18. v. 16.

Constat præterea ex Act. 2. v. 39. gratiæ promissionem in Baptismate tam adultis factam esse, quam parvulis; ait enim Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est repromissio, et filiis vestris.* Licet igitur expeditque parvulos baptizare, ut hoc medio repromissam gratiam consequantur.

Tandem ab Apostolis baptizatos etiam parvulos haud obscure colligitur ex Act. 16. v. 15. ubi legimus baptizatam integram familiam, domumque Lydiæ purpurariæ, et v. 33. *domum omnem* custodis carceris: Paulus etiam in 1. ad Cor. 16. testatur se baptizasse *Stephanae domum*. In tota autem domo, universaque familia comprehenduntur et parvuli.

Patrum quoque traditione Catholicum dogma munitur. Irenæus in lib. 2. Adversus Hæreses c. 22. alias 39. ait: *Omnem aetatem Dominus sanctificat: omnes, inquam, omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores.*

Cyprianus in citata superius epist. 59. ad Fidum quam ex mente Carthaginensis Concilii scripsit, quamque suffragio suo probarunt tum Augustinus epist. 166. alias 28. ad Hieronymum, tum Hieronymus ipse in fide Dialogi 3. Adversus Pelagianos; Cyprianus, inquam, hæc inter alia inquit: *In hoc etiam quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, et gratiam denegandam.* Similia habent Auctor libri de Eccl. Hierarchia c. ult. Scriptor Constit. Apost. c. 15. libri 6. Origenes in cap. 6. ad Rom. Chrysostomus hom. ad Neophytos, Ambrosius lib. 2. de Abraham c. 11. aliique ad unum omnes.

Hanc etiam veritatem Conciliorum definitiones ostendunt. Ita namque statuere Concilium Africæ plenarium Carthagine celebratum anno 418. can. 2. Et Gerundense anno 517. can. 5. Et Senonense anno 1524. aliaque quamplurima. Sed præsertim Tridentinum sess. 7. can. 13. ita decernit: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.* Legendi sunt etiam ejusdem sessionis canones 12. et 14. Hanc denique inconcussam compertamque traditionem nec ipsi Pelagiani denegare sunt ausi, comminiscentes baptizandum quidem parvulum, sed non ut ab originali peccato mundetur. Vide S. Augustinum in lib. 1. de Peccat. Mer. c. 36.

Hæc postremo ex theologica ratione subjungimus. Expedit, ut parvulorum salus per Baptismum in tuto ponatur, ne repentinis obrepti casibus perpetuo moriantur. Curandum est insuper, ne Adæ filii diu vivant mancipia diaboli. Ac tandem perutile optimumque est, quod, ne occasionem arripiat improbitas, *infans sanctificetur, et spiritus consecretur ab ipsis unguiculis*; ut ait Gregorius Nazianzenus Orat. 40.

Objicies 1. Nemo potest Baptismum rite suscipere, nisi Evangelicam doctrinam prius audierit, juxta Christi præceptum Matth. ult. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Fides etiam debet Baptisma præcedere, ut Christus ait Marci ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Cum ergo infantes neque Evangelium audire, neque fidem concipere possint, sacro non sunt abluendi Baptismate.

Resp. Matth. ac Marci ult. mitti Apostolos ad gentes idololatras, quæ utique ante baptismum docendæ erant; cum nemo ad Christianam religionem trahatur inscius et invitus: at mandato illo minime prohibetur baptizari infantes eorum, qui Evangelio crediderunt; nullum enim ibi exclusionis signum adjungitur. Ergo baptizandi sunt omnes, et exigenda est fides ab omnibus qui credere possunt, non ab iis qui etsi Baptismi, non tamen fidei sunt capaces. Et ratio est, quia cum parvuli originali tantum peccato teneantur obnoxii; congruum est, ut quemadmodum alieno facto vulnerantur, ita ad aliena verba sanentur. Unde S. Augustinus in lib. 1. de Peccat. Mer. c. 19. docet parvulos recte fideles, ac poenitentes vocari, *quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, atque per eorundem verba gestantium diabolo, et huic saeculo renunciare monstrantur.* Vide etiam serm. 14. de Verbis Apostoli, nunc 294. n. 12.

Objicies 2. Christus anno ætatis suæ trigesimo ad baptismum accessit: æquum est autem, ut nos ejus imitemur exemplum. Multi quoque Cl. Viri, ut Constantinus, Ambrosius, Augustinus, Paulinus Nolanus Episcopus, ad grandævam usque ætatem distulere Baptismum.

Respondet ad 1. S. Gregorius Nazian. Orat. 40. Christum purgatione non indiguisse: *Nec vero quicquam periculi ei metuendum erat baptismum proroganti: quippe qui passionis quoque suae arbiter esset, quemadmodum et nativitatis. Tibi autem non leve periculum imminet, si hinc corruptioni soli genitus, nec incorruptibilitate indutus excesseris.* Ex quo constat quam male Christi exemplo Michael Servetus, et aliqui Anabaptistæ, dissentientibus tamen ejusdem sectæ aliis, anno trigesimo baptizarint.

Adducta quoque exempla Anabaptistarum causam juvare non possunt; quia aliter de parvulis, aliter de adultis hac in re dicendum est. In illis enim Baptismi dilatio æternæ mortis periculo jungitur, cum nequeant nisi per Baptisma salvari. At isti quamvis non baptizati, possunt per ardens Baptismi desiderium salutem consequi, ac interim ad Sacramentum se per pietatis, ac poenitentiæ opera præpararæ. Lege S. Thomam in 3. p. q. 58. a. 3.

Tandem adjungimus, factum quorundam Sanctorum, qui vel ad prolixum nimium tempus, vel etiam usque ad finem vitæ protraxere Baptisma, in exemplum adduci non posse contra sensum ac praxim universalis Ecclesiæ. Imo, uti Baronius notat ad annum 377. n. 14. S. Ambrosius *in eo multus fuit, ut pravam*

illam consuetudinem, quae tam in Occidente, quam etiam in Oriente usu temporis coaluerat, qua fideles quamplurimi usque ad provectiorem aetatem baptismum differrent, penitus ut malum germen ex agro Dominico evelleret; et quod se fecisse doluit, ab aliis ne in posterum fieret, vehementer admonuit; praestiteruntque hoc ipsum apud Orientales Basilius, atque Gregorius Nazianzenus, necnon Gregorius Nyssenus, ut ipsorum de Baptismo editae Orationes significant.

Sed dices. Si tingendi sunt parvuli; cur saltem cum adoleverint, non interrogantur, an velint in Christiana religione manere, ut post Zuingerum existimavit Erasmus? Non enim æquum esse videtur, ut Evangelicæ legis jugum insciis ac ratione destitutis infantibus imponatur.

Resp. interrogandos non esse, quia eorum requirit utilitas, ut in Christiana religione persistant, nec optio illis in animarum suarum perniciem danda est. Cum enim homo post Evangelii promulgationem Christi jugum ferre teneatur; æquum profecto est, quod illud etiam imponatur infantibus, ut ita participare possint fructum, quem secum Evangelica lex importat. Hinc Tridentina Synodus in sess. 7. can. 14. ita constituit: *Si quis dixerit, parvulos baptizatos, dum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo arbitrio relinquendos: nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.*

Postremo notamus ex dictis, Ecclesiam non probasse, neque Patres alios amplexos fuisse consilium Nazianzeni, Tertulliani, ac Fidi de dilatione Baptismi. Non enim tanti sunt fructus, quos illi ex Baptismi procrastinatione sperabant, quanta sunt pericula, quibus, nisi cito baptizentur, subjiciuntur infantes. Ut enim bene scribit Alcimus Avitus in consolat. Carmine ad Fuscinam sororem:

Omnibus id vero gravius, si forte lavacri
Divini expertem, tenerum mors invida natum
Praeripiat, dura generatum sorte gehennae.

CAPUT IX.

Num liceat infidelium pueros invitis parentibus baptizare?

Celebris est controversia inter S. Thomæ, ac Ven. Scoti Discipulos; an baptizare liceat infidelium infantes, reluctantibus invitisque parentibus. Id enim non licere scribit Doctor Angel. in p. 3. q. 68. a. 10. cui refragatur Subt. Doctor in 4. d. 4. q. 9. Priusquam vero principaliora utriusque opinionis momenta in medium proferamus, primum pro certo supponimus, ratum fore Baptisma, quod etiam contra parentum voluntatem pueris infidelium conferretur; infantis enim regeneratio opus est Spiritus Sancti, qui beneficium gratiæ intrinsecus operatur: valeret ergo baptismus ille, si materia, et forma, ac ministrantis intentio non deesset.

Certum est etiam, pueros parentum infidelium, qui spirituali potestati Ecclesiæ directe sunt subditi, cujusmodi sunt qui post susceptum baptisma ad Judaismum, aut ad sectas alias defecerunt, posse reluctantibus parentibus baptizari. Sicut enim potest Ecclesia parentes ad servandam fidem cogere, ac pertinaces etiam morte punire; ita potest eorum filios, ipsis etiam renitentibus baptizare: nam filii ratione parentum quoad spiritualem salutem subjecti semper manent Ecclesiæ.

Dubium ergo procedit de filiis infidelium, qui Ecclesiæ subditi neque sunt, neque aliquando fuerunt. Tales autem infideles vel sunt Christianorum mancipia; quatenus vel capti bello, vel empti fuere: aut, quamvis Christianis Principibus civiliter sint subjecti; in Christianorum tamen urbibus velut accolæ degunt, ac sua libertate fruuntur; sicuti sunt Hebræi, pluresque Turcæ. Si primo modo subjecti sunt, concedunt Thomistæ, quod licite possit invitis parentibus baptizari; cum mancipia, eorumque filii sint sub plena domini potestate, ac sicuti pro hujus libito vendi possunt, ita possunt et baptizari, etiamsi parentes obsisterent.

Quæstio itaque est de filiis infidelium, qui Christianis Principibus civili tantum, et politica servitute subduntur. Ejuscemodi enim pueros sine parentum consensu baptizari non posse Thomistæ contendunt; nisi vel ipsi pueri Baptisma petierint, postquam rationis usum attigerint; cum in iis, quæ ad jus naturale

ac divinum pertinent, tunc suæ esse potestatis incipiant: Vel certæ mortis instante periculo, cum tunc jure patriæ potestatis non violato, neque Sacramento aliqua illata injuria, ad æternam vitam parvulus renascatur: Vel denique si consentiant parentum alteruter; eo quod consensus tunc præstatur ab illo, qui naturale jus habet in puerum; et quanquam repugnet parentum alter, prævalere debet assensus ille, qui cedit in favorem religionis, maximamque pueri utilitatem.

Exposito igitur controversiæ sensu, præstat modo præcipua Scotistarum argumenta breviter recensere, quibus illi affirmativam sententiam suadere conantur; ac primum illud esto depromptum ex Scoto in loco superius citato. Potestas inferior obligare non potest in iis, quæ sunt superiori potestati contraria, sicut asserit etiam Augustinus in serm. 62. alias 6. *de verbis Dom.* de quo mentionem fecimus in lib. 15. c. 10. object. 4. Princeps ergo cui regendæ Reipublicæ cura incumbit, magis debet, quantum in se est, cogere unumquemque subdi superiori quam inferiori; ac per consequens maxime debet Princeps tueri dominium supremi Domini, idque agere, ut omnes tam majores quam minores ei subdantur. Quare licet Principi pueros subtrahere dominio parentum infidelium à quibus contra supremi Domini cultum educandi essent, eosque legitimo Dei cultui devovere.

II. argum. Pater non habet jus impediendi salutem temporalem filii; igitur nec æternam: proindeque sicut posset ei invito filius subtrahi, si illum occidere vellet, aut alioqui periclitantem liberare renueret; ita et subtrahi potest volenti eum in infidelitate quæ mortem animæ ingerit, educare.

III. Si pater filium docere vellet artes illicitas, posset auctoritate Principis filius ab eo auferri et alibi collocari rectius instituendus; igitur id multo magis fieri licebit, si filium falsa religione velit imbuere.

IV. Pater jure divino curare tenetur, ut filius Baptisma recipiat: ergo id non curans, atque insuper impedire volens, abutitur patria potestate; adeoque à superiori potestate poterit illi invito subtrahi filius et baptizari.

V. Si pater bona sua prodigat, auctoritate publica dari ei poterunt curatores; ergo si liberos male educet, eadem auctoritate poterit horum cura ei subtrahi, aliisque committi. Hisce rationibus, aliisque similibus permotus Estius vir doctissimus, Scoti opinionem probabilem esse putavit in 4. d. 6. §. 2.

Sed contra Thomistæ reponunt 1. Puerulus invitis parentibus baptizatus aut sub eorum cura relinqueretur, aut illinc subtraheretur vi illata parentibus ipsis invitis. Primum includit manifestum fidei periculum: filii enim à parentibus infidelibus educati eisdem imbuerentur erroribus. Alterum lædit jus naturæ, quod tribuit parentibus potestatem in filios; quippe donec hi ad usum rationis perveniant; ita subjiciuntur patriæ potestati, ut à cura parentum subtrahi nequeant; quemadmodum inquit S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. animalia destituta ratione, atque res aliæ dominorum suorum arbitrio subjectæ.

Verum ex dictis apparet quid objectioni huic Scotistæ respondeant, posse videlicet pueros illos vi illata parentibus subtrahi, quin jus naturale lædatur. Parentes enim nullum ex natura, aut ex alio capite jus habent in filios, ad horum corporalem, spiritualemve perniciem. Imo potius ex lege naturæ tenentur illi baptismum filiis procurare, si noverint esse medium ad eorum salutem necessario requisitum: nosse autem id facile possunt infideles qui Christianis Principibus sunt subjecti; nam nostræ fidei mysteria sufficienter eis proposita supponuntur ob assiduum cum Christiana gente commercium. Ergo licet parens ex lege naturæ habeat potestatem in filios, hanc tamen limitatam, habet, et divinæ potestati subjectam; ita quod non est omnino dominus filii, ut est dominus animalium ratione carentium, aliorumque temporalium bonorum; et ideo in his, quæ sunt contra jus divinum paterni juris explicativum, pater in filium jus omnino non habet: præsens autem casus est de iis, quæ sunt contra jus divinum præcipiens patri, ut filio Baptisma suppeditet: non ergo hoc in casu potestatem habet in filium; proindeque non ei infertur injuria, ut contingeret in ablatione temporalium bonorum, in quæ plena gaudet potestate: quamvis, ut superius dictum est, etiam istis privari potest, si quomodocumque in aliorum perniciem abutatur.

At instant Thomistæ. Quis Principum filios parentibus tali in casu subtrahere, eosque baptizare tentabit? Profecto aut Ecclesiasticus, aut Politicus, aut utraque præditus potestate. Non debet hoc sibi arrogare Princeps Politicus; quoniam ejus auctoritas extenditur tantum ad regimen populi instituendum juxta naturalis, humanique juris præscriptiones. Neque Ecclesiasticus Princeps; quippe ad eum non spectat de iis, qui foris sunt, judicare, ut inquit Apostolus in 1. ad Cor. 5. 12. Qui vero utraque

pollet auctoritate, nihil aliud exequi potest, quam quod illi sejunctim.

Regerunt è contra Schotistæ, quod sicuti Politicus Princeps potestatem habet corripiendi, ac puniendi parentes infideles sibi subditos, si relate ad alias virtutes male, ac contra naturæ legem filios educarent; ita etiam dum contra naruralem, divinamque legem in falsa religione eosdem enutriunt, et à salutari lavacro repellunt: *Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit*: inquit Apostolus ad Rom. 13. v. 4. Et S. Augustinus in lib. 3. contra Cresconium c. 51. ait: *In hoc reges, sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, inquantum Reges sunt, si in suo regno bona juveant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae ad divinam Religionem.* Quamvis enim Princeps Civilis ad finem societatis humanæ Rempublicam moderetur; cum tamen finis ille obtineri non possit, nisi naturale, ac divinum jus sartum tectumque permaneat; idcirco Civilis Princeps jus naturale, et divinum vindicare tenetur. Ergo cum ex dictis appareat, divinam, naturalemque legem parentibus omnibus præscribere, ut filiis Baptisma ministrent; si illi id exequi detrectaverint, poterunt à politica Potestate compelli. Denique licet ad Ecclesiasticum Principem non pertineat de iis, qui foris sunt, judicare, hortari tamen posset, si vellet, Politicum Principem, cui subduntur infideles, ut eorum filios baptizare juberet.

Reponunt 2. Thomistæ. Idem, proportione servata, jus habet Ecclesia baptizandi filios infidelium ante usum rationis, quod habet baptizandi, et trahendi ad fidem quoscumque infideles etiam adultos: atqui Ecclesia non accepit à Christo jus et potestatem cogendi infideles adultos ad fidem, eosque baptizandi invitos; sed potius servandi ordinem naturalis justitiæ, illos alliciendo, et persuadendo, juxta ea Christi verba: *Docete omnes gentes*: non autem ordinem naturalis justitiæ pervertendi, cogendo videlicet eos vi armorum ad Baptismum: ergo pariter non accepit à Christo jus et potestatem, per vim auferendi filios à cura, et sinu parentum, in quorum voluntate voluntas infantis continetur; sed hortandi eos, et persuadendi, ut filiorum baptismo, eorumque instructioni consentiant.

Ita tamen Scotistæ occurrunt. Dum armorum vi ad Baptismum traherentur adulti, jam præsumerentur inviti, et omnino nolentes: at, uti Toletana IV. Synodus anno 633. can. 57. ait,

non inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratia Dei propriae mentis conversione quisque credendo salvatur. Infantes autem, dum invitis parentibus baptizarentur, ipsi Baptismo minime repugnarent: et oppido falsum est, quod relate etiam ad Baptismum voluntas infantis in parentum voluntate contineatur; alioquin illorum infantium baptismus esset invalidus; quod nemo unquam asseruit.

Addunt præterea, quod extraordinario saltem in casu liceat adultos cogere ad Baptismum, et aliquo modo ad fidem compellere; non quidem morte, gravibusque tormentis, sed mitioribus pœnis, puta exilio, vel spoliatione bonorum; ut ita *simpliciter* volentes, quamvis *secundum quid* inviti fidem, ac Baptisma suscipiant. Lege quæ diximus in lib. 24. c. 13. ad 2. argum. Plura etiam huc faciunt, quæ scribit Augustinus in epist. 93. alias 48. ad Vincentium Donatistam, ubi inter alia inquit: *Pagani nos blasphemare possunt de legibus, quas contra idolorum cultores Christi Imperatores tulerunt; et tamen ex eis multi correcti, et ad Deum unum verumque conversi sunt, et quotidie convertuntur.*

Urgent vero Thomistæ, Religiosissimi Principes, necnon Pontifices Summi, sanctitate, doctrina, et zelo religionis insignes, quamquam construxerint pro Neophytis, et Catechumenis domos amplissimas, nunquam tamen parentibus à fide alienis subripuerunt infantes; sed invitando singulos, neminem repellendo, cogendo neminem, servaverunt Christi instituta, et propugnatam à S. Thoma sententiam perpetua consuetudine comprobarunt.

Sed Scotistæ ita hunc nodum expediunt. In hac re, sicut et in aliis multis, non tantum quid liceat, verum etiam quid expediat, videndum est, juxta Apostoli monitum in 1. ad Cor. c. 6. v. 12. Non enim actu facile conditiones occurrunt, quas Ven. Scotus assignat citato in loco n. 2. inquiens: *Si princeps hoc faceret cum cautela bona, scilicet ne parentes prius cognoscentes hoc futurum, occiderent pueros suos, et quod baptizatos faceret religiose educari, bene fieret.* Etsi ergo licitum, non tamen expediens est, invitis parentibus infidelium filios baptizare, 1. quia possent illi hos necare, ne Baptisma reciperent: 2. quia infideles etiam Reges ea agendi ratione lacessiti possent Fidelium filios in superstitionem inducere: 3. quia infideles subditi tumultus ac rebellionem in Christianos Principes excitarent. Quoniam vero

hæc, aliaque ejuscemodi incommoda ex sese non actionis naturam, sed infidelium pravitatem consequerentur; idcirco baptizandi actio *absolute*, ac *simpliciter* licita est, quamvis prudentia dictet eandem actionem omittere: ac propterea Christiani Principes, Summique Pontifices infidelium filios reluctantibus parentibus baptizare minime consueverunt; sicuti neque baptizare solent quorundam hæreticorum filios ipsis invitis; quod tamen omnino licere Thomistæ concedunt.

Objectant postremo Thomistæ cum P. Berti in lib. 31. c. 17. circumcisionis exemplum. Neque enim facta sibi à Domino permissione, neque recepta unquam consuetudine, circumciderunt Hebræi subjectas sibi nationes civili dumtaxat politia, si aut pro se, aut pro puerulis repugnaverunt adulti, uti non obscure colligitur ex Gen. c. 17. et ex Exodi c. 12. itemque ex Josepho in lib. 13. Antiquit. Judaic. c. 8. et 13. Idem ergo in Baptismate initiandis est observandum.

At proptum obviumque habent Scotistæ responsum, non idem de Baptismate ac de circumcisione ferendum esse judicium. Hæc enim quamvis ad delendum originale peccatum fuerit instituta; non tamen pro universo hominum genere, sed tantum pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierant; sicuti neque Mosaica lex pro omnibus singulisque hominibus lata fuit: nam ex ceteris gentibus extitere Fideles, qui sibi suisque parvulis vel per sacrificium, vel per sacramentum legis naturæ, justificationis gratiam comparabant. Evangelica vero lex omnes ac singulos ad sui observationem obstringit, et Baptismus ut unicum justificationis ac salutis remedium datum est. Tenetur itaque quilibet parens filio suo procurare Baptismum; quod nisi præstiterit, poterit Princeps, erga subditos suos coactiva potestate præditus, ad defensionem innocentis pueri patrem cogere, ut eidem Baptisma procuret, ipsumque quam citius à diaboli servitute, et à periculo æternæ mortis eripiat. Sed hac de re inter alios legendus est P. Mastrius in 4. disp. 2. q. 4. a. 1. et 2.

CAPUT X.

An baptizari possint infantes materno adhuc in utero existentes? Quidque de monstruosis foetibus dicendum sit.

Propositio. Infantes materno adhuc in utero clausi baptizari non possunt.

Probatur cum S. Thoma in p. 3. q. 68. a. 11. *De necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur cum baptismus sit quaedam ablutio: corpus autem infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua:* ergo, &c.

Deinde Baptismus est Sacramentum regenerationis: at qui generatus non est, regenerari non potest. Unde Augustinus in epist. 157. olim 57. ad Dardanum ait: *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit*: et paulo infra: *Non video, quomodo aedificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati.*

Præterea, adscisci inter Ecclesiæ membra, quod fit per Baptismum, est dumtaxat eorum, qui prodierunt in lucem, qui fruuntur ceterorum hominum consortio qui ad Ecclesiæ forum pertinent, et in cœtum ejus visibiliter adunantur. Atqui ejuscemodi non sunt infantes, antequam aliqua saltem sui parte egrediantur ex utero. Hinc Seraph. Doctor in 4. d. 6. p. 2. a. 1. q. 1. inquit: *Triplex status distinguitur in homine post animae infusionem. Primus est in utero: secundus extra uterum in statu infantiae: tertius in statu naturae adultae:.... In primo ergo statu cum soli Deo sit notus potest per ejus voluntatem sanctificari, non per nostram cooperationem, cum non cognoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiae: &c.*

Denique, uti recte inquit Ven. Scotus in Reportatis lib. 4. d. 4. q. 3. *Baptismus est materialiter ablutio corporis exterior, et ideo oportet baptizatum necessario ablutum esse, et tangi aqua, aliter non esset Baptismus. Unde si puer involveretur in corio, et immergeretur in puteo, puer non esset baptizatus, quia non est ablutus; et per consequens Baptismus non esset verum signum: et signatum, quod signat, est ablutio animae interior, et per gratiam invisibilem: et ideo si signum non sit ablutio corporis exterior per applicationem aquae ad corpus, est signum falsum; quod est inconveniens.*

At dices 1. Puer in utero matris existens, aliquid matris esse videtur: ergo si baptizetur mater, baptizatur et puer, quamvis nondum ex ejus utero sit egressus.

Resp. cum Angel. Doctore in citato loco, quod *hoc esse non potest, tum quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris, tum quia corpus*

puerperii animati jam est formatum, et per consequens à corpore matris distinctum: et ideo baptismus quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem. Unde Augustinus dicit contra Julianum, lib. 6. c. 14. Si ad matris corpus, id quod in ea concipitur pertineret; ita, ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum etiam ipse baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus, cum esset in utero pertinebat.

Dices 2. Infans in utero infici potest originali peccato: ergo multo magis ab illo poterit expiari; cum efficacius sit Christi donum ap salutem, quam Adæ peccatum ad damnationem, uti scribit Apostolus ad Rom. c. 5.

Resp. originale peccatum contrahi generatione carnali, ideoque statim ac fœtus est animatus: expiatur autem visibili regenerationis Sacramento, ac visibili Ministrorum Ecclesiæ actione, et consequenter postquam fœtus in lucem exivit. Hinc quod adhuc pueri, dum in matris utero concluduntur, ordinario baptismi remedio sanctificari non possint, oritur ex defectu ipsorum infantium, qui minime sunt capaces, ut sibi tale remedium applicetur; non ex inefficacia doni, meritorumque Christi, qui sicuti extraordinaria via B. Virginem, Joannemque Baptistam sanctificavit in utero, ita et omnes posset sanctificare, si vellet. Vide Scotum in 4. d. 4. q. 3. n. 4.

Dices 3. cum quibusdam Recentioribus. Initio puerperii ostium uteri aperitur, ac potest tunc infans per siphunculum, aut clysterem aqua perfundi; ergo et baptizari tunc poterit, quamvis secundum nullam corpusculi sui partem sit egressus ex alvo. Antecedens constat ex Medicorum observationibus, ex quibus potius quæstionis hujusce solutio petenda est, quam ex Theologis. Hi enim idcirco in contrariam abiere sententiam, quod putarent ante nativitatem *ex utero* infantes ablui non posse. At docent oppositum Medici, Anatomici, obstetrices; quibus attendendum esse demonstrat illud Propertii:

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Resp. argumentum istud in Gabrielem Gualdum, aliosque perpaucos opinionis suæ patronos merito retorqueri. Nam, *si navita de ventis, de tauris narrat arator;* Medici, et obstetrices

de corporeo partu, non de regeneratione spiritus, de medicamentorum applicatione, non de administratione Sacramentorum narrare debent; de hac enim audienda est Ecclesia, quæ Apostolicis traditionibus, Sanctorumque Patrum decretis innixa ita præscripsit in Rituali Romano tit. de Baptiz. parvulis: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit.... in illo, si periculum pendeat, baptizetur: et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, &c.* Denique ne baptizetur infans, cujus nulla pars extra uterum apparet, præcipitur etiam in Rituali Gregorii XIII., in Sacramentali Ambrosiano edito jussu S. Caroli, in Manuali Parochorum pro Provincia Salisburgensi, in Pastorali edito pro Ecclesia Mechlinensi jussu Joannis Hauchini Archiepiscopi, in Rituali Sacramentorum ad usum Ecclesiæ Bononiensis, &c. neque tandem in ullo Rituali alicujus Ecclesiæ libro permittitur baptizari puerum, qui *extra uterum* nullam corporis sui partem emiserit. Jure ergo meritoque sententiam nostram docuere Scholastici omnes antiquiores, et ex recentioribus innumeri, paucissimis dumtaxat exceptis.

Neque ratio adducta subsistit. Ex dictis enim apparet, quod ut infans sit capax baptismi, non sufficiat quod ablui possit; sed requiritur etiam, ut natus sit, ut versetur in foro Ecclesiæ, ut in visibilem Corporis Christi compagem possit aptari. Neque demum observatio de aperitione uteri est posterioris ætatis; cum de illa scripserint Hippocrates de Nat. Puer. aliique Medici vetustissimi apud ipsum Gualdum c. 5. et tamen nunquam Ecclesia docuit, ut infantes in utero puerperii tempore baptizentur.

Instabis. Aperto uteri ostio fœtus est sufficienter visibilis: nam aliquando manibus immissis extrahitur; atque etiam in alvo existens, si tenellum illius caput lædatur, cataplasmate juvari potest, et forte curari: quidni etiam juvandus non erit spirituali remedio?

Resp. fœtum in utero non ita esse visibilem, ut versari censeatur in foro, et notitia Ecclesiæ; cum plerumque dignosci nequeat, an sit mortuus aut vivens, an sit homo vel monstrum: et quamvis id tactu perciperetur, non tamen esset talis vita, per quam infans in hominum contubernio, et in Ecclesiæ foro quomodolibet versaretur; et ideo licet capax esset emplastri, non foret capax Baptismatis. Præterea quemadmodum emplastrum apponendum non esset periclitante vita corporis, si inhiberent id Me-

dici, ita in casu non est ministrandum Baptisma, cum id vetet Ecclesia.

Cum autem ex hucusque dictis appareat, periclitantem puerum non esse baptizandum, nisi caput emiserit, aut saltem membrum aliquod præditum vitali motu; oritur quæstio, an aperienda sit mater prægnans, præsertim si Medici de ejus vita desperent, ut spiritali saltem infantis saluti consulatur. Sed nunquam fas est aliquem, etiam periclitantem, occidere, ut alteri succurratur; ideoque tunc dissecto matris utero extrahendus est fœtus, cum mater extremam obierit diem. Id vero, quoniam Rituales libri, Theologi omnes, ipsaque naturalis legis rudimenta inconcussum, atque exploratissimum esse declarant, non est prolixiori disquisitione expendendum. Lege S. Thomam in p. 3. q. 68. a. 11. ad 3.

Quod postremo ad monstruosos partus attinet, cum Rituali Rom. in §. supra citato notandum est, magnam in illis baptizandis adhibendam esse cautionem, ac si opus fuerit, consulendum Episcopum, aliosque peritos, nisi periculum mortis immineat.

Monstrum quod humanam speciem non præ se ferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo, &c.*

Illud vero, de quo dubium est, una ne, aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita, unum, vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, et animæ, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi unicuique dicendo: *Ego te baptizo, &c.* Si vero mortis periculum immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit Minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.*

Quando vero non est certum, in monstruo duas esse personas, vel quia duo capita, et duo pectora bene distincta non habet: tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* De his plura leges apud Gotti, Sotum, Sylvium, aliosque.

CAPUT XI.

Ubi de adultorum Baptismo disseritur.

De adultorum Baptismate hic agentes, primum advertimus veram sinceramque intentionem in eis exigi, ut valide possint Sa-

chramentum accipere; uti etiam in superioris libri c. 13. propos. 2. notavimus. Nemo enim ingredi in Ecclesiam potest, nisi volens: unde Baptismati interrogatio illa præmittitur, *Vis baptizari?* ac reipsa confertur Catechumeno respondenti, *Volo.*

Ut vero licite iidem adulti Baptisma recipiant, oportet, quod illis dispositionibus instruantur de quibus egimus in lib. 23. c. 4., fide videlicet, spe, Dei dilectione, et pœnitentia; ac denique dum suscipere Baptisma proponunt, novam vitam inchoent, Deique mandata custodiant necesse est. Has enim dispositiones ad Baptismum requiri semper agnovit Ecclesia, quæ tot præviis catechesibus, ac probationibus informabat eos, qui baptizari petebant; sicuti ex notitia Catechumenatus ostenditur.

Catechumenus itaque, græce, Κατηχούμενος, ille dicitur, cui viva voce fidei elementa traduntur; est enim participium passivum verbi κατηχέω, quod idem sonat, ac *instruo*, *erudio*, *elementisque religionis instituo.* Tres autem in classes à pluribus Theologis Catechumeni distinguuntur; scilicet in *Audientes*, *Genuflectentes*, et *Competentes.* Nonnulli vero sentiunt *Genuflectentes* non fuisse diversos à *Competentibus*, qui crebris orationibus, ac pœnitentiis subjiciebantur; classesque Catechumenorum ita distribuunt, ut prior sit *Audientium*, *Competentium* altera, tertia *Electorum*. Alii denique aliter arbitrantur, quorum hic opiniones referre non vacat; legendum tamen hortamur P. Berti in lib. 31. c. 20.

Qui ergo Christianam Religionem cupiebant amplecti, præsentati Episcopis inter *Catechumenos* recipiebantur, facto illis signo Crucis in fronte, aliisque servatis ritibus, de quibus infra tractabimus. Deinde ad audiendum Dei verbum admittebantur in eam Ecclesiæ partem, quam hodie *navim* appellamus, in qua certum est habitas olim fuisse conciones. Quare idem locus, in quo Catechumeni consistebant, κατηχούμενοι, idest, *Auditorium*, dictum est, ipsique Catechumeni, *Audientes.* Hi primam classem constituunt, et si vim nominis attendamus, proprie sunt *Catechumeni*, nimirum, *Edocti*; quamquam eo nomine late accepto designentur *Competentes* quoque, et *Electi.*

Catechumenis dabantur Eulogiæ, sive panis benedictus, qui quædam erat corporis Christi figura. Concione autem audita ab Ecclesia dimittebantur, clamante ex ambone Diacono, *Catechumeni discedite*, ne illis mysteria patefierent, ob arcani scilicet disciplinam. Interrogabantur ante discessum, an sectari vellent eam vivendi rationem, fusisque pro ipsorum salute precibus, iis-

demque abeuntibus, sequebatur Missa Fidelium, incipiens ab offertorio: atque hinc pars Missæ præcedens *Missa Catechumenorum* appellabatur.

Expleto Catechumenatus, sive *Audientiae* tempore, pro Episcoporum discretione, et qualitate initiandorum, longiori, aut breviori, qui Baptismi desiderio flagrabant, ad illum admitti supplici demissione petebant. Hi sunt, qui secundam Catechumenorum stationem tenent, scilicet *Competentes*. Unde Isidorus in lib. 8. Orig. c. 4. inquit: *Competens vocatur, cui post instructionem fidei competit gratiam Christi. Inde à petendo competens vocatur*. Ex quo patet, *Competentes* post *Audientes* esse locandos. Baptismum ergo petebant in terram prostrati, nomenque suum dabant, ac interim assiduis orationibus incumbebant; ut constat ex Tertulliano in lib. de Bapt. c. 19. ex Augustino in lib. de Fide et Oper. c. 6., ex Nazianzeno orat. 40., ex Cyrillo Jerosol. catechesi 3. aliisque; qui etiam scribunt eo temporis Catechumenos confessos patrata crimina, non sacramentali Confessione, sed ea, quæ ipsorum conversionis, meliorisque propositi foret indicium: atque ita omni conatu se ad percipiendam regenerationis gratiam præparabant.

Interim quoque Ecclesia omnem adhibebat diligentiam, ne initiarentur indigni, instituto circa Competentes examine, quod *scrutinium* vocabatur. Septem vero scrutinia ex Ordine Romano fiebant, à tertia hebdomada in Quadragesima usque ad Sabbatum sanctum: et si quis Catechumenorum interea temporis flagitium aliquod perpetrasset, ad *Audientium* classem remittebatur. Præcipuum vero scrutinium habebatur feria 4. majoris hebdomadæ, quæ propterea *dies scrutinii* dicta fuit, ut scribunt Rupertus de Divinis Officiis lib. 4. c. 18. Hugo Victorinus 1. de Sacram. c. 17. Dufresne, Martenius, aliique.

Nisi prioribus scrutiniis *Competentes* inventi fuissent indigni, illis Symbolum tradebatur, et dicebantur *Electi*: quo nomine designantur qui initiandi, aut consecrandi sunt, priusquam initientur, aut consecrentur, ac præsertim Episcopi. Hoc nomine appellantur Catechumeni in Ordine Romano, ubi agitur de *die scrutinii*, idest feria 4. majoris hebdomadæ, ad quam Fideles omnes invitantur his verbis: *Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscitis: ibidem solita devotione, succedente sequenti quarta feria, circa horam tertiam convenire dignemini.*

In majori itaque hebdomada accepto Symbolo *Competentes* dicebantur *Electi*: immo Casalius contendit *Competentes* appellatos fuisse *Electos* eo tantum die, quo baptizabantur, ex Siricio epist. 1. ad Himerium c. 2. Ut autem se res habeat, *Electos* ad sublimiorem Catechumenorum classem pertinere compertum est. Symbolum tradebatur in die Palmarum, ex Alcuino de Div. Offic. cap. de Dom. Palm. et Isidoro lib. 1. c. 27. Idcirco Dominica Palmarum *Pascha Competentium* vocabatur. Reddebant Catechumeni Symbolum, sive illud memoriter recitabant in Sabbato sancto paulo ante Baptismum, juxta Romanæ Ecclesiæ morem, alibi vero ipsum feria quinta reddebant. Denique una cum Symbolo Catechumenis *Oratio Dominica* tradebatur, quam in proxima Paschali solemnitate post Eucharistiam recitabant.

Quæ hactenus dicta sunt, non obscure demonstrant, quod hac nostra ætate quamvis antiqua Canonum disciplina quoad Catechumenos non servetur, nec amplius triplex exposita Catechumenorum classis in usu sit; si tamen Baptismum petat adultus, paganus, aut Judæus, aut baptizatus in hæresi absque debita materia, vel sine præscripta forma verborum, non ille statim ac sine delectu tingendus est; sed ejus est exploranda voluntas, dandaque opera, ut rite ad justificationis gratiam disponatur per virtutum actus superius recensitos. Unde Rituale Romanum in tit. *de Bapt. adultorum* ait: *Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum Apostolicam regulam in Christiana fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas, et propositum saepius explorari, et non nisi sciens, et volens, probeque instructus baptizari.*

Oritur hic quæstio, quid observandum sit circa adultum Catechumenum, qui ante expletum catecheseos tempus infirmitate corripitur, præsertim si obmutescat, neque divinum munus expostulet. Sed si præ oculis habeantur quæ in lib. 24. c. 13. diximus, profecto perspicuum est, Catechumenum illum esse baptizandum, cum ad suscipiendum Baptismum intentio interpretativa sufficiat. Hinc Augustinus in lib. 1. de Adulterinis Conjugiis c. 26. scribit: *Catechumenis ergo in hujus vitae ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Imo eodem in lib.

c. 28. censuit S. Doctor baptizandos illos esse, quamvis scelerosam vitam duxerint ad subitum usque morbum, præ cujus gravitate usum vocis ac rationis amiserint. Quia vero opponi poterat, Quis scit, an illi tunc deposuerint peccati affectum, velintque Baptisma suscipere? respondet Augustinus c. 26. *Sed non solum incredibile est, nec in fine vitae hujus baptizari Catechumenum velle; verum etiamsi voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare: ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, non se oportere de corpore exire.* Ita sentit S. Augustinus, ea tamen modestia, ut oppositum sentientes damnare non audeat. Hic recolenda sunt quæ scripsimus in lib. 24. c. 4. dub. 4. quæque habet P. Berti in lib. 31. c. 21. q. 3.

Præterea quæri potest, quo tempore solemnis adultorum Baptismus sit celebrandus. Hac autem de re in Rituali Romano jure ita præscribitur: *Decet autem hujusmodi baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari. Quare si circa haec tempora Catechumeni sint baptizandi; in ipsos dies, si nihil impediat, baptismum differri convenit. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes, aliqui conversi fuerint, qui aegre ferant suum baptisma in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique, ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.*

Ratio autem, cur Romani Pontifices ex perantiqua traditione, et ex Ecclesiarum consuetudine prædictis diebus conferendum Baptisma statuerint, eruitur ex Tertulliano lib. de Bapt. c. 19. ubi ait: *Diem baptismo solemniorem Pascha praestat, cum et passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia Spiritus Sancti dedicata, et spes adventus Domini subostensa.* Similia docet Leo M. epist. 16. ad Episcopos Siciliæ. Æquum est igitur, ut adulti prædefinito tempore baptizentur.

Quia vero quæ ad disciplinam pertinent, variationem sæpenumero patiuntur, non est tempus illud necessario observandum. Invenimus quippe aliquando collatum fuisse Baptismum in die Epiphaniæ, ut testantur Walafridus Strabo in lib. de Rebus Eccl. c. 26. Victor Vatensis in lib. 2. de Persecut. Vandalica, et Joannes Moschus in Prato Spirit. c. 214. Scribit etiam Avitus Vien-

nensis epist. 7. Clodovæum Francorum Regem eo die baptizatum, *quo natum Coeli Dominum mundus accepit.* Denique ut citato in loco inquit Tertullianus; *Omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo*: quod legitur et apud Basilium in exhort. ad Baptismum.

Postremo de amentibus, et furiosis id notamus quod præcipit Rituale Romanum, eos nempe baptizandos non esse, nisi à nativitate tales extiterint; tunc enim idem de illis, ac de infantibus, judicium faciendum est; possuntque in fide Ecclesiæ baptizari. Si vero lucida habeant intervalla, dum sunt mentis compotes, regenerandi sunt, si velint. Quod si antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderunt, ac instet vitæ periculum; etiamsi non sint mentis compotes, sacro sunt tingendi lavacro. Idem quoque dicendum est de eo, qui lethargo, phrenesive laborat; ut nempe dum vigilat, et intelligit, baptizetur; nisi periculum mortis immineat, si in ipso priùs suscipiendi Baptismi voluntas apparuit. Huc spectant quæ in lib. 24. c. 13. retulimus ex Innocentio III. c. *Majores*, de Baptismo. Denique pro Energumenis eadem regula tenet, ut patet etiam ex Concilio Eliberitano can. 37. et ex Arausicano I. can. 15.

CAPUT XII.

Quod de Baptismi necessitate pertractat.

Circa Baptismi necessitatem non tantum Manichæi, Archontici Pelagiani, aliique antiquiores hæretici à vero plurimum aberrarunt, verum et recentiores, quos inter Joannes Wicleff, teste Thoma Valdensi tomo 2. de Sacram. c. 96. putavit, etiam de lege ordinaria, pueros absque Baptismo decedentes justitiam, salutemque per Christi merita adipisci. Bucerus autem in c. 3. Matth. asseruit, pueros prædestinatos etiam sine Baptismo salvari, non prædestinatos vero damnari etiam cum Baptismo. Autumavit Calvinus, baptizatorum filios fieri salvos absque regenerationis lavacro, adultos autem per solam fidem obtinere justitiam. Socinus denique commentus est Baptismi nomine in sacris litteris Evangelicam significari doctrinam; et *baptizari aqua* idem esse dixit, ac *fidem Christi palam testari*; quod vel usitata baptismatis ceremonia fieri potest, vel quacunque alia ratione.

Ex Catholicis vero Cajetanus in p. 3. q. 68. a. 2. scribit, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum baptismi à

parentibus, aliisque conceptum, sufficiens esse ut illi salventur; præsertim si morientes Deo offerantur cum aliquo exteriori signo, puta, Crucis, et invocatione SS. Trinitatis. Quod idem in a. 11. ejusdem quæstionis affirmat, de parvulis, qui in matrum uteris periclitantur.

Propositio 1. Baptismus necessarius est omnibus ad salutem *necessitate medii*: adultis insuper, qui Evangelicæ legis notitiam habent, et libero utuntur arbitrio, necessarius est *necessitate praecepti.*

Probatur 1. pars. Illud ad salutem necessarium est necessitate medii, sine quo salus ipsa obtineri non potest. At sine Baptismate salus obtineri non potest: Christus enim Joan. 3. v. 5. ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quam Domini sententiam Catholica Ecclesia de aquæ Baptismo, ejusque necessitate semper intellexit, ac perpetua observatione intelligendam ostendit, quippe quæ hoc Sacramentum tanquam ad salutem necessarium materna sollicitudine semper omnibus adhibendum curavit, neque pro Christianis habuit, qui eo initiati non essent.

Sed et Dominus ipse sententiæ suæ rationem proferens, addit v. 6. *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex Spiritu, spiritus est*; quasi diceret: Cum omnis homo carnalis et peccato obnoxius nascatur ex Adam, spiritualis autem et justus, ideoque et salvus fieri non possit, nisi per Spiritum Sanctum renascatur, siquidem caro seipsam spiritualem efficere nequit, restat ut ad illud adminiculum confugiatur, per quod Spiritus Sanctus instituit, et sine quo non vult homines spirituales efficere. Hoc autem est lavacrum aquæ, et quidem veræ, propriæ ac naturalis, ut etiam in hujusce libri c. 2. probavimus. Quare fit consequens, unumquemque debere ex Spiritu Sancto renasci per aquam.

Idem ostenditur ex aliis Scripturæ textibus, ac præsertim ex illo Petri in epist. 1. c. 3. v. 21. *Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma*; ita nimirum, ut sine eo non sit salus, sicut diluvii tempore nemini extra arcam salus fuit.

Ecclesiasticis quoque definitionibus dogma istud adstruitur. In Diospolitano Concilio Pelagius *anathematizare compulsus est, infantes etiamsi non baptizentur habere vitam aeternam*; ut refert S. Augustinus in epist. 106. ad Bonifacium, nunc 186. ad Paulinum. Item Carthaginense IV. in epist. Synodica ad Innocen-

tium, inter Augustinianas 90. nunc 185. scribit: *Quicunque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Postremo Tridentinum sess. 7. can. 5. ait: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Sequuntur et Patres. Ambrosius in lib. 2. de Abraham c. 11. n. 84. exponens citata Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* inquit: *Nullum excipit, utique non infantem, non aliqua praeventum necessitate.* Augustinus lib. 1. de Peccat. Mer. c. 16. *Quisquis ex concupiscentia carnis, et lege peccati et mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, sed etiam à damnatione peccati liberetur: sicut enim per primum hominem in peccato et morte nascuntur, sic etiam per Christum in justitia et vita aeterna in baptismo renascuntur.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 3. *Ex isto tempore, quo Salvator noster dixit:* Si quis renatus non fuerit, &c. *absque sacramento baptismatis nec Regnum coelorum potest quisquam accipere, nec vitam aeternam.* Alia plurima sunt Conciliorum, et Patrum oracula, quæ in brevitatis gratiam omittuntur.

Probatur 2. pars. Omnes quippe adhibere media illa tenentur, quæ ad consecutionem æternæ vitæ necessario requiruntur; nec aliam, si media illa non curent, excusationem habere possunt, nisi latæ legis invincibilem ignorantiam. Adulti itaque libertatis usum habentes, si annuntiatum illis sit Evangelium, præcepto suscipiendi baptismatis obstringuntur. Comprehendi autem in Evangelica lege baptismi præceptum constat ex c. 28. Matth. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* constatque ex Apostolorum praxi, Act. 2. et 8. &c. Lege S. Thomam in p. 3. q. 68. a. 1.

Ex dictis refutata manet etiam Cajetani sententia, cum Patres ea Christi verba, *Nisi quis renatus, &c.* tum de parvulis, tum de adultis intelligant; doceantque, parvulos, nisi reipsa baptizentur salvari non posse. *Nulla igitur*, inquit Augustinus in lib. 1. de Peccat. Mer. c. 23. *ex nostro arbitrio praeter baptismum Christi, salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis ingeniis praeferenda.* Hinc merito hæc Cajetani opinio communi Theologorum consensione rejicitur, et à quibusdam etiam inter hæreses recensetur, ipsamque S. Pius V. à Cajetani commentariis expungi mandavit.

Objicies 1. Etsi Christus Joan. 5. v. 54. dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; non tamen inde consequitur, Eucharistiam esse etiam parvulis necessariam: ergo licet ipse dixerit: *Nisi quis renatus fuerit, &c*, non sequitur, &c. Et sane parvuli præceptorum vi obstringi non possunt: ergo neque primum, neque alterum Christi mandatum ad illos spectat.

Resp. primi ac secundi testimonii disparem esse rationem. Illud enim, *Nisi quis renatus, &c.* Baptismi necessitatem ostendit, quia ex carne nascitur caro, idest, quia originalis noxa generatione trajicitur; et ob hanc, non ob transgressionem Baptismatis, parvuli non Baptizati Cœlorum regno privantur; *veluti*, inquit Estius in 4. d. 4. §. 27. *si dicamus phrenetico tale, vel tale pharmacum esse necessarium, non propter praeceptum, cujus non est capax phreneticus; sed quia sine tali pharmaco curari non potest.* Dominici vero præcepti, *Nisi manducaveritis, &c.* diversa prorsus est forma; quoniam Christus his verbis non absolute, ac in tertia persona loquitur, sed in secunda compellat adultos: quamquam et ad parvulos mandatum illud spectet, si de spirituali manducatione loquamur; per quam Fideles Christi Corpori inseruntur. Denique repetenda disparitas est ex Christi institutione et voluntate nobis in Scripturis et traditione Ecclesiæ declarata, qua constat Baptismum quidem, non vero Eucharistiam, judicatum semper fuisse absolute necessarium ad salutem.

Objicies 2. Deus Gen. 17. v. 7. pactum statuit cum Abraham, et semine ejus, *foedere sempiterno.* Atqui hæc promissio per fidem spectat ad filios baptizatorum, ex Apostolo ad Rom. 4. v. 13. et 9. v. 8. Igitur filii baptizatorum per solam fidem, et absque visibili Sacramento æternam promissionem poterunt adipisci.

Deinde, ex eodem Apostolo ad Rom. 11. v. 16. filii credentium sunt *Rami sancti ex sancta radice* pullulantes, et in 1. ad Cor. c. 7. v. 14. *sancti et mundi* dicuntur. Non ergo idigent salutari lavacro.

Denique, post effusum Christi sanguinem facilius est salutem consequi, quam in veteri lege; in ea autem sola interdum fides defectum Sacramenti supplebat.

Resp. ad 1. nego consequentiam: sicut enim Judæi procreati ex semine Abrahæ participes fœderis sempiterni non erant, nisi

circumcisionis signum acciperent; ita nunc filii fidelium non sunt filii promissionis, nec reputantur in semine, nisi in baptismo consepulti sint Christo: et sicut delebatur anima pueri incircumcisi de populo Dei, ob præscriptum legis, *Masculus, cujus praeputii caro, &c.* ita quisquis baptismo non regeneratur, à Dei regno propellitur, juxta Christi sententiam, *Nisi quis renatus, &c.* Ceterum Apostolus ad Romanos scribens redarguit Judæos circumcisionem, legisque Mosaicæ observationem jactitantes, demonstratque homines justificari *per fidem Christi*, nequaquam exclusis Sacramentis, virtutum operibus, et Evangelicis institutis.

Ad alterum ex Rom. 11. v. 16. dicimus, Apostolum ibi non loqui de sanctitate proprie dicta, qua quis in se justus est et Dei amicus, sed de analogica duntaxat ac metaphorica sanctitate, qua Deo aliquid consecratur. Affirmat enim, Judæos non ita rejectos à Deo, quin ad illum aliquando sint convertendi; nempe quia sanctorum Patrum filii sunt, proindeque et ipsi morali quadam æstimatione, et quasi analogica sanctitatis aspergine, sunt sancti Deoque dicati. Sic locus, sic pecunia, sic vestes divino dicatæ servitio, sanctæ dicuntur. Sic denique sanctus omnis Judæorum populus vocabatur.

Eodem pariter genere sanctitatis, extrinsecæ scilicet et civilis, sancti mundique in citato ad Cor. loco nuncupantur filii ex alterutro fideli parente progeniti; utpote qui ex legitimo matrimonio orti sunt, et industria parentis fidelis facile possunt in fide instrui, baptisma recipere, veramque sanctitatem acquirere; juxta quem sensum eodem in v. legitur: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.*

Ad 3. quod Cajetani argumentum est, responsio patet ex dictis in lib. 24. c. 6. et in hujusce libri c. 10. ubi diximus præsens remedium longe esse facilius, quod in communi obvioque elemento perficitur, habetque ex se efficientiam, non ex fide ministri. Neque unquam infantes absque visibili Sacramento regenerati fuerunt, et maternis in uteris decedentes, nullo prorsus tempore, ab originariæ labis reatu fuere purgati.

Propositio 2. Baptismus flaminis, idest ardens baptismi votum perfectam cordis contritionem includens, supplet in adultis necessitatem baptismi fluminis, idest aquæ.

Probatur ex S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 2. a. 1. q. 1.

Joan. 11. v. 16. Christus ait: Omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. *Sed Justi credunt, et fideles sunt, antequam baptizentur: ergo si moriantur in tali fide, non moriuntur in aeternum.*

Item: Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani dicit: Ille quem regeneraturus eram, gratiam quam poposcit, non amissit. *Ergo ille qui mortuus erat non regeneratus, erat salvus sine baptismo aquae: ergo baptismus poenitentiae sine isto dat salutem.*

Item: Gratia gratum faciens est dispositio sufficiens ad salutem: dispositio autem ad gratiam est in toto corde ad Deum redire, et ab errore discedere; et hoc totum potest esse per Dei gratiam sine baptismo fluminis: ergo aliquis solo Spiritus Sancti baptismate salvari potest.

Denique, *Deus nullum obligat ad impossibile, et nulli se negat requirenti ipsum: si ergo aliquis qui non potest baptizari, ad Deum convertitur, Deus convertitur ad ipsum. Sed hoc non est nisi per collationem Spiritus Sancti, et hoc est baptizari baptismo flaminis: ergo, &c.*

Firmatur præterea thesis ex Tridentino Concilio in sess. 6. c. 4. ubi ait, quod justificatio *post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit, &c.* Similia docet in sess. 7. cap. 4. de Sacram. in gen. Legendi sunt etiam hac super re Augustinus in lib. 4. de Bapt. c. 22. et Bernardus in epist. 86. ad Hugonem Victorinum.

Objicies ea Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Nemo enim ita renascitur, nisi aquæ baptismo mundetur: ergo nemo per solum baptismi votum in regnum cœlorum ingreditur.

Et sane Act. 10. legitur, quod Cornelius, et qui cum eo erant, prius receperunt Spiritum Sanctum, et postmodum baptizati sunt aquæ baptismo: ergo baptizati baptismo flaminis ad recipiendum baptismum fluminis obligantur: ergo per solum flaminis baptismum salus obtineri non potest.

Resp. ex seraph. Doctore ibidem: *Ad illud quod objicitur de Domini mandato, et ad illud de Cornelio, patet responsio: quia utrumque intelligitur in eo, qui facultatem habet, et non praepeditur necessitate. Nam Cornelius locum et tempus habebat, et Domini mandatum affirmativum, eum qui poterat obligabat.*

Instabis. Ambrosius in lib. 2. de Abraham c. 11. n. 84. recitata Evangelii sententia, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* inquit:

Nullum excipit, utique non infantem, non aliqua praeventum necessitate. Augustinus etiam tract. 4. in Joan. et alibi negat Catechumenum sine baptismo justificari.

Resp. Ambrosium, et Augustinum accipiendos de infantibus; ac de Catechumenis, qui cum sibi justi videantur, virtutem Sacramenti contemnunt; et in quibus licet sit fides aliqua, et etiam charitas initialis, cum tamen non sit illa conversio cordis, quæ inesse non potest *contemnenti baptismum*, nec etiam est tale votum, quod salvet hominem inopinata morte præventum. Ut enim laudato in loco ait S. Bonaventura, *quis potest salvari non percepto sacramento baptismi; sed non potest baptismi sacramento contempto. Tunc autem contemnit, cum baptizari potest, et locus, et tempus se offert; et negligit: et tunc etiam privatur baptismo flaminis, quia à gratia cadit.* Ad has denique aliasque Patrum sententias exponendas expedita via est, si dicamus, baptismi nomine ipsum etiam baptismi desiderium comprehendi, quando necessitas actualem ejus perceptionem excludit; ut bene notat Estius in 4. d. 4. §. 18.

At urgebis. Ecclesia per quinque priora sæcula non consuevit sacrificia, et preces offerre pro Catechumenis absque baptismo defunctis. Censuit ergo baptismi votum minime necessitatem ejusdem Sacramenti supplere.

Resp. ob negligentiam contemptumque quorundam Catechumenorum procrastinantium baptisma ad provectam usque ætatem, ut diutius improbis moribus indulgerent, jure canone 17. Concilii Bracarensis anno 563. aliisque Ecclesiæ statutis definitum esse, ne Catechumeni illi sine sincera cordis conversione defuncti, sanctorum communione fruerentur: atque hujusmodi disciplina consultum est ceteris, ut salutaribus undis ablui festinarent. Non fuit tamen universalis illa disciplina, ut constat ex can. 89. Concilii. IV. Cartaginensis anno 398. et ex can. 12. Concilii II. Arelatensis anno 452.

Notamus ultimo cum S. Bonaventura, *quod parvulus si haberet baptismum flaminis sine baptismo aquae, nunquam damnaretur. Quod ergo damnatur, hoc est, quia privatus baptismo aquae, caret gratia Spiritus Sancti: quia aliter ad gratiam non potest disponi, quantum est de jure communi, nisi Deus faciat de privilegio speciali; sicut in sanctificatis in utero. Sed adultus de sententia communi potest per fidem, et dolorem de peccatis ad gratiam disponi, secundum illud Ezech.* 33. Quacunque ho-

ra ingemuerit peccator, vita vivet, &c. *Unde non est simile de parvulo, et de adulto; quia unicuique plus valet fides sua, quam aliena: et ita adulto plus valet voluntas sua, quam parvulo voluntas aliena: nec damnatur parvulus propter transgressionem praecepti, sed propter culpam originalem, quae remanet non deleta.*

Propositio 3. Martyrium quod *sanguinis baptisma* vocatur, supplet baptismi aquæ vicem tum in adultis, tum in parvulis.

Probatur cum S. Augustino in lib. 13. de C. D. c. 7. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit*: Si quis non renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum: *alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dicit*: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: Matth. 10. v. 32. *Et alio loco*: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam: Matth. 16. v. 25. *Hinc est quod scriptum est*: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: Psal. 115. v. 15. *Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur?*

Huc etiam facit quod ait Christus Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Perfecta autem charitas peccata omnia delet, ac prorsus expungit.

Et re quidem vera, si, ut superius dictum est, salutem non amittunt, qui sincere ad Deum conversi necessitate aliqua præpediuntur, ne desideratum aquæ baptisma suscipiant, quanto id magis asserendum est de illis, qui tantam in Deum fidem habent ac dilectionem, ut pro eo etiam mortem obire non dubitent? Profecto Ecclesia semper credidit martyrium vicem supplere baptismatis. Cujus quidem convenientissima ratio hæc à Patribus assignatur: Quia cum baptismus aquæ fiat in mortem Christi, juxta Apostolum Rom. 6. v. 3. Martyres illam non in figura tantum, sed in veritate referunt et imitantur; videlicet cum Christo et pro Christo morientes, ut non in aqua, sed in sanguine suo baptizati merito recteque dicantur. Apposite S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 2. a. 1. q. 2. ait: *In baptismo sanguinis amplior, et plenior est imitatio, et professio passionis Christi, quam in baptismo aquae: nam ibi est professio verbo, et signo sine actu,*

hic autem non solo signo, et actione, sed et passione. Unde in baptismo aquae mors significatur, hic autem suscipitur: unde quia expresior est ibi professio fidei, ideo efficacior. Vide etiam S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 12.

Præterea Cyprianus in epist. 77. ad Jubajanum de Catechumenis pro fide occisis inquit: *Sciant Catechumenos nec privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis martyrio, de quo et Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari, &c.* Et Basilius de Spiritu Sancto c. 15. ait: *Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, revera pro Christo mortem perpessi, nihil hujusmodi sacramentis, quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in propio baptizati sanguine.* Vide et Tertullianum in lib. de Bapt. c. 16. Cyrillum Jerosol. catech. 8. Ambrosium orat. de obitu Valentin. n. 53. &c.

Quæ diximus, tenent etiam de infantibus pro Christo necatis; quoniam et hi proprio sanguine baptizantur. Neque ad martyrium requiritur nativitas *ex utero*; cum illud non sit secunda nativitas supponens primam, et etiam in utero clausi possint Christi stigmatibus insigniri. Hinc universi Patres, et Ecclesia semper infantes Bethlehemiticos tanquam martyres venerati fuere. Quare S. Augustinus in lib. 3. de Lib. Arb. c. 23. scribit: *Non enim frustra etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, id honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.* Alios quoque, præter occisos ab Herode, puerulos tanquam Martyres Ecclesia colit; ut Modestum, et Ammonium, in Rom. Martyr. pridie idus Februarii, et decem alios idibus Julii. Lege Baronium in notis ad Martyrol. Romanum V. Kal. Jan.

Ex dictis complures Theologi magna cum probabilitate concludunt, martyrium valere ex opere operato ad abluenda peccata, præstandamque salutem. Id enim in primis evincitur ex martyrio parvulorum; quibus *ex singulari privilegio*, non *per se* profuisse martyrium, affirmant quidem nonnulli, sed istud nullo valido argumento demonstrant. Præterea Patres non tantum baptismo martyrium comparant, verum et hoc asserunt illo esse præstantius. Ex quo autem martyrium in adultis requirat fidem, charitatem, cordisque conversionem ad Deum, inferendum minime est, martyrium in illis ex opere operato gratiam non conferre, neque per se efficax esse ad delenda peccata; nam

et baptismus ejuscemodi dispositiones in adultis expostulat.

CAPUT XIII.

De Baptismi effectibus, gratia scilicet, et charactere. Ubi de iis agitur, qui Baptisma ficte suscipiunt.

Omnes baptismi effectus ad duo generatim capita revocantur; ad gratiam nempe et characterem. Quod ad gratiam 1. pertinet, quæ in lib. 24. c. 14. diximus, non obscure demonstrant illam per Baptismum ex opere operato conferri. Hujuscemodi vero gratiam singulares quædam prærogativæ sequuntur; quarum prima est, quod homo dicatur, ac sit regeneratus et renovatus Spiritu Sancto, ad Titum 3. v. 3. natus ex Deo, Joan. 1. v. 13. ex aqua et Spiritu Sancto renatus, Joan. 3. v. 5. Dei filius, ad Gal. 3. v. 26. Dei hæres, et cohæres Christi, ad Rom. 8. v. 17. aspersus a conscientia mala, ad Heb. 10. v. 22. ablutus, sanctificatus, justificatus, 1. ad Cor. 6. v. 11. membrum Christi, ac templum Spiritus Sancti, ibidem c. 15. v. 19. Hos omnes effectus enumerat Chrysostomus in hom. ad Neophytos, cujus verba recenset etiam Augustinus in lib. 1. contra Jul. c. 6.

Ex his etiam patet, Baptismum omnia peccata, tum originale, tum actualia, vere proprieque delere. Quare S. Petrus, Act. 2. v. 38. ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et Apostolus ad Ephes. 5. v. 26. scribit, quod Christus Ecclesiam sanctificaverit, *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitae.* Hunc Baptismi effectum prædixerat Ezechiel c. 36. v. 15. dicens: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Denique Patres dogma istud perpetuo docuerunt; quos inter Augustinus in lib. 1. de Peccat. Mer. c. 15. inquit: *Generante carne illud tantummodo trahitur, quod est originale peccatum: regenerante autem Spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* Lege S. Thomam p. 3. q. 69. a. 2. et S. Bonaventuram in 4. d. 4. p. 1. a. 1. q. 1.

Præterea per Baptismum simul cum omni culpa aufertur etiam omnis reatus pœnæ, non solum æternæ, sed etiam temporalis. Constat id ex antiqua Ecclesiæ praxi, quæ Catechumenis baptizatis nullam unquam satisfactoriam pœnam imposuit. Imo si quis in mortis periculo baptizatus, postea conva-

luisset, nulli amplius labori, aut satisfactioni subdebatur; quamquam Catechumenatus spatium minime percurrisset. Non ita vero cum pœnitentibus illa se gessit; nam hi recuperata valetudine in eam pœnitentiæ classem reverti tenebantur, in qua ipsos morbus invaserat. Signum est igitur, existimasse Ecclesiam, quod per Baptismum omnis omnino pœna solvatur. Unde Augustinus in lib. 2. de Peccat. Mer. c. 28. ait: *Si continuo* (post baptismum) *consequatur ex hac vita migratio; non est omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant.* Idem quoque docuit Synodus Florentina in decreto pro Armenis, et Tridentina in sess. 5. can. 5.

Hac autem in re notanda censemus, quæ scribit S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 1. a. 1. q. 2. »Ab omni æternali pœna absolvit »Baptismus delendo omnem culpam. De temporali vero distin»guendum; quia quædam contrahuntur, quædam assumuntur. »Contrahuntur autem, sicut fames, et sitis, et passiones contem»poraneæ vitæ: *(has Theologi usitatius poenalitates appellant).* »Quædam imponuntur, et assumuntur, ut jejunia, et corporalia, »et spiritualia exercitia, et laboriosa opera. Baptismus ergo absol»vit ab omni pœna æternali: absolvit nihilominus ab omni pœna »temporali satisfactoria, sive assumpta: non autem ab omni con»tracta, utpote à fame, siti et infirmitate, et ceteris pœnis talibus. »Ratio autem hujus est, quod Deus ad hoc ipsum non ordinavit. »Et ratio, quare non ordinavit, est, quia congruum fuit, quod »hujusmodi pœnalitates in nobis relinqueret: et hoc ad manifes»tandam æquitatem divini judicii, ad demonstrandum fructum »passionis Christi, ad promovendum meritum liberi arbitrii. Ad »manifestandam æquitatem divini judicii, ut illa sententia quam »dictaverat, de morte Adæ, et posterorum ejus, immobilis perma»neret; unde ab illa nemo evadit.

»Ad ostendendum fructum passionis Christi: quia si Domi»nus curaret naturam, et fomitem, filius nasceretur immunis à »culpa, nec indigeret regenerari à Christo; ideo ut omnes se ip»sius passione noscant egere, data est virtus Sacramento à passio»ne; sive ad hoc ordinatum est, ut pœnas remittat personales, »non naturales, quia remedium respicit personam, non naturam.

»Ad amplificandum meritum liberi arbitrii. Promovent enim »ad bonum multipliciter hujusmodi pœnalitates. Dantur enim »propter humilitatem, Job 6. v. 4. *Sagittae Domini in me sunt,* »*quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Propter timoris in-

»cussionem, Job ibidem: *Terrores Domini militant contra me.* »Propter sui ipsius cognitionem, Isaiæ 28. v. 19. *Tantummodo »sola vexatio intellectum dabit auditui.* Propter stimulationem »ad bonum, Michææ 2. v. 10. *Surgite, et ite, quia non habetis »hic requiem.* Propter exemplum non peccandi, Zach 13. v. 5. »*Adam exemplum meum ab adolescencia mea.* Propter exerci»tium virtutum, Judicum 3. v. 1. *Hae sunt gentes, quas Domi»nus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem.* Propter hoc ut sit »signum adoptionis filiorum, Hebr. 12. v. 8. *Si extra disciplinam »estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non »filii estis.* Propter hoc etiam, ut nemo accipiat hoc in retributio»nis præmium; ne scilicet homines propter hoc ad Baptismum »venirent. Si enim daretur ibi immortalitas; propter hoc plures »accederent, quam propter gratiam: nec fides tunc haberet meri»tum, cui humana ratio præberet experimentum: ex Gregorio »hom. 26. in Evang."

Denique supradictæ etiam pœnalitates virtute Baptismatis in resurrectione sunt auferendæ, quando ut ait Apostolus in 1. ad Cor. 15. 54. *Mortale hoc induerit immortalitatem, et fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.* Lege S. Thomam in p. 3. q. 69. a. 3.

Alter præcipuus Baptismi effectus est character, de quo cum actum sit in lib. 24. c. 28. non oportet, ut iterum diseramus. Notandum vero hic superest, quod adulti, qui simulato animo, idest, interna fide destituti, aut cum peccati mortalis affectu ad Baptismum accedunt, etsi gratiam non recipiant, recipiunt tamen characterem; dummodo non baptizentur inviti, et omnino coacti. Ut enim ait Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 14. *Non interest, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest.*

Ad percipiendam vero gratiam debent adulti, qui ficte ad baptisma accesserunt, credere, et pœnitentiam agere; nam remota fictione Sacramentum baptismatis reviviscit, et gratiam justificationis impertit. Unde Augustinus de baptismo ficte suscepto scribit in lib. 1. c. 12. *Tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Et in lib. 3. c. 13. idem docet de hæreticis, asserens tunc illis ad dimitenda peccata valere baptismum, *cum ad Ecclesiae pacem venerint:* nec aliter de Chris-

tianis, qui solum verbis, et non factis sæculo renunciant, scribit in lib. 4. c. 3. affirmans hoc illis veram conversionem præstare, *Ut Sacramentum, quod non mutatis valebat ad perniciem, mutatis valere incipiat ad salutem.*

Hujusce autem assertionis ratio obscura non est. Originalis enim peccati remissio obtineri non potest, nisi per baptismum in re, vel in voto susceptum: atqui is qui ficte ad baptismum accessit, recedente fictione, remissionem illam obtinere non potest per baptismum de novo in re susceptum; quia qui semel valide baptizatus est, non est iterum baptizandus: neque per baptismum in voto; quia jam baptizatus nequit habere votum iterum suscipiendi baptismum cum Sacramentum istud iterari non possit. Ergo originalis peccati remissio hoc in casu obtinetur per baptismum, qui jam ante ficte susceptus, postea reviviscit, suumque sortitur effectum: alioquin actum profecto esset de salute ejus, qui baptismum ficte recepit; cum per pœnitentiæ Sacramentum non originale peccatum, sed actualia solummodo post baptismum commissa tollantur.

Objectare hic solent 1. quod baptismi susceptio in simulantibus sit *opus mortuum;* ideoque reviviscere nequaquam potest. 2. Dum removetur obex, baptisma non amplius existit; ergo nequit aliquid operari. 3. Fictio baptisma præcedit, et tamen potest per solam pœnitentiam remitti: idem igitur dicendum est hoc in casu de originali peccato, aliisque præcedentibus baptisma cum fictione susceptum.

At 1. cum S. Bonaventura in 4. d. 4. p. 1. a. 2. q. 3. respondemus, *quod baptismus non est opus hominis, sed Dei: et ideo nunquam potest esse mortuum. Illud autem, quod dicitur de operibus mortuis, intelligitur de operibus nostris.*

Ad alterum ait S. Doctor, quod *character semper manet, et illud efficit, quod faceret gratia, fictione recedente.* Ita etiam respondet S. Thomas in p. 3. q. 69. a. 10.

Subtilius autem argumentum istud diluit Ven. Scotus in Reportatis lib. 4. d. 4. q. 5. inquiens, *quod fictus fictione recedente statim recipit gratiam baptismalem, quam etiam recepisset in baptismo, nisi obex fictionis tunc infuisset; non quia character impressus in baptizato aliquid disponat, vel agat ad susceptionem gratiae, ut dicit Richardus; sed Deus ex eadem pactione, qua assistit suo signo efficienti ad conferendam gratiam, si fictio tunc temporis non infuisset, eadem confert gratiam fictio-*

ne recedente, quod fuit impedimentum quare gratia non infuit.

Ad 3. In eo qui ficte baptismum recipit, multiplex actus distingui potest. Primus, quo simulate ad baptismum venire deliberat; et iste cum susceptionem baptismi præcedat, non pœnitentia, sed ipso baptismo deletur. Alter fictionis actus in ipsa sacrilega baptismi susceptione potest intelligi; et hunc per pœnitentiam tolli passim Scotistæ propugnant, quibus vero simile non videtur, tale fictionis peccatum directe oppositum baptismo, et ejus effectui, per ipsum baptismum esse delendum. Tertius denique fictionis actus concipi potest post baptismi susceptionem elicitus; quando nempe cum fictionem deponere teneatur, id præstare contemnit: et hoc peccatum proculdubio per Pœnitentiam aufertur.

Hic tandem advertimus, quod si quis ante susceptum Baptisma consequeretur cum voto Sacramenti remissionem peccatorum; adhuc tamen per ipsum regenerationis lavacrum, quod contemnere nemo debet, plura gratiarum emolumenta perciperet; idest, characterem, incrementum gratiæ, plenam remissionem pœnæ in altera vita subeundæ, majorem constientiæ tranquillitatem, cooptationem invisibilem Christi Ecclesiam, et jus ad Sacramenta cetera, quibus Fideles in idem religionis nomen coadunati roborantur, in fide nutriuntur, sanantur aliosque passionis Christi fructus uberrimos assequuntur.

CAPUT XIV.

De Ceremoniis, quas in Baptismi collatione usurpat Ecclesia.

Breviter hoc in capite de præcipuis Baptismi ritibus tractatori, eos cum Catechismo Rom. in p. 2. c. 2. n. 60. in tres classes pro majori facilitate distinguimus: alii enim baptisma præcedunt, alii comitantur, alii denique subsequuntur.

Qui itaque baptismo initiandi sunt, afferuntur, vel adducuntur ad Ecclesiæ fores, atque ab ejus introitu prohibentur tanquam indigni, qui Dei domum ingrediantur, antequam turpissimum diaboli jugum excusserint.

Tum accedens Sacerdos ab eis exquirit, quid ab Ecclesia petant; et respondentibus illis, vel per se, si adulti; vel per alios, si infantes sint, se baptismum petere, traditur Catechismus, sive Christianæ fidei doctrina, quam in baptismo profiteri tenentur. Hujuscemodi autem consuetudo à Christi præcepto manavit,

Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Sequitur postea exorcismus, qui ad expellendum diabolum ejusque frangendas vires, sacris, et religiosis verbis, precibusque conficitur. Proinde Sacerdos ter in faciem ejus, qui initiandus est, insufflat; ut flatu antiqui serpentis expulso, amissæ vitæ spiraculum consequatur. De hoc vetustissimo ritu inter alios meminere Justinus M. in Dial. cum Tryphone, Cyrillus Hieros. in Catech. Myst. 2. Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 5. et præcipue Augustinus tum alibi, tum signanter in lib. 1. de Peccat. Mer. c. 34. ubi ab exorcismo: quo parvuli in baptismo exsufflantur, demonstrat in eis originale peccatum.

Exorcismum sequitur salis infusio in os baptizandi, per quod, ut ait Catechismus Rom. citato in loco n. 66., signatur, *eum fidei doctrina, et gratiae dono consecuturum esse, ut à peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, et divinae sapientiae pabulo delectetur.* Quamvis autem ritus iste non servetur à Græcis, perantiquus est tamen; eundemque commemorant Carthaginensis III. Synodus can. 5. Ambrosius lib. 10. in Lucam n. 48. Augustinus lib. 1. Confess. c. 11. aliique complures.

Sacerdos præterea Crucis signo communit frontem, oculos, pectus, humeros, aures, nares, et os baptizandi; per quod ostenditur baptismi mysterio sensus baptizati aperiri, ac roborari, ut Deum excipere possit, ejusque præcepta intelligere, ac servare. De hoc signo illustria apud Patres testimonia frequenter occurrunt, ejusque antiquitas neque à Luthero, neque à Calvino, neque ab hereticis aliis denegatur.

Postea vero illi nares, auresque saliva liniuntur, statimque ad baptismi fontem mittitur; ut sicut Evangelicus cæcus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit; ita etiam intelligamus sacræ ablutioni vim illam inesse, ut menti ad cœlestem veritatem percipiendam lumen impertiat. Quamvis autem Græci hac ceremonia non utantur, antiquam tamen eandem esse colligitur ex Ambrosio in lib. de Myst. c. 1. et Augustino tract. 44. in Joan.

Hisce peractis, ad baptismi fontem accedunt, ubi Sacerdos ita baptizandum interrogat: *Abrenuntias satanae, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus?* Et ille, aut ejus nomine Patrinus, respondet, *Abrenuntio.* Tum Sacerdos intingit pollicem

in oleo Catechumenorum, et baptizandum in pectore, et inter scapulas in modum Crucis inungit. Indeque rursus interrogatur: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* ac de aliis item Symboli articulis rogatus, respondet, *Credo.* Quærit postremo Sacerdos à baptizando, vel ejus Patrino, num baptizari velit; ipsumque annuentem statim in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti salutari unda baptizat.

Rejiciunt heterodoxi abrenuntiationes, quæ fiunt in administratione baptismi; at prorsus immerito, cum apud Veteres frequentissima illarum occurrat mentio, ut apud Tertullianum de Corona c. 3., Cyprianum epist. 6. ad Rogatianum, aliosque sæpissime, quos inter Basilius de Spiritu Sancto c. 27. abrenuntiationes ex Apostolica traditione descendisse demonstrat, inquiens: *Reliqua item quae fiunt in baptismo, veluti renuntiare diabolo, ex qua Scriptura habemus?* Quod si quis dixerit, parvulos ratione non uti, neque gestantium verba percipere; reponemus cum Augustino in postremo Opere contra Julianum lib. 2. n. 224. *quod abrenuntient et parvuli per ora gestantium, sicut credunt per ora gestantium.*

De Catechumenorum oleo, quo baptizandi in pectore, et inter scapulas liniuntur, mentionem faciunt Græci, Latinique Patres, ex quibus Cyrillus Jerosol. Catech Mystag. 2. ait: *Illud exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatae.* Et Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 2. *Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus saeculi luctaturus.*

Recte etiam in baptismate adhibentur qui baptizatum è sacro fonte levent, eumque in fide instituant, et qui *Susceptores, Sponsores, Compatres*, et *Patrini* dicuntur. Horum meminit Tertullianus in lib. de Bapt. c. 18., Basilius, Chrysostomus, Augustinus, &c. Circa hunc ritum adnotare sufficiat, quæ Doctor Angel. habet in p. 3, q. 67. a. 7. in respons. *Spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Unde dicitur 1. Petri 2.* Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite. *In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, et paedagogi, informando, et instruendo eum, quasi novitium in fide de his, quae pertinent ad fidem, et vitam Christianam: ad quod Praelati Ecclesiae vacare non possunt, circa communem curam populi occupati. Parvuli enim,*

et novitii indigent speciali cura praeter communem.

Post absolutum vero baptisma Sacerdos summum baptizati verticem chrismate perungit, ut intelligat se ab eo die Christo Capiti tanquam membrum esse conjunctum, ejusque Corpori insitum, ac ea re Christianum à Christo, Christum autem à chrismati appellari. De hac unctione loquitur etiam Innocentius I. in epist. ad Decentium c. 3.

Deinde veste alba baptizatus induitur, per quam regenerationis gratia designatur; admoneturque regeneratus, ut in vitæ innocentia, animique candore perseveranter incedat. Infantibus autem, qui vestibus non utuntur, linteolum candidum ad hoc idem denotandum imponitur. De hac ceremonia agunt Ambrosius lib. de Myst. c. 7. Augustinus serm. 223. alias 81. de Diversis n. 1. Paulinus epist. 12. ad Severum, &c.

Postea ardens ei cereus in manum traditur, uti signum fidei charitate ardentis, quam in baptismo acceptam, bonorum operum studio, alere semper, et augere tenetur. Hunc ritum ex vetustissima consuetudine venientem laudant Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in S. Lavacrum, et Augustinus in Psalmum 63.

Denique notamus baptizato nomen imponi, quod quidem ab aliquo sumendum est, qui propter excellentem animi pietatem, et religionem in Sanctorum numerum relatus est. *Ita enim*, inquit Catechismus Rom. in loco citato n. 75. *facile fiet, ut quivis nominis similitudine ad sanctitatis, et virtutis imitationem excitetur; ac praeterea, quem imitari studeat, eum quoque precetur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi, tum corporis defendendam venturum esse.* Quare idem Catechismus, ac Patres etiam passim hortantur, ne gentilium nomina pueris imponantur; de quo legendus est Chrysostomus hom. 2. in Gen. et hom. 12. in epist. 1. ad Cor. et Theodoretus serm. 8. de Græc. affect.

Breviter postremo nonnullas addimus ceremonias, quæ in desuetudinem abierunt. Ac primo certum est, traditam olim baptizatis Eucharistiam tum adultis, tum etiam parvulis; ut liquet ex Tertulliano de Bapt. c. ult., Ambrosio de initiandis c. 8., Paulino epist. 12. ad Severum, Augustino pluribus in locis, &c. Ritum hunc Græca adhuc observat Ecclesia; Latina non item: qua de re legendum est Concilium Tridentinum in sess. 21. c. 4.

Deinde baptizatis mel, et lac degustanda dabantur; ut patet ex Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6. Tertull. de Corona c. 3. aliis.

que. Dulce etiam vinum alicubi præbebatur. Quo sane ritu divinam misericordiam, gratiam regenerationis, legisque Evangelicæ suavitatem designatam fuisse perspicuum est.

Imponebatur etiam baptizatorum capiti sertum, ut apparet ex Nazianzeno Orat. 40. in Sanctum Lavacrum, et ex Ordine Baptismi Æthiopum, qui Severo Alexandrino tribuitur, idque erat symbolum lætitiæ, et regalis ac sacræ initiationis, necnon Evangelicæ libertatis. At de his, aliisque Baptismi ritibus obsoletis plura reperies apud P. Berti in lib. 31. c. ult. aliosque Auctores ab ipso citatos: ac interim pro præsenti capite recolenda monemus, quæ in lib. 24. c. 19. diximus, ostendentes, Ecclesiam jure prudenterque sacros præcepisse ritus, eosque sedulo ab omnibus esse servandos. Legite insuper S. Thomam in p. 3. q. 66. a. 10. et q. 71. a. 1., 2., 3. et 4. et S. Bonaventuram in 4. de 6. p. 2. a. 3. q. 1. et 2.



DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

LIBER XXVII.

Ubi de Confirmationis Sacramento disseritur.

Inter novæ legis Sacramenta secundum locum obtinet Confirmatio, quæ sic dicitur ab effectu; quia videlicet gratiam in Baptismo perceptam auget, confirmatque, ac ipsum baptizatum adversus fidei hostes sua virtute corroborat. Hujusce vero nominis antiquitas apparet ex 1. canone Concilii I. Arausicani, ex can. 2. Concilii III. Arelatensis, &c. Appellatum est etiam idem Sacramentum *Perfectio*, sive *Consummatio* ab Illiberitano Concilio can. 38. et à Cypriano in epist. 73. ad Jubajanum, &c. ob prædictam scilicet rationem, quod baptizatum perficiat, eumque ple-

niori gratia roboret, et confirmet. Præterea propter *unctionem* dicitur *Sacramentum Chrismatis* ab Augustino in lib. 2. contra lit. Petil. c. 104. et *Oleum sanctificatum* in lib. 5. de Bapt. c. 2. ac item à Græcis *Chrisma spirituale*, *sanctum*, *supercoeleste*. Ab inungendi autem ritu, sive potius à *charactere*, Confirmatio dicitur *Sigillum* ac *Signaculum*, apud Eusebium lib. 3. H. E. c. 17. Cyprianum in laudata ad Jubajanum epistola, Ambrosium de Mysteriis c. 7. &c. Vocatur denique à Veteribus *manus*, seu *manuum impositio*, ob ceremoniam, quæ in ejus celebratione adhibetur; quamvis nomen istud, et ceremonia non huic tamtum Sacramento conveniat.

CAPUT I.

Num Confirmatio sit verum, propriumque novae legis Sacramentum?

Propositio affirmativa: est de fide contra Lutherum, Calvinum, eorumque gregales.

Probatur 1. ex Scripturis. Actorum c. 8. v. 14. et seq. legitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et ibidem c. 19. v. 5. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.* Quibus in locis describitur Confirmatio uti sensibile signum, per manuum scilicet impositionem; describiturque vis gratiæ effectiva, cum Baptizati per signum illud Spiritum Sanctum acciperent. Habet itaque Confirmatio quidquid exigitur ad verum propriumque novæ legis Sacramentum.

Probatur 2. ex Veterum traditione. Tertullianus in lib. de Bapt. c. 7. scribit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotio solebant*: et cap. proximo: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, et invitans Spiritum Sanctum*: tribuitque unctioni etiam spiritalem effectum, inquiens: *Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit; quomodo et*

ipsius baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritalis effectus quod à delictis liberamur.

Cyprianus in epist. 73. ad Jubajanum postquam citatum Petri et Joannis factum citat, adjungit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.* Scribit etiam S. Doctor cum aliis Episcopis in epist. 70. ad Numidas: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.*

Ambrosius in lib. 3. de Sacram. c. 2. *Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis*, Episcopi scilicet, *Spiritus Sanctus infunditur.*

Denique S. Augustinus in lib. 2. Contra Lit. Petiliani c. 104. ait: *In hoc unguento* (de quo Lucæ c. 24. v. 47.) *Sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse et in hominibus pessimis*, idest, quantum ad characterem.

Laudatis Patribus adjungendi sunt alii omnes, ac præcipue Irenæus lib. 1. Contra Hæreses c. 21. alias 18. et lib. 4. c. 38. Clemens Alex. apud Eusebium lib. 3. H. E. c. 23. Cyrillus Jeros. Catech. 3. Mystag. ubi prolixe perspicueque de hoc Sacramento pertractat, Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, et Chrysostomus hom. 8. in Act. Apost.

Summorum quoque Pontificum testimoniis idem dogma fulcitur, ut patet ex epist. Cornelii ad Fabium Antiochenum quæ extat apud Eusebium lib. 6. H. E. c. 43. ex epist. Innocentii I. ad Decentium c. 3. ex epist. 88. S. Leonis ad Germaniæ et Galliæ Episcopos, ex epist. 9. lib. 4. S. Gregorii, et ex epist. 45. lib. 10., &c.

His demum accedit perpetuus ac constans Ecclesiæ Latinæ, et Græcæ consensus, quo septem admissa sunt Sacramenta, quemadmodum in lib. 24. c. 7. dictum est; neque demonstrare possunt hæretici, quis primum Confirmationem inter Sacramenta retulerit. Ut autem Tertullianus ajebat de Præscript. c. 21. *Constat omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli à Christo,*

Christus à Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei.

Ex quibus profecto omnibus evidenter apparet, quam merito Synodus Tridentina sess. 7. de Confirmatione hunc canonem primum ediderit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum, et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi, fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Et canonem 2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Quæ etiam doctrina colligitur ex Illiberitana Synodo can. 38. Laodicena can. 48. ac postremo, ut alias omittamus, Florentina in Decreto pro Armenis.

At contra superius dicta opponunt 1. hæretici, in Actibus Apostoli non de sanctificante gratia, sed de linguarum dono, spirituque prophetico sermonem institui. Illud enim spiritum conferebant Apostoli, de quo Joelis 2. v. 28. legitur: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, &c.* Vide Act. 2. v. 17. et Marci ult. v. 17. Hunc autem *spiritum* esse spiritum propheticum satis constat.

Illum præterea spiritum Apostoli conferebant, quem Simon oblata pecunia flagitabat, inquiens: *Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum*, Act. 8. v. 19. At Simon eum dumtaxat *spiritum* cupiebat, quo haberet, ut ait Augustinus enarrat. 3. in Psal. 30. *non gratiam, sed potentiam, non unde liberaretur, sed unde extolleretur*; donum videlicet miracula perpetrandi.

Tum, in ea manuum impositione deest promissio gratiæ, Christique mandatum; quod ad Sacramentum proprie dictum exigitur. Nullibi enim invenitur Christum præcepisse Apostolis, ut hac ceremonia uterentur, ac multo minus ad illam promisisse collaturum se beneficia gratiarum.

Postremo, nullum in adductis Scripturæ textibus oleum sentitur, nullum balsamum odoratur: desunt et verba, quæ nisi ad elementum accedant, Sacramentum rebus, verbisque constans haberi non potest.

Resp. ad 1. quod qui Spiritu Sancto repleti erant, non solum linguis loquebantur, ac prophetabant; verum etiam timore omni

deposito annuntiabant Christi nomen, libenti animo contumelias tolerabant, Evangelium apud incredulos contestabantur, Spirituque interius movente Dei magnalia proferebant. Duæ ergo diversæ res sunt, accipere Spiritum Sanctum, et linguis loqui; sive gratia corroborari, et patrare miracula: prior est effectus præcipuus, permanens, ac perpetuus; id est, Sacramento semper adnexus, si cum debita præparatione percipiatur: alter vero transiens fuit, et ad tempus pro dilatanda nascentis Ecclesiæ fide concessus. Unde Augustinus in lib. 3. de Bapt. c. 16. ait: *Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiae primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.* Idem quoque legitur apud Chrysostomum in lib. 1. de Compunct. Cordis c. 8. Atque ita ad 2. similiter respondetur.

Ad 3. Temere prorsus asseritur præter mandatum, et institutionem Domini Apostolos ea ceremonia usos fuisse, excogitasse quod tam eximia virtus, qualis est Spiritus Sancti largitio, inesset ceremoniæ à se usurpatæ pro libito, et absque Magistri præscripto. Præterea oppositum ex traditione colligitur.

Ad ultimum. Hoc in capite tantum inquirimus, num in Confirmatione deprehendatur signum sensibile gratiæ, seu ratio veri Sacramenti, idque ex Apostolicis Actibus eruatur. Quod vero Dallæus objectat, ad sequentes pertinet quæstiones, ubi de Confirmationis materia, ac forma tractabitur. Denique circa Sacramenti hujus institutionem legenda monemus, quæ diximus in lib. 24. c. 8.

CAPUT II.

Ubi de essentiali hujus Sacramenti materia disputatur.

Lutherus, Melanchthon, Calvinus, Beza, Dallæus, aliique perditissimi Novatores, impositionem manus, poteaquam visibilis illapsus Spiritus Sancti cessavit, tanquam inutilem ceremoniam reprobarunt; et Chrismatis unctionem dixerunt oleum diaboli mendacio pollutum, pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, ungendisque calceis sine sacrilegii crimine destinandam.

Horum impudentiam etsi Scholæ Theologi summa concordia detestentur, in assignanda tamen essentiali materia Confirmationis, salva fidei unitate, dissentiunt. Petrus Aureolus, Isaacius Habert, Jacobus Sirmondus, aliique in sola manuum impositione materiam hujus Sacramenti constituunt; fatentur autem unctionem esse antiquissimam, neque ullatenus omittendam. E contra S. Thomas, S. Bonaventura, Ven. Scotus, et non exiguus Scholasticorum numerus, materiam ipsam in Chrismate ponunt; horumque plures existimant Chrisma loco impositionis manuum fuisse receptum, ut innuere videntur Œcumenius, et Synodus Moguntina.

Quidam insuper, ut Ruardus Tapperus, et Joannes Morinus, utramque materiam disjunctive censent essentialem, adeo ut unam, vel alteram adhibere sufficiat. Permulti denique, quos inter Juenin, Tournely, Gotti, et Berti, adæquatam Confirmationis materiam simul in Chrismate, ac in manus impositione reponunt.

Propositio. Essentialis materia Confirmationis tum in manuum impositione, tum in Chrismate adæquate consistit.

Probatur. Essentialis materia Sacramenti Confirmationis est sensibile signum illud, per quod baptizatis tribuitur gratia Spiritus Sancti, ut firmiter credant, fidemque intrepide fateantur: atqui hujusmodi gratia tum per manuum impositionem, tum per Chrisma tribuitur: ergo adæquate Confirmationis materia in utroque consistit.

Probatur minor quoad 1. partem ex testimoniis superiori in cap. adductis, quibus plura addere facillimum est, illudque præsertim Hieronymi adversus Luciferianos: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum Sanctum.* Augustinus etiam in lib. 15. de Trin. c. 26. postquam affirmat Apostolos orando, et manus imponendo dedisse Spiritum Sanctum, adjungit: *Quem morem in suis Praepositis etiam nunc servat Ecclesia.* Item Chrysostomus hom. 18. in Act. Apostol. ex quo Philippus per impositionem manus non dederit à se regeneratis Spiritum Sanctum, infert hanc fuisse peculiarem Apostolorum facultatem, et idcirco idem nunc præstari ab Ecclesiæ Præsulibus, non à ceteris baptizantium; *Igitur* (ait S. Doctor) *hoc erat in Apostolis singulare: unde praecipuos, et non alios videmus hoc facere.* Theodoretus insuper in epist. ad Hebr. c. 6. de iis, qui crediderunt, ait: *Accedunt ad divinum baptismum, et per manum sacratam accipiunt gratiam Spiritus.* Idem denique plures alii Patres expresse, pla-

ne, perspicueque testantur; quod nempe ut olim Apostoli, ita nunc Episcopi omnes, dum baptizatis manus imponunt, eisdem Spiritus Sancti gratiam largiantur: Ergo manus impositio Sacramenti Confirmationis essentialis materia est. Lege P. Berti in lib. 32. c. 5. propos. 1.

Probatur minor quoad ad 2. partem textibus in cap. præced. relatis, quorum nonnulli manuum impositionem, nonnulli etiam chrismati tribuunt gratiæ roborantis effectum: quæ vero nunc addimus, assertionem nostram clarius comprobant, demonstrantque. Augustinus tract. 3. in epist. Joan. n. 5. ait: *Unctio spiritalis ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Cyrillus Alex. comment. in Joelem hæc inter alia scribit: *Accessit item usus olei, qui per sacrum baptismum in Christo justificatis ad consummationem conferret.* Gregorius M. in Sacramentario ait neophytos confirmari, dum Pontifex *tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte.*

His adde, quod Concilium Florentinum in Decreto unionis inquit: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae; et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto.* Hisce similia leges apud S. Bonaventuram in 4. d. 7. a. 1. q. 2. concinitque S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 2.

Tridentinum quoque Concilium in sess. 7. can. 2. ita decrevit: *Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Ex quo nonnulli recte videntur inferre, sententiam, quæ statuit, Chrisma esse essentialem Confirmationis materiam, talis esse generis, ut si non spectet ad fidem, sperni tamen et repudiari absque inconsideratæ temeritatis nota non possit. Essentialis ergo materia Confirmationis adæquate sumpta tum ex manuum impositione, tum ex chrismate constat.

Objicies 1. contra 1. partem. Græci non manuum impositione, sed solo chrismate ad conferendam Confirmationem utuntur; et tamen validam illam ratamque habet Ecclesia. Ergo manus impositio non est essentialis hujus Sacramenti materia. Antecedens constat ex Græcorum Euchologiis, quæ nullam impositionis manuum faciunt mentionem; constat etiam ex Græcis Patribus, qui Sacramentum istud nunquam impositionem manuum appellarunt.

Deinde neque modo apud Latinos per manuum impositionem neophyti confirmantur, sed per chrismatis unctionem. Eugenius

enim IV. in Decreto pro Armenis postquam affert verba ex Actibus Apost. c. 8. inquit: *Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Et Innocentius III. cap. *Cum venisset*, ait: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio modo dicitur Confirmatio.*

Ad 1. reddi responsio illa potest, quam in lib. 24. c. 2. tradidimus, Christum nempe non in specie, sed in genere solum, hujusce Sacramenti determinasse materiam, et Ecclesiæ arbitrio reliquisse, ut vel manuum impositionem, vel unctionem chrismatis usurparet. Quare licet Ecclesia Græca non manus impositionem, sed unctionem dumtaxat adhibeat, potest apud illam Confirmationis Sacramentum ratum validumque subsistere.

At 2. reponimus, aliquos Græcorum Patres expressè meminisse impositionis manuum, qua Spiritus Sanctus ad robur accipitur; idque patet ex Chrysostomo et Theodoreto superius laudatis, et ex Firmiliano Cæsareensi epist. 75. inter Cyprianicas, et ex aliis Græcis etiam post exortum schisma Scriptoribus, quorum testimonia Tournely, Berti, aliique recensent. Quemadmodum ergo citati nunc Græci non excludunt unctionem; ita qui unctionem commemorant, manuum impositionem nequaquam excludunt.

Ad Græcorum deinde Euchologia dicimus unctionem ipsam absque manus impositione non fieri, et istam in illa comprehendi; proindeque qui unius meminit, alterum quoque commonstrat. Nam Auctor Constit. Apost. lib. 3. c. 15. de baptizato loquens scribit: *In manus impositione caput ipsius unget Episcopus.* Idemque colligitur ex Simeone Thessalonicensi in lib. de Templo, et ex Jacobo Goario in notis ad Euchologium Græcorum pag. 367. Scribit etiam ex Latinis Beda in Psal. 26. *Illa unctio, quae per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.* Si ergo nunc Episcopi neophytum consignantes, eum manu tangunt, et ungunt; in ipsa frontis chrismatione simul impositio manuum continetur.

Idem denique sensus est verborum, quæ ex Innocentio, et Eugenio objiciuntur; quasi dicerent: Sacramentum, quod Apostolorum tempore manuum impositio vocabatur, deinde dictum est Confirmatio; habita scilicet ratione ad gratiam, quam producit. Et sane Pontifices illi non asserunt chrismationem, sive unctionem, nunc inductam fuisse pro impositione manuum, hac sublata. Sed Eugenius tantum affirmat, *loco impositionis manus da-*

ri: *Confirmationem.* Confirmationem, inquit ille, non chrismationem. Sicut ergo ex his verbis nequit inferri, impositionem manuum non fuisse olim veram Confirmationem; ita non infertur, manuum impositionem nunc in chrismatione haudquaquam includi.

Ex hucusque dictis eruitur etiam, quod dum antiqui Scholæ Doctores pro materia Confirmationis chrismationem assignant, simul innuant manus impositionem, ac dum unum exprimunt, alterum præsupponunt; ut Gotti, Berti, aliique probarunt, quibus ex Subt. Doctoris mente adhæsit etiam P. Mastrius in 4. disp. 2. q. 8. a. 1.

Objicies 2. contra 2. partem. Scriptura Act. 8. et 19. commemorans collatam ab Apostolis Confirmationem, altum facit de unctione silentium. Sola ergo manuum impositio est hujus Sacramenti materia.

Resp. nullius esse ponderis argumentum istud negativum ex Scripturæ silentio, cum positiva nobis ratio suppetat ex traditione, et Ecclesiæ praxi, quæ cum constans ac perpetua fuerit, manifestat se ab ipsis Apostolis ad nos usque manasse. Ut enim recte ait Augustinus in lib. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Unde etiam Ven. Scotus in Report. lib. 4. d. 7. q. 1. Schol. 1. inquit: *Supponendum est, quod Christus hanc formam, et materiam, quibus modo utimur, etiam per se instituerit, et per ministrum aliquem authenticum, etiamsi ipsius institutio non exprimatur, promulgaverit; quia, sicut dicit Damascenus lib. 4. cap. 4. multa tradita sunt ab Apostolis, quae non sunt scripta.*

Ceterum ex argumento deduci dumtaxat potest, Christum quorundam Sacramentorum materiam non determinasse nisi dumtaxat in genere; quam nos opinionem probabilem esse censemus. Lege quæ diximus in lib. 24. c. 2. Lege item Berti, Tournely, Gotti, &c. apud quos etiam alia quædam objecta diluta reperies.

Remanent autem hic nonnulla dubia exponenda, quæ ad Confirmationis materiam pertinent, illudque est I. num ad chrismatis compositionem sufficiat quodcunque oleum, puta ex juglandibus, amygdalis, nucibus, seminibus; an vero olivarum oleum necessario requiratur?

Resp. ex unanimi Theologorum consensu requiri oleum olivarum. Hinc Doctor Angel. in p. 3. q. 72. a. 2. ad 3. ait: *Proprietates olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocunque alio oleo; unde et ipsa oliva semper frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritus Sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu, ubi haberi potest: quilibet autem alius liquor ex similitudinem hujus oleum nominatur, nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum: et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, et quorundam aliorum Sacramentorum.* Et sane Ecclesia tum Latina, tum Græca in conficiendo chrismate semper oleum olivarum adhibuit, uti constat ex ritualibus utriusque Ecclesiæ libris.

Dubium 2. num balsamum oleo permiscendum sit necessitate Sacramenti, an vero sola necessitate præcepti?

Resp. diversam hac in re esse Doctorum opinionem, pluresque pro utraque parte rationes ab illis afferri, quas recensere non vacat. Probabiliter autem arbitramur, quod admixtio illa necessitate Sacramenti minime requiratur, I. quia nonnulli Patres de Confirmatione agentes, olei meminere, non balsami, ipsamque *Sacramentum olei* nuncuparunt. Hos inter Augustinus in lib. 16. de Trin. c. 26. et in lib. 17. de C. D. c. 10. chrisma comparat cum eo, quo Reges ungebantur in veteri Testamento: certum est autem, quod illi solo oleo ungebantur.

2. Innocentius III. cap. *Pastoralis*, Extra de Sacram. non iterandis, ait: *Nos consulere voluisti, si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum; sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum.* At si nullum fuisset sine balsamo Sacramentum, non tantum supplendum quod in eo defuerat, verum et iterandum fuisset omnino, cum essentiali materia caruisset.

3. denique, hæc balsami admixtio non magis pertinere videtur ad Sacramenti substantiam, quam admixtio triginta trium fragrantium rerum, quas præter oleum et vinum Græci ad chrisma conficiendum usurpant, uti ex eorum Euchologio constat. Dicendum est itaque, quod ex antiqua tantum Ecclesiæ institutione ac præcepto facienda sit illa permixtio.

Dubium 3. an chrisma necessario debeat ab Episcopo consecrari?

Resp. 1. certum apud omnes esse conseerationem chrismatis, jure saltem ordinario, ad solos Episcopos pertinere. Id constat ex epist. Innocentii I. ad Decentium, et ex epist. S. Leonis ad Episcopos Germaniæ, et Galliæ Sacramentarium etiam Gregorii, Ordo Romanus, Pontificale, et Euchologia Græcorum eandem consecrationem committunt Episcopis. Neque aliter statuunt Conciliorum canones, ut canon tertius Concilii II. Carthag. anno 390. trigesimus sextus Concilii III. anno 397. vigesimus Toletani I. anno 400. aliique quos referunt Berti, Gotti, Witassius, Estius, &c.

2. dicimus quod quamvis certum omnino non sit, an hujusmodi consecratio simplici Presbytero possit ab Apostolica Sede committi; probabilior tamen nobis videtur affirmativa complurium Theologorum assertio. Nam Concilia, Romanique Pontifices dum chrismatis consecrationem Presbyteris vetant, nullam divini præcepti faciunt mentionem; non ergo divino, sed Ecclesiastico tantum jure Presbyteris ea consecratio prohibetur; potest igitur eadem consecratio simplici Presbytero ex Apostolicæ Sedis dispensatione committi.

Et profecto Romani Pontifices non tantum dispensarunt cum Missionariis ad Indos profectis, ut *confecto ab Episcopis chrismate* confirmarent, verum etiam aliquando ut ipsum chrisma conficerent; prout constat ex Bulla Eugenii IV. edita anno 1444. pro Fabiano de Bachio Ordinis Minorum, quam Lucas Wadingus juxta autographum Vaticanum inseruit tomo V. Annalium ad prædictum annum Mcccc. n. 45.

Postremo, Canones, qui in oppositum adduci solent, tam vetant Presbyterum conficere Chrisma quam confirmare; et tamen hoc facere potest cum Ecclesiæ dispensatione, ut infrà dicemus: ideoque iidem Canones accipiendi sunt aut de ordinaria Episcoporum facultate, aut dispensatione semota.

3. demum asserimus probabilem esse recentiorum Theologorum opinionem, quod chrismatis consecratio necessaria non sit necessitate Sacramenti, sed dumtaxat necessitate præcepti. Non enim ex ullo Ecclesiæ decreto inferri potest, Chrisma, nisi prius fuerit consecratum, non sufficere ad hoc, ut valide confirmatio conferatur. Neque enim ex hujus consecrationis antiquitate divinum præceptum colligi jure potest. Nam S. Basilius in lib. de

Spiritu Sancto c. 27. eodem modo loquitur de consecratione aquæ, et chrismatis, inquiens: *Consecramus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis*; et tamen nemo concludet, irritum esse baptismum aqua non benedicta collatum. Ita aquam in Sacrificio cum vino miscere semper, et ubique servatum est; quin tamen inferendum sit, nullam esse vini consecrationem, nisi permixta fuerit aqua. Dici itaque potest, quod consecratio requisita ad Sacramenti necessitatem illa sit, qua in ipso unctionis actu Chrisma per verborum formam sanctificatur, ut valeat gratiam conferre, et characterem imprimere.

CAPUT III.

De forma Confirmationis.

Etsi ex Catholicis nemo ambigat, formam Sacramenti Confirmationis sitam esse in verbis, quæ profert Episcopus, dum illud administrat; *accedit enim*, inquit Augustinus tract. 80. in Joan. n. 3. *verbum ad elementum, et fit Sacramentum*; in assignandis tamen verbis illis magna inter ipsos dissensio est. Nam qui Confirmationis materiam in sola manuum impositione constituunt, cohærenter affirmant, essentialem formam esse Orationem Episcopi, quæ unctionem præcedit, et in Pontificali Romano sic incipit: *Omnipotens sempiterne Deus, &c.* Apud Græcos autem, ut ex eorum Euchologio apud Goarium patet: *Benedictus es Domine, &c.* Iidemque Theologi censent, accidentariam dumtaxat et integrantem formam esse verba illa, quæ unctionem chrismatis comitantur, et quæ apud Latinos sunt: *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis*; *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; apud Græcos autem, *Signaculum doni Spiritus Sancti.* Ita Sirmondus, Sambovius, Morinus, et alii opinantur.

At qui pro essentiali materia Confirmationis solam statuunt unctionem, in qua manus impositionem includi propugnant, ii essentialem formam reponunt in illis dumtaxat verbis, quæ in unctione dicuntur: *Signo te, &c.* vel *Signaculum doni, &c.* Ita cum aliis P. Berti.

Qui demum existimant, tum manuum impositionem quæ unctioni præit, tum unctionem ipsam esse essentialem hujus Sacramenti materiam, arbitrantur pariter, essentialem formam in duobus sitam esse; nimirum in Oratione Episcopi, quæ manuum

impositioni respondet, et in verbis quæ in unctione ab eodem Episcopo proferuntur. Ita sentiunt Juenin, Tournely, Gotti, aliique complures.

Nonnulli præterea putantes oportere in forma exprimi actum, quo quis ab alio confirmatur, valorem formæ Græcorum, vel in dubium revocarunt, vel minime probaverunt; quos inter est Lupus in canonem 7. Concilii I. CP. et Isambertus in p. 3. q. 72. d. 4. a. 3. His autem positis, sit

Propositio 1. Oratio præcedens unctionem neque totalis, neque partialis est forma Sacramenti Confirmationis.

Probatur. Idcirco Theologi quidam ita senserunt, quod visum est eis impositionem manuum, quam et nos supra diximus partialem hujus Sacramenti materiam, esse illam manuum elevationem et extensionem versus Confirmandos, cum qua Episcopus Orationem recitat, *Omnipotens sempiterne Deus*, *&c.* Forma enim debet materiam comitari. Atqui illa manuum elevatio et extensio non est impositio manuum, quæ est Confirmationis materia. Ergo neque prædicta Oratio est forma manuum impositioni respondens. Probatur minor, 1. quia impositio manuum quæ est partialis materia Confirmationis, in ipsa unctione peragitur quando Episcopus Confirmandorum frontem pollice tangit, superiori dexteræ manus parte supra illorum caput extensa, ut in præcedente cap. ad 1. argum. dictum est. Deinde, quia illa manuum extensione Episcopus Confirmandos non tangit, sed solum ostendit se orantem invocare super illos *septiformen Spiritum Sanctum*. Insuper, quia Oratione illa completa, Pontificale Romanum præscribit, ut Episcopus sedeat super faldistorium, dispositis per ordinem Confirmandis, singillatim de nomine cujuslibet inquirat, illosque confirmet per ordinem genuflexos; ideoque declarat nondum præcedenti Oratione confirmatos fuisse. Ergo Oratio unctionem præcedens, tantum præparatoria et deprecatoria est, non essentialis forma Confirmationis.

2. Si attente vetustos omnes Confirmationis Ordines expendamus, in Oratione, quæ unctioni præmittitur, nulla alia sunt verba, in quibus possit Sacramenti hujus forma constitui, nisi verba illa deprecatoria, *Consigna eos signo crucis Christi*, *in vitam propitiatus aeternam.* Atqui hujusmodi verba referenda sunt ad unctionem chrismatis, nec aliud enunciant modo deprecativo, nisi quod indicativo proximis verbis exprimitur, *Signo te signo Crucis*, *&c.* Præcedentia itaque verba aut forma essentialis

non sunt, aut si rationem formæ habent, spectant ad chrismatis unctionem, et referuntur ad ea, *Signo te, &c.* Minor probatur; nam Episcopus statim ac dixit, *Consigna eos*, &c. intincto pollice perungit chrismate frontem Confirmandorum, dicens: *Signo te, &c.* Ubi nemo non videt cohærentiam, relationemque verborum, haud secus, ac in reliquorum Sacramentorum collatione. Ita sane consecrantes Eucharistiam, prius orantes dicimus, *Ut nobis fiat Corpus, &c.* postea accepto pane: *Hoc est, &c.* et in absolutione sacramentali primum, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, &c.* deinde, *Ego te absolvo, &c.*

3. Præfata Oratio aliquando recitata est immediate post baptismum à Presbytero baptizante, priusquam Episcopus ad illum confirmandum accederet; et ideo non extat in Ordine Monasterii Moysacensis annorum 800. apud Martenium lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ ritibus c. 2. art. 4. ordine 7. apud quem etiam in Codicibus optimæ notæ reperitur cum Ordine Baptismi, ibique post aliquot folia describitur Ordo Confirmationis. Quomodo ergo constituit hujus Sacramenti formam oratio aliquando à Presbytero non confirmante recitata, ut Baptizatus tali prece munitus ad Episcopum accederet consignandus?

Propositio 2. Verba quæ comitantur chrismatis unctionem, idest, *Signo te signo crucis, &c.* sunt apud Latinos adæquata forma Confirmationis.

Probatur ex dictis: nam Oratione seclusa, nulla alia sunt verba, in quibus ratio formæ possit admitti. Ad hæc insuper accedit Decretum Eugenii IV. pro Armenis, in quo legitur: *Forma est, signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hæc autem forma non est integralis et accessoria, siquidem per hæc verba determinatur materia ad significandum, et producendum sacramentalem effectum. Quare Doctor Angel. in p. 3. q. 72. a. 4. ait: *In hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est Sancta Trinitas; quae exprimitur cum dicitur,* In nomine Patris, &c. *Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur,* Confirmo te chrismate salutis. *Tertium est signum, quod pugnatori datur: sicut et in pugna corporali milites insigniis Du-*

cum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur, Consigno te signo Crucis, *in quo scilicet Rex noster triumphavit*, *ut dicitur Coloss.* 2. S. Thomæ consentiunt Alex. Alensis, S. Bonaventura, Ven. Scotus, plurimique Scholastici.

Tandem in omnibus Ritualibus, et Sacramentariis libris à Martene summo studio collectis præscribitur unctio peragenda sub certa verborum formula, ut ipse testatur art. 3. n. 7. quod, ut supra notavimus, non servatur in Oratione unctioni præmissa; atque id indicio est, nunquam unctionem chrismatis peractam sine verbis, ipsaque verba semper habuisse sacramentalis formulæ rationem.

Propositio 3. Valida est ea Græcorum formula, *Signacúlum doni Spiritus Sancti.*

Probatur. Si formula ista non valet, jam nulla in Oriente Confirmatio superest; cum non aliam in Euchologiis suis legant, adhibeantque Græci, etiam Orthodoxi, etiam Romæ in Templo S. Athanasii, id non ignorante Pontifice. Hinc nunquam Latini, nec in Florentino Concilio, hunc inter ceteros Græcorum recensuerunt errores, quod sub citata formula consignarent.

Deinde in hac formula exprimitur *character*, quo miles Christi adversus spirituales nequitias insignitur ad pugnam; exprimiturque donum Spiritus Sancti, quo roboratur in fide. Sufficiens ergo est, et valida, ut materiam determinet ad speciem Sacramenti.

Objicies 1. cum Tournely contra 1. propos. Ex Act. c. 8. colligitur Apostolos confirmasse orando, et manus imponendo. Legitur enim ibi v. 15. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Et v. 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Oratio ergo forma est Confirmationis, quemadmodum manus impositio est materia.

Idem asserunt SS. Patres. Cyprianus in epist. 73. ad Jubajanum inquit: *Qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offeruntur, ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur.* Similia habent Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 2. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 26. aliique à Tournelio laudati.

Resp. legi quidem in Actibus, Apostolos orasse, *ut* Samaritani *acciperent Spiritum Sanctum*; at ibi non legitur orationem illam esse formam Confirmationis: imo Spiritus Sanctus non orationi tribuitur, sed manuum impositioni factæ post orationem,

ut constat ex citato v. 17. *Tunc imponebant*, &c. proindeque dicendum videtur, hujusmodi manuum impositionem ei correspondere, quæ nunc simul cum chrismatis unctione conjungitur, adjectis verbis, *Signo te*, &c. Ceterum sicut ex Actibus non constat chrismatis unctionem esse partialem hujus Sacramenti materiam, uti Tournely, aliique tuentur; ita nihil potest circa formam evinci.

Dum vero laudati Patres Spiritum Sanctum tribuunt impositioni manuum et orationi, non de Confirmationis forma loqui videntur, sed de illius ritu, in quo præcedit oratio. Ita enim Justinus, Irenæus, aliique dixerunt, etiam Eucharistiam *oratione*, ac *precibus* consecrari, quatenus nempe per orationem non *formaliter*, sed *praeparatorie* tantum Corpus Christi conficitur.

Denique ipse Tournely hac in quæst. argumento 1. respondens ait, Sacramentorum formas, quantumvis indicative exterius proferantur, sensu tamen ac reipsa deprecatorias esse; unde à SS. Patribus *mysticae preces* aliquando dicuntur. Cujus rei hanc exhibet rationem, quia homo Sacramentorum minister dumtaxat est, et os manumque præbet, Deus autem dat virtutem. Ergo similiter forma illa, *Signo te*, *&c.* quamvis indicativo modo prolata, deprecatoria dici potest, et orationis nomen habere.

Objicies 2. contra 2. propos. Si omittantur, aut varientur verba, quæ ad essentialem Sacramenti formam pertinent, nequit perfici Sacramentum. Atqui Confirmatio collata aliquando fuit, omissis, aut variatis verbis illis, *Signo te signo Crucis*, *&c.* Ergo ad essentialem Confirmationis formam eadem verba non pertinent. Probatur minor 1. quia in Sacramentario S. Gregorii, ubi Confirmationis ritus exponitur, præter orationem, de qua supra, nulla alia formula memoratur, 2. quia, uti etiam Alex. Alensis adnotat in 4. p. q. 24. memb. 1. *Hujus Sacramenti secundum consuetudinem diversarum Ecclesiarum diversae sunt formae verborum. Habet enim quaedam Ecclesia hanc formam*: Confirmo te signo Crucis, et chrismate sanctificationis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. *Alia est ista*: Confirmo, et consigno te signo crucis, et chrismate sanctificationis; in nomine Patris, &c.

Resp. ex dictis nunquam ea, aut similia verba omissa fuisse in chrismatis unctione. Neque hic obest Scripturæ silentium, cum plura ad nos ex Apostolorum traditione descenderint; ut ait etiam S. Thomas in 3. p. q. 72. a. 4. ad 1. et Ven. Scotus in præced. cap. laudatus. Neque officit silentium Antiquorum, cum

id disciplinæ arcani tribuendum esse Cl. Viri putaverint; qui etiam affirmarunt Latinorum formulam quovis tempore viguisse, neque reperiri posse ipsius originem.

Ad Gregorii Sacramentarium cum P. Berti, reponimus, aut S. Doctorem sacramentalis formulæ non meminisse, quoniam hæc indicativo modo non aliud exprimit, quam id, quod continetur deprecativo in extremis Orationis verbis, *Consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus aeternam*; quæ verba etiam formulam in memoriam Episcopi poterant revocare; aut forte tunc temporis unctionem peractam fuisse in eorundem verborum prolatione, ita, ut forma quæ modo obtinet, ex deprecativa facta sit indicativa; nec tamen utraque nunc rationem formæ retineat, quia deprecativa jam est absque applicatione materiæ.

Denique etsi Latinorum formula varias mutationes quandoque subierit, semper tamen substantialis verborum significatio salva permansit, ejusdemque formæ sensus nullatenus est mutatus. Hujus autem variationis ratio à quibusdam ex eo repetitur, quod neque Christus determinaverit, neque indicaverint Apostoli, quænam præcise verba in conferenda Confirmatione adhibere deberet Ecclesia; sed ejus reliquit arbitrio, ut his vel illis verbis, idem tamen significantibus, uteretur. Vide quæ diximus in lib. 24. c. 2.

Objicies 3. contra 3. propos. Sensus prædictæ Græcorum formulæ suspensus est et ambiguus, nec finitam perfectamque efficit orationem. Non ergo determinare potest indifferentem materiam ad certum Sacramentum constituendum.

Præterea commune est singulis Sacramentis esse invisibilis gratiæ et Spiritus Sancti signaculum. In hoc ergo non potest peculiaris formæ ratio collocari.

Resp. ad 1. formulam illam *practice* determinatam significationem habere, veluti si quis porrigens nummum pauperi diceret, *Ecce nummum.* In ipsa quoque formula subintelligitur verbum, sicut et in v. 20. cap. 9. ad Hebr. *Hic sanguis testamenti.*

Ad 2. Græcum σφραγὶς non signum qualecunque significat, sed notam impressam, sigillum, ac specialiter baltheum militarem: δωρεὰ quoque non tantúm significat gratiam, sed ipsam donorum largitionem, observatque Budæus, usurpari præsertim vocabulum illud ad significandum donum amplum, et regium. Quare licet omnia Sacramenta sint gratiæ signacula, ac Baptis-

mus interdum ratione characteris σφραγὶς appelletur; habent tamen hujus formulæ verba vim quandam designandi gratiam, quæ exornat Christi milites, firmatque, ac perficit sanctificationem in Baptismo collatam.

CAPUT IV.

De ejusdem Sacramenti Ministro.

Propositio 1. Ordinarius Sacramenti Confirmationis Minister est solus Episcopus. Dogma istud ad fidem pertinet, et est contra Photium, qui censuit, jus ordinarium confirmandi non ad Episcopos tantum, sed ad simplices etiam Presbyteros pertinere. Hunc deinde schismaticorum Græcorum errorem secuti sunt Waldenses, Hussitæ, Luterus, Calvinus, et ceteri Novatores.

Probatur 1. ex Act. c. 8. ubi narratur, Petrum, et Joannem profectos Samariam, ut per manuum impositionem baptizatos à Philippo Diacono confirmarent. Hoc enim præstitisse Petrum, et Joannem tanquam Presbyteros, non tanquam Apostolos, gratis omnino, et adversus Veterum traditionem adversarii autumarunt. Patres enim ita quod in Actis legitur acceperunt, ut Apostolis tantum, eorumque successoribus Episcopis tribuerint ordinariam confirmandi potestatem. Cypriani verba ex epist. 73. ad Jubajanum in c. 1. retulimus, et in c. 2. laudavimus Augustinum in lib. 15. de Trin. c. 26. necnon Chrysostomum hom. 18. in Acta. His adde Isidorum Pelusiotam lib. 1. epist. 450. ad Antiochum, Bedam, et Œcumenium in Act. c. 8. aliosque ad unum omnes.

Probatur 2. ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ non aliis unquam Sacramenti hujus administrationem concessit, nisi solis Episcopis. Hinc Innocentius I. in epist. ad Decentium c. 3. scribit: *De consignandis autem infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet sint Sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Haec autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum quae asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum*: &c. Item Leo I. in epist. 88. ad Germaniæ, et Galliæ Episcopos inter ea, quæ Chorepiscopis prohibentur, enumerat *Chrisma conficere, et Chrismate baptizatorum frontem signare.* Denique S. Gregorius lib. 4. epist. 9. ad Januarium ait:

Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte. Idem quoque docuere Nicolaus I. Innocentius III. Gregorius IX. aliique à Tournelio laudati.

Accedunt ultimo Conciliorum definitiones, ac præcipue Florentini, quod in Decreto pro Armenis de Confirmatione inquit: *Ordinarius Minister est Episcopus, et cum ceteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre;* quod probat ex Act. 8. Denique Tridentinum sess. 8. can. 3. ita de Confirmatione decernit: *Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Propositio 2. Potest simplex etiam Sacerdos extraordinaria facultate conferre Confirmationis Sacramentum. Hæc assertio quamvis sit in Schola communior post Scotum in 4. d. 7. q. 1. et S. Thomam, et S. Bonaventuram infra citandos; plures tamen habet magni nominis Adversarios, utputa Hugonem Victorinum, Altissiodorensem, Durandum, et ex recentioribus Estium, L'Herminier, Sambovium, &c.

Probatur 1. ex citato superius Eugenii Decreto in Synodo Florentina, ubi postquam definitum est ordinarium Confirmationis ministrum esse Episcopum, hæc subduntur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili, et urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Sacramentum.*

Tridentinum quoque Concilium, dum statuit solum Episcopum esse ordinarium Confirmationis ministrum, innuere vult haud repugnare, quin ex delegatione hujusmodi ministerium Presbytero committatur. Et licet id S. Synodus nequaquam expresserit, cum nullum vellet Scholarum placitis afferre præjudicium; ut tamen novimus ex ejusdem Synodi Historia conscripta à Card. Pallavicino lib. 9. c. 7. ad eum modum editus est articulus, quod *fere omnes in S. Thomae sententiam veniebant, quam praestantissimi Scholastici amplectebantur, posse hujusmodi facultatem Pontificia delegatione ad simplices Sacerdotes extendi.*

Probatur 2. Constat confirmandi potestatem revera aliquando Presbyteri fuisse collatam. Gregorius enim Magnus in epist. 9. libri 4 ad Januarium scripserat: *Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus non praesumant; sed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* Quod cum ægre ferrent Sardinienses Presbyteri, inde-

que exoriri scandala Januarius Gregorio indicasset, rescripsit is epist. 26. ejusdem libri: *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant concedimus.* Quibus in verbis Gregorius Sardiniensibus Presbyteris ut confirmarent indulsit.

Ad infringendam vim hujus argumentationis plura ab Adversariis opponuntur, illudque præsertim, quod emendati codices habeant *baptizandos*, non *baptizatos;* ac proinde Gregorium de unctione quadam ceremoniali, non de Confirmatione locutum fuisse videtur.

Sed contra. Gregorius in posteriori epistola id concessit, quod in præcedente vetuerat, ut scilicet Presbyteri baptizatum in fronte signarent: id autem veram esse propriamque Confirmationem negari non potest; nam *Confirmare* idem est, ac *frontem ungere*, sive *signare chrismate*, uti ex Ecclesiasticis scriptis apparet; de quo legenda est laudata Innocentii epistola ad Decentium c. 3. Et sane si quæstio de sola ceremonia fuisset, non illam S. Gregorius Presbyteris permisisset in absentia dumtaxat Episcopi, cum Presbyteris jure ordinario competat omnes Baptismi ceremonias adimplere. Illud autem *baptizandos* idem denotat ac *baptizatos*, ut patet ex prioris epistolæ verbis: *Episcopi baptizatos infantes, &c.* ac *baptizatos* legendum esse contendunt Morinus, Tournely, Gotti, aliique.

Præterea ad demonstrandam thesim accedit, quod Romani Pontifices eandem facultatem Presbyteris aliis aliquando concesserint. Hadrianus VI. etsi in 4. sent. oppositum docuerat, ad summum tamen Pontificatum evectus Fratribus Ordinis Minorum indulsit, ut in Indiis administrarent Confirmationem; extatque autographum hujus facultatis exemplar in Cœnobio S. Francisci Hispalensi. Atque ante Hadriani diploma iisdem nostri Ordinis Fratribus per Orientis, et Septemtrionis regiones facultatem illam concesserat Joannes XXII. ut refert Wadingus ad annum 1447. n. 16. Alia quoque privilegia idem Scriptor producit, ut Eugenii IV. ad annum 1444. n. 45. necnon Nicolai IV. et Urbani V. quorum omnium amplissimam confirmationem concessam à Leone X. narrat ad annum 1521. Nec Wadingus solus id asserit, sed et Henriquez, Suarez, Pallavicinus, Rodericus, Frassen, Morinus, Arcudius, Basilius Poncius, aliique quamplurimi eximii, probatique Viri, qui ea diplomata legerunt, et cum iis quibus concessa

sunt, habuere sermonem. Idem denique indultum Patribus olim Societatis Jesu à Gregorio XIII. plures ex recensitis Scriptoribus attestantur.

In Græca tandem Ecclesia Presbyteri ex delegata facultate confirmant. Cum enim in Florentino Concilio proposita ea quæstio esset, *Quare Episcopi non ungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Dorotheus Mitylenensis Metropolita eandem quæstionem, *canonice legitimeque dissolvit.* Hinc neque ex litteris unionis, neque ex aliis Concilii actis eruitur coactos fuisse Græcos ad consuetudinem deserendam, qua solent apud ipsos Presbyteri confirmare. Adde quod Gregorius Hieromonachus, et magnus Protosyncellus scribens adversus epistolam Marci Ephesii de Confirmatione inquit: *In nostra unione nihil habuerunt, quod nobis objicerent;* (nihil grave, quod Mitylenensis non dissolvisset) *sed cum essemus orthodoxi, habiti sumus ab orthodoxis orthodoxi.* Hac de re videndi sunt etiam Goarius in notis ad Euchologium Græcorum, et Arcudius lib. 2. Concordiæ c. 13.

Objicies 1. contra 1. propos. Concilium Carthaginense II. anno 390. can. 3. et Cartaginense III. anno 397. can. 36. præcipiunt, *ne chrisma conficiatur à Presbyteris.* Ergo, inquit Dallæus, ante tempus illud Presbyteri chrisma conficiebant, ideoque etiam confirmabant.

Toletanum I. anno 400. can. 20. definivit, *Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; praesente vero, si ab ipso fuerit praeceptum.* Absente itaque Episcopo Presbyter olim ordinaria potestate chrismabat; præsente vero Episcopo, ejusdem dumtaxat permissione, ac jussu.

Denique Arausicanum I anno 441. can. 1. hæc statuit: *Haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, et benedictione consignari placuit.*

Resp. his aliisque Conciliorum definitionibus nullum inferri catholicæ veritati præjudicium, si dicatur, illarum vi collatam fuisse Presbyteris confirmandi potestatem, quam ordinario jure nequaquam habebant. Præterea ex Concilio Carthag. II. et III. deduci id unice potest, quosdam Presbyteros aliquando sibi temere confectionem chrismatis arrogasse, quos utrumque Concilium jure repressit.

In Toletano canone agi de chrismatione *sacramentali*, Presbyteris tamen extraordinaria facultate commissa, sentit Christia-

nus Lupus, eo quod *verticalis* unctio etiam à Diacono baptizante confici possit. At Berti existimat pertractari eo in canone de unctione dumtaxat *verticali*, quam ante epistolam Inocentii I. ad Decentium cum licentia Episcoporum Presbyteri usurpabant. Etenim unctionem illam S. Sylvester concessit Presbiteris absente Episcopo, et *propter occasionem transitus mortis*, ut legitur in libro Pontif. scribitque lib. 2. de Sacram. p. 7. c. 3. Hugo Victorinus. Innocentius itaque anno 416. indulsit, ut Presbyteri chrismate inungerent *in vertice* baptizatos, *seu extra Episcopum*, *seu praesente Episcopo;* cum Toletana Synodus declarasset, juxta consuetudinem sub Sylvestro inductam, ut chrismarent in vertice absente Episcopo; præsente autem, *si ab ipso fuerit praeceptum.*

Tandem ad Arausicanum canonem respondemus non de Sacramento Confirmationis ibidem agi, sed de reconciliatione hæreticorum, qui pluribus in locis recipiebantur unctione chrismatis, non tamen sacramentali, nisi forte Confirmationis Sacramentum minime recepissent. Errant enim, qui ubicumque aut chrismatis, aut consignationis nomen audiunt, sacramentalem statim unctionem intelligunt, ut inferius ostendetur.

Objicies 2. S. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos affirmat Episcopos *ex Ecclesiarum more, et ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem*, ministros esse Confirmationis; quia; ait, *si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in lectulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros et Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Scribit præterea in epist. 85. nunc 101. ad Evangelum: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod non facit Presbyter?*

Resp. Hieronymum moris ac consuetudinis nomine non illum intelligere usum, qui hominum inducitur arbitratu, sed qui ex divina institutione, et Apostolica traditione dimanat. Unde ait: *Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.*

Dum vero Hieronymus addit id factum esse *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem*, non respicit ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis, ita ut iste sit sensus: Perficere per Confirmationem baptizatos opus est Episcopali reservatum honori; quoniam Sacramentum istud non est talis necessitatis, sicut Baptismus; siquidem

etiam non consignati possunt salutem consequi; et ideo confirmandi ministerium cuivis committi non debuit. Hinc è vestigio S. Doctor adjungit: *Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem, &c.* Refutat enim ibi Luciferiani errorem ajentis, *posse aliquem baptizari, et tamen non habere Spiritum Sanctum.*

Demum in epist. ad Evangelum comprimit Hieronymus cujusdam insaniam, qui Diaconos Presbyteris præferebat; et ideo Presbyterorum commendat auctoritatem, eosque demonstrat Episcopis valde proximos, eo quod *conficiendi Corporis Christi* eandem facultatem habeant, hoc tantum excepto, quod hæc ab Episcopis per Ordinationem Presbyteris conferatur. Ceterum omnia Episcoporum munera non recenset, siquidem id agere ad institutum minime pertinebat; ac diserte contra Luciferianos disputans asserit Confirmationem reservatam esse Episcopatus honori.

Hic postremo si quis à nobis cum Photio in Epistola ad omnes Orientales Episcopos, et cum Calvino in lib. 4. Instit. c. 19. requirat, unde lex illa venerit, qua Presbyteris baptizatos consignare vetatur; reponemus ex dictis, legem illam à Christo ita volente ac instituente manasse, et per Scripturam ac Traditionem nobis innotuisse, eandemque convenientissime fuisse latam ostendunt passim Scholæ Theologi, quos inter eminent S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 11. et S. Bonaventura in 4. d. 7. a. 1. q. 3.

Objicies 3. contra 2. propos. Romani Pontifices sæpe declararunt, neque ex delegatione committi posse Presbyteris, ut confirment. Nam Nicolaus I. Legatos misit ad Bulgaros, qui confirmatos à Presbyteris Græcis chrismate iterum inunxerunt: factum vero illud Pontifex approbavit. Atqui si ex delegatione Presbyteris confirmare liceret, neque Legati Pontificis illos iterum inunxissent, neque Pontifex id probasset.

Item Innocentius III. in epist. ad Lucium apud Constantinopolim Legatum vetuit, ne Latini Presbyteri apud eandem Urbem Sacramentum Confirmationis præsumant fidelibus exhibere, quod ab Apostolorum tempore rite fuit solis Episcopis reservatum.

Præterea Innocentius IV. in Constitutione, *Sub Catholicae*, edita anno 1254. cum accepisset inter Archiepiscopum Nicosiensem, et ejus Suffraganeos Latinos ex una parte, et Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam articulis subortam fuisse discordiam, rescripsit Episcopo Tusculano Sedis Apostolicæ Legato, mandans ut quædam servarentur, inter quæ §. 2. id legitur: *Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia*

hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi.

Denique Clemens VIII. in Instructione de Ritibus Græcorum edita Romæ anno 1595. n. 2. et confirmata à Benedicto XIV. anno 1742. jussit, *ut Episcopi Latini infantes, seu alios baptizatos à Presbyteris Graecis, et de facto chrismate in fronte consignatos confirment*: quod cum minime mandatum sit ob Græcæ formæ defectum, jussum ob id esse videtur, quod Presbyter, etiam Græcus, avitumque morem sectatus, tanquam illegitimus Minister, irritum nullumque contulit Sacramentum.

Resp. Cum Presbyter sit Confirmationis Minister extraordinarius dumtaxat, et ex delegatione, illud semper in Græcis Ecclesia Romana damnavit, quod horum nonnulli putaverint Presbyterum esse ordinarium hujus Sacramenti Ministrum, inductamque apud illos consuetudinem talis esse roboris, ut quanquam Græci Presbyteri Latinis subjiciantur Episcopis, aut Summus Ecclesiæ Rector Romanus Pontifex, jubeat, ut iidem Presbyteri consuetudinem servent Occidentalis Ecclesiæ, in qua soli Apostolorum successores Episcopi consignant, et nonnisi perraro, urgentique aliqua causa impellente, id muneris fuit Presbyteris delegatum; adhuc tamen iidem Græci, schismatum amatores, et disciplinæ Ecclesiasticæ ignari, contendunt posse suæ gentis Presbyterum ubique terrarum neophytos consignare. Faciunt ergo ad hunc eliminandum errorem commemoratæ Pontificiæ Constitutiones.

Ad primum ergo reponimus, quod ideo Latini Episcopi confirmarunt Bulgaros, tametsi confirmatos à Græcis, quoniam hi missi fuerant à Photio Pseudo Patriarcha CP., ideoque non erant legitime delegati; et præterea consignabant in Provinciis Apostolicæ Sedi subjectis, atque renitente Supremo Ecclesiæ Rectore. Contendebant insuper Photiani illi Presbyteri non esse ex dispensatione, quod alicubi Presbyteri chrismate liniant frontes baptizatorum; et idcirco adversus Romanæ Sedis inhibitiones consignare sacrilege, illegitime pervicaciter audebant.

Inocentius III. Latinis dumtaxat Presbyteris inter Græcos degentibus prohibet, ne sibi concessum putent, quod toleratur in Græcis. Spectat enim Rescriptum ejus ad solos Presbyteros Latinos Constantinopoli commorantes, uti doctissimi Viri notarunt.

Innocentius vero IV. in sola Cypri Insula, non in reliquis Orientalibus Ecclesiis jussit, ut soli consignarent Episcopi; propterea quod subortis circa hanc materiam dissidiis, melius judicavit, ut Occidentalis Ecclesiæ, quam Orientalis servarentur ritus,

atque dum ordinarii Confirmationis ministri adessent Episcopi, Presbyteri minime consignarent.

Clemens Instructionem suam direxit ad Græcos, aut Albanenses degentes sub Latinis Episcopis, non ad ceteros universos; immo et prudentissime hortatus est, ut Latini Episcopi confirmantes neophytos obsignatos in fronte à Sacerdotibus Græcis, *cum cautela, et sub conditione id faciant, videlicet, N. si es confirmatus, ego te non confirmo: sed si non es confirmatus, Ego consigno te, &c.* et conditionem hanc præsertim adhibeant, *cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Graecis fuerint baptizati*: quoniam nempe solent Græci Episcopi confirmare illico post baptismum. Igitur à Clemente VIII. permittitur, ut, ubi Latini non sedent Episcopi, teneatur mos pervetustus, siquidem decreta sua his limitibus coarctat et circumscribit. Idem denique præstitit Benedictus XIV. loquens in Constitutione, *Etsi Pastoralis* de Italo Græcis commorantibus in Italia, ejusque insulis adjacentibus, ac ulterius Clementinæ definitionis sensum exponit.

Objicies 4. Potestas confirmandi, quæ ordinario jure competit solis Episcopis, non est potestas jurisdictionis; alioquin consignare quoque posset Episcopus electus, et nondum consecratus, imo et Diaconus, ac simplex Clericus consentiente Episcopo. Sed neque potestas Ordinis dici potest: nam vel illa Episcopo competit ratione consecrationis Sacerdotalis; atque ita quilibet Sacerdos tali consecratione insignitus, saltem valide, confirmabit, tametsi id vetet Episcopus; sicuti nempe valide conficit Eucharistiam: vel si competit ob Episcopalem consecrationem, jam nulli Presbyterorum potest facultas illa committi, nisi prius sit in Episcopum consecratus.

Resp. Episcopum ex propria consecratione nancisci, ut sit ordinarius hujus Sacramenti Minister; quod sane verissimum est, sive Episcopalis consecratio peculiarem imprimat characterem, sive dumtaxat sit major præsbyteralis characteris extensio. Presbyter vero ex consecratione Sacerdotali, cui nequaquam est illa characteris, ac potestatis amplitudo, habet, ut esse possit extraordinarius Minister Confirmationis, si Romanus Pontifex id ei committat: eo ferme pacto, quo Episcopus ex propria consecratione habet, ut Ordines conferat; et Presbyter ex consecratione sua habet tantum, ut ex Romani Pontificis concessione valeat ordinare. Cujus rei ratio ex eo repetitur, quod Romani Pontifices Confirmationem ab Episcopo consecrato collatam semper validam censent;

à Presbytero autem non ita, nisi obtinuerit à Sede Apostolica facultatem. Hac ergo praxi docet Ecclesia, Episcopum consecratione sua *actu* constitui hujus Sacramenti Ministrum; Presbyterum vero Sacerdotali consecratione *aptitudinem* quandam acquirere, ut possit à Papa constitui.

Tandem ex supra dictis inferimus, ut valide possit simplex Presbyter chrismare, necessariam esse in Occidentali Ecclesia Summi Pontificis delegationem; in Orientali autem perantiquam, et universim receptam consuetudinem, quam idem Rom. Pontifex aut approbet, aut saltem non dissentiendo permittat. Hæc fere omnium recentium, veterumque Theologorum assertio vera esse monstratur ex eo, quod Eugenius IV. ait aut de Sardiniensibus, aut de quibusdam aliis Presbyteris, aliquando hoc administrasse Sacramentum *per Apostolicae Sedis dispensationem*. Id etiam traditur à Clemente VI. in litteris ad Patriarcham Armeniorum apud Raynaldum ad annum 1351. n. 12. ubi inter alia hæc leguntur: *Si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi.* Idem denique constat ex laudata Benedicti XIV. Constitutione.

Huc denique faciunt quæ habet S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 11. ad 1. *Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam, quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.* Hisce similia leges etiam apud S. Bonaventuram in 4. d. 7. dub. 1.

CAPUT V.

De Confirmationis subjecto, et de multiplici dispositione, quae in eo requiritur.

Hactenus de Ministro, nunc de subjecto Confirmationis agendum est. Circa quod 1. quærimus, quinam confirmari possit, sitque hujusce Sacramenti subjectum?

Respondemus, omnes homines, dummodo sint initiati baptismate, esse ad recipiendum Confirmationis characterem idoneos. Omnes quippe adversus spiritales nequitias, adversus Chris-

tiani nominis hostes, adversus humanæ naturæ imbecillitatem possunt Christi signaculo, et Spiritus Sancti fortitudine corroborari. Hinc Doct. Angel. in p. 3. q. 72. a. 8. adnotat Act. 2. narrari, *quod Spiritus Sanctus replevit* totam domum, *per quam significatur Ecclesia*; *et postea subditur*, *quod* repleti sunt omnes Spiritu Sancto. *Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc Sacramentum datur*: *Ergo est omnibus*, *qui sunt in Ecclesia*, *exhibendum*.

Neque hujus Sacramenti susceptioni potest infantilis ætas obesse. Nam ut idem S. Doctor ibi ad 2. ait, *aetas corporalis non praejudicat animae*: *unde etiam in puerili aetate homo potest consequi perfectionem spiritualis aetatis*, *de qua dicitur Sap. 4.* Senectus venerabilis non est diuturna, neque numero annorum computata. *Et inde est*, *quod multi in puerili aetate propter robur Spiritus Sancti perceptum*, *usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.* Et sane neminem latet, Latinam Ecclesiam per duodecim sæcula Confirmationem, simul cum Baptismo ipsis etiam infantibus ministrasse, eundemque morem in Græca adhuc Ecclesia custodiri.

Convenienter autem in Latina Ecclesia mos ille mutatus est, ac in pluribus Synodis constitutum, ut in confirmandis expectetur rationis usus, nisi ob urgentem aliquam causam aliter videatur Episcopo. Uti enim Catechismus Rom. ait in p. 2. c. 3. n. 17. *Omnibus quidem post baptismum confirmationis Sacramentum posse administrari*; *sed minus tamen expedire hoc fieri*, *antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur*, *usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Neque enim confirmatio ad salutis necessitatem instituta est*: *sed ut ejus virtute optime instructi*, *et parati inveniremur*, *cum nobis pro Christi fide pugnandum esset*: *ad quod sane pugnae genus pueros*, *qui adhuc usu rationis carent*, *nemo aptos judicarit.* Prioribus autem sæculis confirmabantur infantes, et quia solemni Baptismo aderant utplurimum Episcopi, et quia persecutionibus, hæresibusque grassantibus facilius poterant Baptizati corporalis, et spiritalis vitæ subire pericula. Hac de re videndi sunt Frassen, Gotti, Berti, aliique.

Solos autem Baptizatos esse confirmandos, infertur ex Ecclesiæ praxi ab Apostolis derivata, juxta quam Antistites Baptizatis tantum dederunt, ac dant modo Spiritum Sanctum per manuum impositionem: deinde probatur ex quo Concilia, et Patres Confir-

mationem dixere *consummationem, perfectionemque baptizatorum*; et S. Bonaventura, cui tota Schola consentit, in 4. d. 7. a. 3. q. 3. baptismum appellat *fundamentum, et januam Sacramentorum*; ac præterea hanc rationem adducit: *Confirmatio respicit aliquid praeexistens; quia quod non est, non potest confirmari: sed nullum Sacramentum necessario pracit Confirmationem aliud à baptismate: Si ergo aliquid praesupponit, videtur quod baptismum.* Denique S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 6. ait: *Sicut se habet Confirmatio ad baptismum, ita augmentum ad generationem... Manifestum est autem, quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam, nisi primo fuerit natus: et similiter nisi primo fuerit baptizatus, non potest Sacramentum confirmationis accipere.*

Quæriter 2. an confirmandi sint energumeni, amentes, et infirmi?

Resp. breviter, energumenos esse confirmandos, tum ut gratiæ augmentum accipiant, tum ut hujus robore vires dæmonum, à quibus vexantur, infringant. Amentes etiam, si lucida habeant intervalla, in his confirmandi sunt; quod si perpetuo amentes fuerint, confirmari debent statim ac commode id fieri contigerit; sunt enim capaces gratiæ, et majoris gloriæ, quæ hujus Sacramenti virtute confertur. Si tamen in amentiam inciderint gravi inquinati peccato, quoniam tunc percipere nequeunt Confirmationis effectum, non sunt sacro chrismate liniendi. Tandem confirmandi quoque sunt ægri ad obedientiæ meritum, ad virtutis incrementum, et ad præsidium contra maligni hostis incursus. *Etiam morituris*, ait S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 8. ad 4. *hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes.* 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Et ideo Hugo de S. Victore in lib. 2. de Sacr. p. 7. c. 3. dicit*: Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingere. *Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam.* Ex quo patet, non esse inutile, aut inconveniens, si etiam parvuli in mortis discrimine confirmentur, ut docent Estius, Sylvius, Gotti, aliique permulti. Contraria vero consuetudo spectat potius debitam Sacramenti solemnitatem, et Episcoporum commodum, quam decedentium utilitatem.

Quæres 3. quænam præparatio requiratur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum?

Resp. ex Catechismo Rom. in p. 2. c. 3. n. 18. requiri, *ut qui adulta jam aetate confirmandi sunt, siquidem hujus Sacramenti gratiam et dona consequi cupiant, eos non solum fidem et pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quae admiserunt, ex animo dolere oporteat. Quà in re etiam elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur.*

Itaque in adultis, qui in statu gratiæ non manent, ad digne recipiendum Confirmationis Sacramentum exigitur contritio charitate perfecta, vel attritio cum inchoata Dei dilectione, et cum pœnitentiæ Sacramento. Confirmatio enim est Sacramentum vivorum, institutum ad augendam gratiam, non ad illam primitus conferendam; ut ergo digne recipiatur, statum gratiæ prærequirit.

Quamvis autem, juxta plurium Theologorum opinionem, in adulto peccatore sufficere possit perfecta contritio, neque adsit sive divinum, sive Ecclesiasticum præceptum, quo quis sacramentalem Confessionem Confirmationi præmittere teneatur; in praxi tamen tutius est, ideoque curandum ab eo, qui mortalis peccati conscientia tangitur, ut per Confessionem se purget, priusquam ad Sacramentum istud accedat; quia contritio vere perfecta in plerisque est difficilis et incerta; neque sincera videtur animi compunctio, verumque confitendi propositum, si, quando haberi potest Confessarius, Sacramentum pœnitentiæ contemnatur. Unde complures Canones et Ecclesiasticæ Constitutiones hortantur, ut adulti sacramentalem Confessionem Confirmationi præmittant; qua de re etiam in Pontificali Romano legitur: *Adulti debent prius confiteri, et postea confirmari.*

Olim præterea non nisi jejunis datam fuisse Confirmationem apparet ex c. *Ut jejuni* de Consecr. dist. 5. ubi statuitur: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectae aetatis*, nimirum adulti. Et ibidem c. *Ut Episcopi*, injungitur, ut Episcopus ipse jejunus Sacramentum hocce ministret. Hac de re scribit Angel. Doctor in p. 3. q. 72. a. 12. ad 2. *Propter multitudinem fidelium, et propter pericula imminentia sustinetur, ut hoc Sacramentum, quod non nisi ab Episcopis dari potest, etiam à non jejunis detur, vel accipiatur. Quia unus Episcopus, praecipue in magna Dioecesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut à jejunis detur, et accipiatur.*

Idem quoque monitum tradens Catechismus Romanus in num. mox citato inquit: *Admoneantur laudabilem illam antiquae Ecclesiae consuetudinem renovandam esse, ut nonnisi jejuni hoc Sacramentum susciperent. Quod quidem fidelibus facile persuaderi posse existimandum est, si hujus Sacramenti dona, mirabilesque effectus intellexerint.*

Oportet insuper, ut Confirmandi ad recipiendum Spiritum Sanctum per pietatis opera, et orationem ferventius se disponant. Hinc de illis ait Sacramentale S. Caroli pag. 54. *In primis frequentiori, et ardentiori religiosae orationis studio devote sese exerceant, exemplo sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum Sanctum, perseverantes erant in oratione, et jejunio.*

CAPUT VI.

Agit de duplici Confirmationis effectu.

Quanquam ex iis quæ in lib. 24. cc. 14., 16. et 18. produximus, satis superque monstretur, duos esse Confirmationis effectus; gratiam scilicet, et characterem; hic tamen paulo fusius de utroque pro rei dignitate tractabimus.

Et primo quidem contra Lutherum alioseque hæreticos, quos etiam in 1. cap. hujusce libri refellimus, certa fide tenendum est, Confirmationis Sacramento conferri gratiam sanctificantem, sive *gratum facientem*, uti Scholæ loquuntur. Diximus enim citato in loco, Apostolos per manuum impositionem dedisse Spiritum Sanctum, quem etiamnum Episcopi conferunt; quamvis linguarum donum, aliasque gratias *gratis datas* haudquaquam impertiant. Diximus etiam passim in hoc libro, quod Concilia, et Patres affirment, neophytos per Episcopalem consignationem Spiritum Sanctum accipere, perfici, consummari, proficere spiritaliter, cœlesti suavitate perfundi, &c., quæ sane catholicam veritatem non obscure commonstrant.

Hæc autem gratia, quæ Confirmationis Sacramento confertur, tribuit baptizatis robur ac virtutem ad fidem intrepide et fortiter propugnandam, et superandas, quæ adversus eam insurgunt, mundi, dæmonisque tentationes. Quare Florentina Synodus in Decreto pro Armenis inquit: *Effectus hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi con-*

fiteatur nomen. Legitur etiam in Catechismo Rom. p. 2. c. 3. n. 19. quod *Chrismatis Sacramento*, Christiani, *adversus omnes carnis, mundi, et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum, et glorificandum nomen D. N. Jesu Christi.*

Quod si quæsieris, num major in Confirmatione, quam in baptismate gratia conferatur; reponet tibi Seraph. Doctor in 4. d. 7. a. 2. q. 3. *quod gratia Confirmationis praesupponit gratiam baptismalem, sicut bene esse supponit esse. Quando ergo fit comparatio harum gratiarum, potest fieri dupliciter. Uno modo cum praesuppositione: et sic omnino major est gratia Confirmationis, quam baptismalis; sicut bene, et perfecte vivere melius est, quam vivere: quia hoc addit ad illud, et complet. Si autem intelligatur praecise, ut scilicet haec gratia quae additur, sit major, vel minor, dicendum sine dubio quod non est tantae efficaciae, ut patet, quia vivificare mortuum, major gratia est, et potentia, quam jam vivificatum sanare, vel fortificare, praecise loquendo: sed cum praesuppositione majus est esse vivum, et sanum, quod vivum tantum.*

Ex dictis eruitur, Confirmationem *per se* non conferre primam gratiam, sed secundam. Eam enim gratiam Sacramentum *per se* confert, ad quam conferendam institutum à Christo est: atqui Sacramentum Confirmationis non est institutum à Christo ad primam gratiam conferendam; id enim vel ipsum Confirmationis nomen ostendit; exprimit enim firmitatem, perfectionem, et corroborationem in bono, sive in gratia jam accepta. Unde Doctor Angel. in p. 3. q. 72. a. 7. ad 2. inquit: *Sicut ex ipso nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit, et ideo non debet dari his, qui non habent gratiam; et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis.* Idem docet S. Bonaventura in citat. loco q. 1.

Potest tamen Confirmatio *per accidens* primam gratiam impertiri. Nam, uti ibidem subjicit S. Thomas, *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento, consequetur remissionem peccatorum*. Recolite quæ diximus in lib. 24. c. 16.

Quod præterea ad characterem pertinet, ex adductis in citati lib. c. 18. satis liquet, ipsum esse alterum sacræ Confirmationis

effectum. Id tamen hoc in loco breviter expendendum est, an ritus, quo olim in Ecclesiam recipiebantur hæretici, fuerit repetitio Sacramenti Confirmationis? Hac in re dubitari non potest redeuntes ad Ecclesiam hæreticos fuisse receptos, *aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei*, uti scribit Gregorius in lib. 11. epist. 67. Videndum est ergo, an reciperentur per Sacramentum Confirmationis, adeo ut hæc iterum conferretur. Ac primo notandum difficultatem non esse de hæreticis invalide baptizatis, neque de iis, qui baptizati quidem, non autem confirmati fuerunt, sed de hæreticis, qui baptismum, et Confirmationem acceperant.

Hæreticos omnes promiscue receptos impositione manus *confirmatoria* contendit Sirmondus in Antirrhetico 2. c. 5 idemque de hæreticis baptizatis et confirmatis in hæresi, non autem de baptizatis et confirmatis in Ecclesia Catholica prius quam in hæresim laberentur, affirmat Morinus in lib. 9. de Pœnit. c. 7. Communior tamen et vera sententia est, hæreticorum neminem jam baptizatum, et confirmatum, sive in hæresi, sive in Ecclesia, per Confirmationis Sacramentum fuisse receptum; adeo ut impositio manus, aut chrismatio adhibita in hujusmodi hæreticorum receptione, ceremonia quædam fuerit, non repetitio Confirmationis.

Et primo quidem hæreticos in Ecclesia baptizatos, ac confirmatos, cum ad Ecclesiam redirent, receptos non fuisse per iteratum Confirmationis Sacramentum evincitur ex Augustino in lib. 3. de Bapt. c. 11. ubi ait, *Hoc enim ipse etiam Cyprianus cum caeteris statuit, ut si ab haeresibus redirent ad Ecclesiam quicunque fuerant in ea baptizati, non jam per baptismum, sed per poenitentiam reciperentur.* Ac profecto S. Cyprianus in epist. 71. ad Quintum scribit: *Nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, et à nobis ad haereticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant; satis sit in poenitentiam manum imponere.* At impositio manus *in poenitentiam* non *confirmatoria* est, sed *reconciliatrix*, et ad ceremoniam pertinens.

Deinde, quod etiam hæretici baptizati, confirmatique extra Ecclesiam, recepti fuerint per ceremonialem manus impositionem, non obscure colligitur ex celebri decreto Stephani Papæ contra Rebaptizantes: *Si quis ergo à quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi*

imponatur in poenitentiam. Quod sane decretum omnes indiscriminatim comprehendit hæreticos, sive intra, sive extra Ecclesiam baptizatos.

Clarius etiam Innocentius I. in epist. 18. scribit: *Arianos baptizatos in haeresi suscipi in Ecclesia per manus impositionem sub imagine poenitentiae.*

Idem asserit Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 23. *Manus autem impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem quaecunque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur.* Ergo manuum impositio, qua recipiebantur hæretici, non conferebat Spiritum Sanctum et remissionem peccatorum vi sua, ac per se, uti faciunt Sacramenta, sed ratione unionis et pacis cum Ecclesia, per quam Sacramenta jam suscepta prodesse incipiebant; non itaque Confirmatoria, sed ceremonialis solummodo dicenda est.

Denique nulla proferri potest satis firma ratio, cur olim Ecclesia baptismum hæreticum ratum habuerit, Confirmationem vero rejecerit; cum pro utroque Sacramento par ratio teneat, et argumenta quæ S. Augustinus contra Donatistas adhibuit, ut apud hæreticos valere baptismum evinceret, iisdem quoque Confirmationem valere probetur. Lege S. Doctorem in lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104.

CAPUT VII.

De Confirmationis necessitate, necnon de ritibus, quibus illa confertur.

Antequam huic libro finem imponamus, agendum superest de necessitate Confirmationis, ac de ritibus, quos in ejus collatione usurpat Ecclesia. Qua in re primo juxta Theologorum omnium sententiam affirmamus, Sacramentum istud non esse simpliciter, et absolute, sive *necessitate medii*, necessarium ad salutem. Certum est enim baptismum ad hoc per se valere, ut hominem à peccato liberet, justitia donet, filium Dei, et hæredem cœlestis Regni constituat: Qui proinde in eo statu ex hac vita discedens, sive parvulus, sive adultus is fuerit, præmio justitiæ, ac promissa hæreditate fraudari non poterit, etiamsi chrismatis signaculo minime fuerit communitus.

Asserendum est tamen, Confirmationem necessariam esse sive in re, sive in voto, necessitate præcepti tum Ecclesiastici, tum divini, iis, qui vel coram tyranno profiteri fidem debent, vel adversus Christianam fidem crebris, gravibusque tentationibus impetuntur. Ita contra plures Casuistas recte sentiunt celebriores quique Theologi; Cyprianus enim in epist. 70. scribit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizandus est, ut accepto chrismate, idest, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Laodicena quoque Synodus can. 48. ita præscribit: *Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercoelesti chrismate.* Legitur denique in cap. *Omnes*, de Consecr. dist. 5. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* In his autem, aliisque ejuscemodi textibus, qui in Conciliis, sanctisque Patribus non raro leguntur, verba illa *Necesse est*, *oportet*, *debent*, præcepti vim sonant, nisi respectu omnium, relate saltem ad eos, qui ineunt pro fide certamina, gravibusque contra eam tentationibus oppugnantur.

Et profecto summa præsumptio est, in re talis momenti, qualis est Christum confiteri, in tanto discrimine, quantum procul dubio censendum est minis, promissis, ac tentationibus percelli, remedia efficacia, et ob hunc præsertim finem instituta contemnere. In hoc itaque casu qui non curat, ut ab Episcopo confirmetur, sese lethali culpa inquinare, merito probatiores Theologi tradiderunt.

Huc faciunt quæ Seraph. Doctor ait in 4. d. 7. a. q. 2. *Est necessitas simpliciter, et necessitas conditionata: simpliciter non est gratia Confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione, scilicet pugnanti, et vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti.* Scribit etiam S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 6. ad 1. *quod virtus divina non est alligata Sacramentis. Unde potest conferri homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque Sacramento Confirmationis, sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius.*

Præterea juxta probabiliorem sententiam dicendum est, etiam non instante persecutione, Ecclesiastico divinoque præcepto teneri fideles, ut Sacramentum istud minime negligant; sed ut idem sive in re, si possunt, sive saltem in voto suscipiant. Quili-

bet enim Christianus contendere debet ad perfectionem illam, quæ requiritur, ut securitati suæ consulat, et pericula contra fidem diligenter evitet: atqui ad hunc finem Christus Sacramentum Confirmationis instituit, neque credibile est, illum instituendo Sacramentum, quod ad singulorum salutem spectat, noluisse ad idem suscipiendum singulos obligare. Huc pertinent relatæ superius auctoritates, aliæque plures, illudque præsertim quod in Sacramentali Ambrosiano, et Concilio Mediolanensi IV. legitur: *Illis timendum valde, qui cum potuerint, in re salutari negligentes extiterint. Atque in Confirmationis Sacramento suscipiendo negligentes, ut decreto provinciali ex canone Rhemensi cavetur, canonicis subjaceant disciplinis: et praeterea parentes, quorum negligentia id factum est, ex libro Poenitentiali poenitentiam olim egisse annis tribus apparet.*

Ergo mortaliter peccare dicendi sunt non ii tantum qui ex *formali*, ut ajunt, contemptu, sed etiam qui ex negligentia Confirmationem recipere non curant; adeo, ut si adsit Episcopus, ac se ad confirmandos neophytos denuntiet esse paratum, adulti ætate, nulloque legitimo impedimento detenti, ad suscipiendum salutare Sacramentum accedere teneantur. Ut enim inquit S. Bonaventura in 4. d. 7. a. 3. q. 1. *Ex institutione Ecclesiae est, quod nullus ab hoc Sacramento excipitur, sed omnes suscipere debent, ut sint strenui pugnatores: et ideo si quis dum habet locum, et tempus, et opportunitatem, negligendo contemnit, periculo se exponit.* Et sane, qui circumdatus infirmitate, lacessitus ab hostibus, et undique mundi irretitus illecebris, media ad vincendum necessaria negligit, dum exhibentur, et habentur ad manus, is sponte sese exponit periculo cadendi in spirituali conflictu: qui autem ejuscemodi evidenti periculo se exponit, graviter peccat; ergo, &c. Lege Scotum in 4. d. 7. q. 2.

Bene itaque Catechismus Rom. in p. 2. c. 3. n. 15. scribit: *Maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.* Quare non recte se gerunt qui ad longævam usque ætatem tam salubre remedium differunt. Iis enim cogitandum proponimus, quod, uti legitur Act. 8. v. 14. cum audissent Apostoli, Samaritanos recepisse verbum Dei, statim miserunt ad eos Petrum, et Joannem, ut qui baptizati erant, per manuum imposi-

tionem Spiritum Sanctum acciperent. Ex hujus insuper Sacramenti neglectu tanta provenit in conflictationibus spiritus imbecillitas, tanta vitiorum illuvies, tantaque in hostibus vincendi facilitas.

Ecclesiastico denique præcepto tenentur Confirmationem accipere, qui Clericali tonsura sunt initiandi. Ita enim præcipit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de Reform. *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Et recte quidem: nam qui prima tonsura initiantur, statui Clericali dant nomen, qui status inter omnes in Ecclesia perfectior est; ex eo enim assumuntur Christianæ Reipublicæ Duces, ac Pastores: oportet ergo, ut qui illum ingreditur, in vita spirituali perfectus sit, adultus, et fortis; ideoque quod prius gratia Confirmationis, quæ est gratia roborans, muniatur.

Hinc communis sententia tradit, peccare mortaliter, qui sciens, etiam secluso contemptu, Clericalem tonsuram non confirmatus acciperet: quamquam irregularitatem minime contraheret, cum pœna hæc in Jure expresse imposita non legatur.

Sed expedit modo, ut de hujus Sacramenti ceremoniis breviter disseramus. Ac primo circa Susceptores; sive Patrinos advertimus, ex antiqua Ecclesiæ praxi, cujus etiam meminerunt Gregorius in Sacramentario, et Ordo Romanus, adhibendos eos esse in Confirmatione. Hujus autem ritus rationem proferens. S. Thomas in p. 3. q. 72. a. 10. inquit, quod *in bellis materialibus constituuntur duces, et centuriones, per quos alii gubernentur; et propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc Sdramentum confertur homini perfectio spiritualis aetatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis, et puer.*

In Patrinis multiplex conditio requiritur, ac præsertim, quod baptizatus sit et confirmatus, uti Pontificale Romanum, pluresque Synodi decreverunt. Hac de re ita scribit Doctor Angelicus citato in loco ad 2. *Licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae christianae. Et ideo Episcopo, tanquam Duci exercitus, per alium exhibetur jam militiae Christianae adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus.* Alias hic conditiones expendere instituti nostri ratio non permittit.

Quod vero ad unctionis modum pertinet, breviter observa-

mus, idcirco nos signari chrismate, et accipere Crucis signum in fronte, ut nullo metu, aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte apparere solent, à libera Christiani nominis confessione absterrendos esse admoneamur. Opus præterea fuit, ut nota illa, qua Christianus à ceteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte, in fronte videlicet, figeretur. Lege Catechismum Rom. p. 2. c. 3. n. 23., et S. Thomam p. 3. q. 72. a. 9. et S. Bonaventuram in 4. d. 7. dub. 4.

Deinde qui confirmatus est, leviter ab Episcopo cæditur in maxilla, tum ut suscepti Sacramenti memoriam servet, tum ut sciat se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine perferenda. Ac postremo pax ei ab Episcopo datur, *ut intelligat se gratia coelestis plenitudinem, et pacem, quae exuperat omnem sensum, consecutum esse*: inquit Catechismus Rom. citato in loco n. 25.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

LIBER XXVIII.

Ubi de Sacramento Ordinis breviter disputatur.

Per tria Sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem, et Ordinem, imprimi characterem in anima, dogma fidei est à Tridentina Synodo definitum sess. 7. *de Sacram. in genere* can. 9. Hactenus de Baptismo, et Confirmatione sermonem habuimus, nunc ad Ordinis Sacramentum verba convertimus, consueta brevitate quæ ad illum præcipue pertinent, nostris Tyronibus exponentes. Etsi vero Ordinis nomen apud Latinos Scriptores plura

designet; hoc tamen in loco significat sacram illam actionem, qua nonnulli ab Episcopo ad sacra ministeria deputantur; juxta quem sensum Sacramentum est, atque communiter à Theologis ex Magistro dist. 24. libri 4. ita distribitur: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato.*

CAPUT I.

Num Ordo sit proprium Legis Evangelicae Sacramentum?

Propositio. Ordo est verum ac proprium novæ legis Sacramentum: Est contra Lutherum, aliosque non paucos Novatores duo tantum Sacramenta ponentes, Baptisma nimirum, et Cœnam.

Probatur. Ut ipsi etiam fatentur hæretici, ad Sacramentum proprie dictum tria sufficiunt; externum nempe symbolum, gratiæ promissio, et divina institutio, sive mandatum: atqui tria hæc in Clericorum Ordinatione non desunt. Habetur enim 1. sensibile signum, manuum scilicet impositio, quam Græci χειροτονίαι appellant; nam Act. 6. v. 6. Apostoli electis septem Diaconis, et coram se constitutis, *orantes imposuerunt manus.* Idem factum est Presbyteris à Paulo et à Barnaba electis, Act. 14. v. 22. *Et cum constituissent*, Græce χειροτονήσαντες, *illis per singulas Ecclesias Presbyteros.* Neque diverso ritu ordinatus est Tymotheus, de quo Paulus epist. 1. c. 4. v. 14. ait gratia fuisse donatum *cum impositione manuum Presbyterii*; et epist. 2. c. 1. v. 6. *cum impositione manuum* ejusdem Apostoli.

Huic autem externo ritui annexam esse sanctificantis gratiæ promissionem ex textibus mox citatis aperte deducitur. In primo enim scribit Paulus: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*: in altero autem: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*; clariusque exponens cujusmodi gratia illa sit, è vestigio subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis*: quæ sane verba sanctificantem gratiam non obscure demonstrant.

Divina denique institutio, sive mandatum de ordinandis certo ritu ministris inde colligitur, quod legimus Apostolos, ceterosque ministros à Domino constitutos, Act. 20. v. 28. 1. ad Cor. c. 12. v. 28. et ad Gal. 4. v. 11. et quod Dominus iisdem

Apostolis tradidit potestatem remittendi peccata, Eucharistiam conficiendi, sacra mysteria dispensandi, regendi Ecclesiam, eique rectores et administros præficiendi, et deligendi, Joan. 20. v. 22., Matth. 28. v. 19. in 1. ad Cor. 11. v. 24. et c. 12. v. 28. &c. Patet itaque ex Scripturis nihil sacræ Ordinationi deesse, ut dicatur verum propriumque legis Evangelicæ Sacramentum.

Patrum quoque traditione idem dogma firmatur. Augustinus in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. asserit tam Baptismum, quàm Ordinem in hæretico et apostata permanere, *Si enim utrumque*, inquit, *Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.*

Leo Magnus in epist. 11. alias 81. ad Dioscorum c. 1. præscribit modum conferendi ac suscipiendi sacram Ordinationem, aitque illum ex Apostolica doctrina descendere, *ut intelligamus, quanta et dantium, et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

Gregorius M. lib. 4. in libros Regum c. 5. ait: *Is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Similia scribunt Patres alii tum Latini, tum Græci.

Denique in veritatis confirmationem Ecclesiæ definitiones accedunt. Permulta enim Concilia simoniacas Ordinationes tanquam illicitas condemnarunt, quod in his pretio Sacramenta darentur, et venalia fierent instrumenta gratiarum. Ita in Chalcedonensi Synodo statutum est anno 451. et in Bracarensi III. anno 572. necnon in Synodis Romæ, Ticini, Remis, et Moguntiæ habitis à S. Leone IX. et in aliorum Pontificum decretis. In Instructione etiam pro Armenis Eugenius IV. Ordinem inter septem Sacramenta recensuit; idque confirmavit in sess. 23. cap. 3. et can. 3. Synodus Tridentina ita definiens: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verum et proprium Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum, anathema sit.*

Opponunt autem 1. Ex Apostoli verbis supra citatis inferri non potest Ordinem esse verum propriumque Sacramentum. In utroque enim loco, idest, tam in 1. ad Tim. 4. quam in 2. ad eundem Tim. 1. gratia manuum impositione collata non χάρισ-

Paulo dicitur, sed χάρισμά; quo nomine in 1. ad Cor. c. 12. v. 4. designantur gratia sanitatum, discretio spirituum, aliaque dona, quæ ibidem *divisiones gratiarum*, διαιρέσεις χαρισμάτων, appellantur. Non ergo Timotheus gratiam sanctificantem, sed gratiam gratis datam per manuum impositionem, accepit; adeoque ista non erat ritus ad Sacramenti dignitatem assurgens.

Resp. ex Græcorum Lexicis apparere, quod χάρισμα, et χάρι idem omnino significent: unde Chrysostomus hom. 1. in epist. 2. ad Timoth. gratiam ei collatam χάριν vocat. Ipse etiam Paulus de justificationis gratia loquens ad Rom. 5. v. 15. *charisma* illam appellat, inquiens, *Sed non sicut delictum*, ἕτως καὶ τὸ χάρισμα *ita et donum*. Imo in citato c. 12. epist. 1. ad Cor. variis gratiarum generibus enumeratis, ait: *Æmulamini autem charismata meliora*; per quod procul dubio Paulus non ad æmulationem *virtutum*, atque signorum, sed sanctitatis, et charitatis hortatur. Præterea cum sacra Ordinatio et sanctitatem conferat, et multiplicem potestatem, quæ ad aliorum utilitatem spectat, ut in laudato loco scribit Chrysostomus; gratia hoc Sacramento collata χάρισμά peculiari titulo potuit nuncupari.

At instant. Affirmat Apostolus datam Timotheo gratiam *per prophetiam*, διά προφητείας; hoc est, *ad* vel *propter prophetandum*; proindeque gratia hæc ad illa genera gratiarum referenda videtur, de quibus in citato ad Cor. loco v. 10. dicitur: *Alii datur operatio virtutum*, *alii prophetia*, &c.

Resp. illud *per prophetiam* idem significare, ac revelante, et jubente Deo; uti plures tum Catholici, tum heterodoxi exponunt Interpretes, ac deduci videtur ex ejusdem epist. c. 1. v. 18. *Hoc praeceptum commendo tibi*, *fili Timotheae*, *secundum praecedentes in te prophetias*, *ut milites*, &c. quibus significare videtur, Timotheum peculiari Spiritus Sancti revelatione fuisse inauguratum Episcopum. Notarunt etiam Cl. Viri particulam διὰ, *per*, in Scripturis apponi ad significanda omnia causarum genera, efficientem primariam, meritoriam, instrumentalem, formalem, finalem; nihilque in adducto textu haberi, per quod ea verba διὰ προφητείας determinentur ad finalem causam denotandam, quasi Timotheus initiatus sit duntaxat *ad prophetandum*. Denique si concedamus hæreticis, Timotheo prophetandi donum fuisse concessum, non tamen excludenda est gratia sanctificans, et character; ut superius dictum est.

Opponunt 2. Manuum impositio in pluribus ceremoniis ad-

hibetur, ut in expulsione dæmonum, in ægrotantium curatione, in benedictione Virginum, &c. non ergo constituere potest peculiare Ordinis Sacramentum.

Præterea Christus nequaquam manus imposuit, vel quando Apostolos novi Testamenti Sacerdotes in ultima Cœna constituit, vel cum potestatem eis remittendi peccata contulit insufflando.

Postremo potest aliquis ad ministerii opus assumi per solam electionem, quin ullo Sacramento specialiter consecretur.

Resp. ad 1. materiam determinari per formam ad constituendum certum aliquod Sacramentum; nec repugnat multiplicem esse ejusdem materiæ usum, ut constat de oleo, quod in Confirmatione, et in Unctione extrema adhibetur.

Ad 2. reponimus, Christum multa fecisse, quorum Scriptura non meminit. Deinde cum ille propria virtute conferre posset Spiritum Sanctum et gratiam, non opus habebat id sacracramentali actione peragere; homines autem ea virtute carentes uti debent mediis et instrumentis à Christo statutis.

Ad 3. respondemus, voluisse Christum, ut homines ad sacri ministerii opus assumerentur per Ordinis Sacramentum; idque, uti ait S. Bonaventura in 4. de 24. p. 1. a. 2. q. 2. factum est *propter Sacramentorum dignitatem, quae in Ecclesia dispensantur, et in quibus Deus colitur, quae ut non venirent in contemptum, non debuerunt omnibus committi dispensanda, sed personis spiritualibus: et dum his committitur, quod aliis non, datur his potestas, per quam speciali ordine situantur in Ecclesia Dei: et quoniam hi debebant ab aliis per signa aliqua secerni, et id signum est rei sacrae; ideo potestas haec debuit ordinari per modum Sacramenti, et istud convenientissimum est, &c.*

CAPUT II.

De Ordinum numero.

Sacerdotalis Ordo potestatem continet consecrandi, offerendi et ministrandi pretiosum Christi corpus, et sanguinem, necnon dimittendi, ac retinendi peccata, uti ex Scripturis, et ex Traditione docemur. *Cum autem* (ut verbis utamur Tridentinæ Synodi in sess. 23. cap. 2.) *divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispo-*

sitione plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent; et per quos (ut in ejusdem sess. can. 2. legitur), *velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tenderetur; ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.*

Septem itaque Ordines eadem sacrosancta Synodus in citato cap. 2. recenset, quorum hæc sunt nomina: Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus et Sacerdos, Non enim Sacerdotum dumtaxat, et Diaconorum quorum sacræ Litteræ meminerunt, sed et reliquorum quinque Ordinum nomina atque ministeria jam inde *ab ipso Ecclesiae initio* in usu fuisse pronunciat. Demostrandum itaque nunc suscipimus, quanta cum veritate Tridentina id Synodus affirmaverit.

Propositio 1. In Latina Ecclesia ab ipso initio ad hæc usque tempora septem Ordines in usu fuere.

Probatur. Cornelius Rom. Pontifex in epistola scripta anno 252. ad Fabium Antiochenum Romæ suo tempore fuisse testatur *Presbyteros quatuor et quadraginta, Diaconos septem, totidemque Subdiaconos, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas cum Lectoribus et Ostiariis duos et quinquaginta.* Hos autem Ordines ille recensuit, non uti tunc primum invectos, sed uti antiquitus in Ecclesia Romana receptos.

Cajus etiam Rom. Pontifex anno 283. constituit, ne per saltum Clerici promoverentur, nec aliquis esset Episcopus, nisi prius esset *Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter*; ut habetur in Pontificali collecto, editoque ex vetustioribus Catalogis ab Anastasio Bibliotecario. Idem quoque numerus legitur in Excerptis quibusdam decretorum Silvestri in Collectione Isidori Mercatoris, et in epist. Gelasii ad Episcopos Lucaniæ, in Sacramentario Gregorii, et in Romano Ordine.

Septem denique Ordinum mentionem faciunt Concilia, ac præsertim Carthaginense IV. celebratum Christi anno 398. eosdemque recensent Patres, quorum plures modo unum, modo alterum Ordinem laudarunt, uti ex infra dicendis apparebit, alii etiam septem Ordines enumerant, explicantque, uti præcipue præstitit Isidorus Hispalensis in lib. 7. Origin. c. 12. et alibi.

Propositio. 2. Græca quoque Ecclesia septem olim Ordines admisisse videtur, quamvis modo non nihil ab antiquo usu recesserit.

Probatur I. pars. Et quod Ecclesia Græca à principio usque ad præsens tempus quatuor Ordines in usu habuerit, Presbyteros nempe, Diaconos, Hypodiaconos, et Lectores, Theologi omnes assentiuntur; alios autem minores Ordines in Græca olim Ecclesia viguisse sic ostendimus. Exorcistæ, et Ostiarii conceptis verbis laudantur ab Auctore epistolæ ad Antiochenos n. 12. quam Ignatio plures adscribunt, à Laodicena Synodo can. 24. et ad Epiphanio in Expositione fidei, quæ extat post Hæresim LXXX. n. 21. De Exorcistis etiam ocurrit mentio in Canone 10. Synodi Antiochenæ anno 341. et de Ostiariis in Trullano can. 4.

Præterea Joannes Citri Episcopus in lib. 3. Juris Orientalis apud Goarium pag. 197. memorat *Deputatos cum cereis praecedentes*; ac de his Simeon Thessalonicensis ita apud eundem Goarium ait: *Sunt et alia deputati, et ceroferarii officia, quorum* χειροθεσία, *inauguratio ante ordinationem Lectoris celebratur, quae sanè nescio cur non exercetur. In Ecclesia vero Thessalonicensium paulo ante in uso erat, et in antiquis Ritualium exemplaribus scripta reperiebatur.* Hi autem *Deputati cereos gerentes* non sunt, nisi *Acolythi*; quod et Græci recentiores agnoscunt. Denique Gabriel Philadelphiensis apud Morinum p. 2. pag. 202. Exorcistas, Janitores, Acolythosque commemorat.

Nunc vero etsi apud Græcos septem Ordines sejunctis initiationibus minime conferantur, revera tamen existunt, et Acolythatus, et Ostiariatus simul conferuntur cum Subdiaconatu. Græci enim, ut constat ex pluribus Codicibus collectis, editisque à Morino, in ipsa Subdiaconi initiatione, utuntur formula, in qua præter alia verba hæc leguntur: *Da illi*: Domine, *amare honestatem, et decorem domus tuae, assistere portis templi sancti tui, accendere lumen tabernaculi gloriae tuae.* Hinc Benedictus XIV. in Constit. *Etsi Pastoralis*, super Ritibus Græcorum ait, *per Subdiaconatum Graeco ritu collatum, Acolythatum, et Ostiariatum recipi.*

Carere autem Exorcistatu recentiores Græcos ex eadem Constitutione colligitur, ubi laudatus Pontifex declarat hunc Ordinem supplendum esse in illo, *qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Graece suscepit, et Latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus respective Ordinem, aut Episcopatum promovendus sit ex Apostolica concessione.*

Alii tamen Orientales non solum Acolythatum, et Ostiaria-

tum simul cum Subdiaconatu conferunt, ut apparet ex Rituali Maronitarum, et Euchologio Melchitarum Arabico, et ex Euchologio Coptico Jacobitico; verum etiam Exorcistatum tribuunt una cum Diaconatu, vel Psalmistatu, uti peritissimi Orientalium rituum Viri notarunt. Recte itaque Tridentina Synodus Ordines numeravit. Lege P. Berti in lib. 36. c. 2. copiosius de hoc capite disputantem.

Objicies. Si Antiquorum scripta volvamus, Ordines multo plures videntur esse quam septem. Sane *Psalmistae*, sive Cantores memorantur à Concilio Carthaginensi IV. can. 10. ab Isidoro lib. 2. de Eccl. Offic. c. 12. &c. Fossarii etiam, et *Copiatae* recensentur ab Auctore epist. ad Antiochenos inter Ignatianas, ab Epiphanio in Compendio Doct. Cath. et ab aliis. His præterea addendi sunt *Custodes Martyrum*, *Notarii*, *&c.* Postremo nonne Episcopatus inter omnes Ordines est supremus? nonne et Tonsura est Ordo, cum eam suscipiens à laicorum cœtu transferatur ad Clerum?

Resp. Psalmistas peculiari Ordine minime inaugurari. Hoc enim nomine in Ecclesia Latina vel intelliguntur ii, qui sola tonsura initiati ad psallendum in Choro cum aliis Clericis admittuntur; quo in sensu Durandus Mimatensis Episcopus lib. 2. Rat. c. 3. inquit: *Psalmistatus quandoque tonsuratus vocatur.* Vel illi etiam hoc nomine veniunt, qui absque ulla Clericali initiatione Cantorum funguntur officio; juxta quem sensum Carthaginense Concilium IV. can. ait: *Psalmista, idest, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussioni Presbyteri officium suscipere cantandi.* Apud Græcos autem Lectorum Cantorumque idem censetur Ordo; nam in Lectorum Ordinatione initiato præcipitur, *ut si canere sciat, et psaltes sit, legat aliquid de Psalterio.* In utraque tandem Ecclesia *Psaltae*, Cantoresque dicuntur, qui alternatim in Choro psallunt, sicuti patet ex Chrysostomo hom. 36. in 1. ad Cor. ex Ambrosio ad c. 15. Lucæ, &c. Non ergo Psalmistatus est Ordo speciali ab aliis ratione distinctus, quomodocunque Psallentium nomen accipias.

Fossarii, sive copiatæ, idest Laborantes non alia ratione nonnumquam Clericorum nomine cohonestantur, nisi quia iisdem Clericis aliquando mandabatur, ut defunctorum cadavera sepelirent; quod in tumulandis presertim Martyrum corporibus servatum fuisse certissimum est. Deinde Carthaginense Concilium IV. can. 81. officium humandi mortuos committit publi-

cam pœnitentiam agentibus; quod utique non fecisset, si officium istud pertinuisset ad Clericos. Denique L. 15. *de Episcopis* C. T. Copiatæ à Clericis apertissime distinguuntur: *Clerici vero, vel hi, quos Copiatas recens usus instituit nuncupari, &c.*

Custodes Martyrum, sive *Martyriarii* erant Subdiaconi, qui sacras reliquias asservabant: Notarii dicti sunt Clerici, qui instrumentorum, et tabularum Ecclesiæ curam habebant: hæc vero nomina, aliaque similia, ut *Catechistae, Parabolani, Œconomi, &c.* non Ordinum, sed officiorum dumtaxat specimen ostendunt.

Denique idcirco septem recensentur Ordines, quia ad verum Christi Corpus, idest ad Eucharistiæ Sacramentum, soli septem directe tendunt: Episcopatus autem ad regendum mysticum Corpus Christi, et ad creandos alios Sacramentorum Ministros, aliosque Ecclesiæ milites ordinatur. De Tonsura vero è vestigio nunc agemus.

CAPUT III.

De Clericali Tonsura.

Priusquam quis ad Ordines admittatur, cautum ab Ecclesia fuit, ut insigne Tonsuræ Clericalis accipiat, per quam videlicet ei tunc primum Clerici nomen imponitur. De hujus nominis etymo ita ad Nepotianum epist. 34. scribit Hieronymus: *Cleros Graece, sors Latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est.*

Primo itaque circa Tonsuræ hujus originem dicimus, eam in Ecclesia obtinuisse ab ipsa Apostolorum ætate, institutamque fuisse, ut Clerici distinguerentur à Laicis. Anicetus enim Papa, aut quisquis sit auctor perantiqui Decreti apud Gratianum dist. 23. c. 21. ait: *Clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum spherae radant.* Gregorius Turonensis in lib. 1. de Gloria Martyrum c. 27. scribit Petrum Apostolum instituisse *ut caput desuper tonderetur.* Beda in Historia Anglorum lib. 4. c. 1. narrat Theodorum, ut à Vitaliano Papa ordinaretur, expectasse quatuor menses, donec illi capillus cresceret, *quo in coronam tonderi posset.* Et lib. 5. c. 22. ex Ceolfrido Abbate dicit, nos in coronam attonderi ad Petri exemplum, *quia Petrus in memoriam Dominicae passionis ita attonsus est.* Denique Sidonius Apollinaris in lib. 4. epist. 13. de Germanico Episcopo scri-

bit: *Vestis adstricta, tonsus coturnus, crinis in rotae speciem accisus.*

His accedit, quod temporibus Juliani Apostatæ Presbyter quidam Theodorus ab ethnicis supplicio affectus est, quia nonnullos pueros detondendo cooptaret in Clericos, ut ex lib. 12. Ammiani Marcellini demonstrat Baronius ad annum 58. n. 128. In vetustissimis etiam Actis Ecclesiæ Divionensis, apud Martenium lib. 1. c. 8. a. 7. n. 7. legitur S. Benignum Presbyterum agnitum à Terentio Comite fuisse ob tonsi capitis coronam. Benignus vero fuit Polycarpi discipulus, subiitque martyrium sub Marco Aurelio Imperatore, juxta Martyrologium Romanum die 1. Novembris, et Baronii adnotationes ibi affixas.

Postremo Occidens, et Oriens, universæque nationes, in quibus propagata est Christiana Religio, Clericos habent à laicis tonsura, capitisque corona discretos; cumque nemo posterioris ætatis adinveniri possit ejusmodi consuetudinis institutor, recte eam dicimus ab ipsis Apostolis dimanasse.

Perperam itaque Recentiores aliqui, quos inter Juenin, et Tournely, dixerunt, per quinque, vel quatuor priora sæcula Clericos caput non habuisse detonsum; quia eo signo facile dignosci, et ad mortem trahi à fidei persecutoribus potuissent. Neque enim necesse tunc erat ita amplam deferre tonsuram, aut nudatum gestare verticem, ut dignosci ab ethnicis Clerici possent, etsi quosdam tali deprehensos indicio minime dubitemus.

Ex dictis apparet, Tonsuram semper sphericæ fuisse figuræ, ac retulisse coronam. Hinc Toletana Synodus IV. anno 633. can. 41. ait: *Omnes Clerici detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant.* De hujus autem coronæ significatione legendi sunt S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. S. Thomas in suppl. q. 40. a. 1. et Catechismus Rom. in p. 2. c. 7. n. 14.

Hic insuper adnota, quod Orientales fere totum occipitium, et magnam sincipitis partem tondere soleant forcipe, non vero novacula, ne cute apparente, videantur similes rasorum, ac Sacerdotum Isidis, et Serapidis, qui omnino crines radebant: unde Hieronymus in c. 44. Ezechielis ait, non debere Sacerdotes incedere *rasis capitibus sicut Sacerdotes Isidis atque Serapidis, nec rursum comam demittere, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur: sed in tantum capillos dimittendos, ut operta sit cutis*: quibus verbis non impro-

batur Clericalis Tonsura, ut nonnulli inscite dixerunt, sed Orientalium tonsura describitur.

At videndum modo est, an hæc Tonsura sit Ordo. Prosper Fagnanus, et quidam alii Canonistæ eam inter veros Ordines adnumerant, et Sacramentum esse contendunt; oppositum tamen fere omnes è Schola Theologi tenent, quorum et nos sententiam sectamur, ac ita probamus,

1. Concilia, præsertim Carthaginense IV. anno 398. Aquisgranense anno 816. Florentinum in Decreto unionis, ac Tridentinum in sess. 23. c. 2. dum singulos recensent Ordines, nullam Tonsuræ faciunt mentionem; imo Tridentinum in ejusdem sessionis cap. 6. de reformat. ab Ordinum numero illam expungit, inquiens: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.*

2. Nunc apud Græcos Tonsura non est verus Ordo, sed ritus quidam, quo initiandi Lectoratu tondentur in Clericos, invocato tantum Dei nomine, et nulla sacramentali forma prolata: de initiando enim in Lectorem Pontificale Græcorum inquit: *Signatur ter in capite, ac tondetur in forma crucis.* Jam vero præcedente in cap. diximus Ordinatum apud Græcos, si concessione Apostolicæ Sedis ad Latinorum ritum transeat, promovendum esse ad omnes omnino Ordines, quos ab Episcopo Græco non habuit, etiam ad Exorcistatum, quamvis jam fuerit ordinatus in presbyterum. Atqui ad Tonsuram ordinandus non est. Hæc igitur non est Ordo.

3. Dum Ordo confertur spiritualis aliqua potestas traditur Ordinato, juxta Ordinis descriptionem à Magistro traditam, et à Theologis omnibus ubique receptam. Atqui nulla per Tonsuram spiritualis potestas initiato confertur, sed dumtaxat ad vacandum divino cultui deputatur, ita, ut *dicat divinas laudes cum toto ministrorum collegio; et ad hoc non praeexigitur aliqua potestas Ordinis, sed solum quaedam deputatio ad tale officium; et ideo non est ordo*, tonsura, *sed praeambulum ad ordinem*: ita scribit S. Thomas in suppl. q. 40. a. 2.

His consonat etiam Seraph. Doctor in 4. d. 24. p. 1. a. 1. q. 2. scribens, *quod sicut in transeuntibus de uno statu ad alium praemittitur aliquod praeparatorium, quod non ponit in statu, sed disponit; sic suscipientes ordinis sacramentum in quodam speciali statu inter fideles collocantur. Unde quemadmodum inter statum secularem, et religiosum medius est novitiatus, in*

quo nec secularis, nec religiosus est proprie,.... et sicut inter fideles, et infideles medii sunt catechumeni, qui tamen non sunt inter fideles computandi,.... Sic Clerici medii sunt, in quantum habent tonsuram inter laicos et ordinatos: quia tamen signum istud omnibus est commune; ideo omnes Clerici nuncupantur, et confunditur nomen. Sicut ergo novitiatus non est religio sed ad religionem disponit; et catechizatio non est baptismus, sed dispositio et praeparatio sic commune signaculum non est Sacramentum, nec Ordo, sed tantum dispositio. Eadem fere leges in Catechismo Rom. p. 2. c. 7. n. 13.

Opponunt autem 1. Innocentius III. cap. *Cum contingat*, Extrav. de ætate et qualitate. Ordinandorum, inquit: *Per primam tonsuram juxta formam Ecclesiae datam Clericalis Ordo confertur.* Deinde Tonsura initiatos aliquando *degradari* constat ex cap. *Degradatio*, de Pœnit. in VI. et ex Pontific. Romano, ubi 3. p. de forma degradat. in *degradatione* à prima Tonsura habetur: *Deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni ordine, beneficio, et privilegio Clericali.* Agitur etiam de eorum *degradatione*, qui Tonsura initiati sunt, in Constitutione Sixti V. quæ incipit: *Sanctum et salutare*, ibique *Clericalis character* tribuitur Tonsuratis.

Resp. Innocentium Ordinis nomen generaliter Ecclesiasticum significare gradum, quo Clerici laicis præponuntur: unde consulto ait, *Clericalis Ordo*, non, *Ordinis Sacramentum.* Liquet insuper degradationem, non ab *Ordine*, prout Sacramentum et character est, qua ratione est prorsus indelebilis, sed ab officio, habitu, et privilegiis arcere, et ad communionem laicam redigere: de his igitur explicanda sunt quæ in degradationis formula, et in Sixti V. Constitutione leguntur; ubi characteris nomen non animi habitum, sed exteriorem notam, coronamque significat: nam et à Græcis ipsa capillorum detonsio Character tonsuræ vocatur.

Opponunt 2. Pontificem Clericos initiaturum deprecari Deum, ut his, *qui ad deponendum comàs capitum suorum pro ejus amore festinant, donet Spiritum Sanctum*, necnon adhibere verborum formam, tum in incidendis capillorum extremitatibus, tum quoque in imponendo superpellicoo. Denique Tonsuratis aliqua spiritualis potestas datur, per quam Ecclesiasticis beneficiis donantur, et aliquando in Ecclesia Episcopalem jurisdictionem exercent, excommunicant, aliosque Clericos suspendunt; quod longe præstantius est, quam templorum aperire fores, pulsare

cymbalum, urceolosque deferre. Erit ergo Tonsura verus Ordo, verumque Sacramentum.

Resp. quod si argumentatio adducta valeret, multiplicanda in immensum essent Sacramenta, cum omnis fere sacer ritus cum prece aliqua, et sub invocatione divinæ gratiæ peragatur: hoc enim modo benedicuntur Abbates, consecrantur Virgines, coronantur Reges, &c. Excommunicare vero, Clericosque punire, non ad Ordinis, sed ad jurisdictionis pertinet potestatem; non enim est ministerium ad Eucharistiam speciali ratione respiciens. Lege S. Thomam in suppl. 3. p. q. 34. a. 3. et Ven. Scotum in 4. d. 24. q. unica.

CAPUT IV.

De Minoribus Ordinibus.

Ordinum distinctio in *minores*, *majoresque* notissima est. Illi quatuor sunt, nempe Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus: isti vero sunt tres, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Idcirco autem hi *majores et sacri* vocantur, quia propius ad altare accedunt, Eucharistiam conficiendo, aut conficienti proxime ministrando. At de hoc clarius infra.

Hoc in capite de minoribus Ordinibus sermonem aggredimur, quærimusque, an illi sint ritus, ac gradus ab Ecclesia instituti, ne statim Clerici ad sacra ministeria proveherentur; an vero sint Ordines proprie dicti, veraque Sacramenta quæ gratiam conferant et characterem.

Propositio. Probabilior est opinio, quæ minoribus Ordinibus veram propriamque Sacramenti rationem attribuit. Ita cum S. Thoma, S. Bonaventura, et Ven. Scoto sentiunt omnes fere antiquiores Theologi, pluresque recentiores.

Probatur. Non majores tantum, sed et minores Ordines à Conciliis dicuntur conferri ab Episcopo per *Ordinationem*: hoc autem nomine eadem Concilia veri Sacramenti collationem denotare videntur. Nan Carthaginense Concilium IV. tam canone 2., 3. et 4. in quibus de Episcopi, Presbyteri, et Diaconi ordinatione pertractat, quam proximis quinque, hac utitur phrasi; *Sabdiaconus cum ordinatur*, *Acolythus cum ordinatur*, *Exorcista cum ordinatur*, *Lector cum ordinatur*, *Ostiarius cum ordinatur*: dum vero agit canone 10. de psalmista, et deinde de consecratione Sanctimonialis, *Ordinationis* nomen haudquaquam usurpat. Ergo Con-

cilium *Ordinationis* nomine non cujuscunque ministerii, aut gradus, et ritus collationem ac perfectionem intelligit, sed rem aliquam longe sublimiorem, veri scilicet Ordinis Sacramentum.

Florentinum quoque Concilium de Sacramentis disserens, *Sextum*, inquit *Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo;* ac recensitis rebus, quibus apud Latinos conferuntur Ordines majores, ait, *Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Definita pariter sacræ *Ordinationis* forma, illaque producta, per quam Sacerdotii Ordo confertur, subjungit, *Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Sub generali itaque appellatione *Ordinis, et quidem Sacramenti*, non tantum sacros, sed minores etiam Ordinis comprehendit.

Denique Concilium Tridentinum, quamvis adiaphoram hanc quæstionem definire noluerit, in hanc propendisse sententiam videtur indubium. Sessione enim 23. cap. 3. docet, Ordinem esse vere, et proprie Sacramentum, nec loquitur expresse de Sacerdotio, aut de Diaconatu, sed universim de sacra Ordinatione, *quae verbis et signis exterioribus perficitur.* Deinde postquam can. 2. definibit, *praeter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur*, in proximo canone, nulla limitatione apposita, statuit, *Ordinem sive sacram Ordinationem esse vere et proprie Sacramentum à Christo Domino institutum.* Ergo Concilium in singulis Ordinibus veri Sacramenti rationem videtur agnoscere.

Præterea Augustinus in lib. de Bono conjug. c. 24. demonstrat vinculum nuptiale non solvi, etiamsi filii minime procreentur, exemplo Ordinationis, inquiens: *Quemadmodum si fiat Ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis Ordinatis Sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel impositò non carebit.* Vides igitur Augustinum Sacramenti nomine inaugurationem Clericorum omnium insignire; nam et ejus ætate minores Ordines in usu fuisse constat ex præcitato Concilio Carthag. IV. cui S. Doctor interfuit.

Ex his insuper Augustini verbis infertur, per minores Ordines sacramentalem imprimi characterem, cujus respectu iterari non possunt. Et profecto nisi Sacramenta essent, ac nisi characte-

rem imprimerent, sed solummodo gradus ac ministeria forent; per excommunicationem, aut depositionem penitus delerentur, atque absoluti, vel restituti in gradum pristinum, iterum ordinarentur; quod Ecclesiæ praxi repugnat. Hinc et in Pontificali Romano tit. *de Ordinibus conferendis*, inter ceteras Pontificum exhortationes in omnibus Ordinationibus faciendas hæc habentur: *Moneat Ordinandos, quod instrumenta, quibus character imprimitur, tangant.*

Huc accedit, quod in singulis Ordinibus adhibetur materia et forma, non qualiscumque, sed quæ exprimit ministerii potestatem, relate ad Sacramentum Eucharistiæ: Singuli igitur veri Sacramenti participant rationem.

Tandem ex Benedicti XIV. Constitutione Græcus jam Presbyter ordinatus, veniens ad ritum Latinorum tenetur suscipere *Ordinem Exorcistatus;* et ex cap. *Sollicitudo*, dist. 3. n. 1. sive ex Rescripto Alexandri II. ad Episcopum Constantiensem, ordinatus ad Diaconatum, et Presbyteratum, *Subdiaconatus ordine postposito*, tenetur Subdiaconatum ipsum suscipere: Ergo inferiores Ordines, et Subdiaconatus non ob id instituti fuere, ut digniores tantum ac adulti ad Sacerdotium promoverentur, nec illo fungerentur neophyti et tyrones, sicuti recentiores quidam Theologi affirmarunt; sed habent illi suam præstantiam ac dignitatem, ob quam ratione ulla prætermitti non debent.

Objicies 1. Urbanus II. in Concilio Beneventano anno 1091. ait: *Sacros Ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse: super his solis praeceptum Apostolicum habemus.* Ergo priorum quinque Ordinum additio ad Diaconatum et Presbyteratum non est divini, sed Ecclesiastici instituti; quod etiam asseruere nonnulli doctissimi Viri, ut puta Amalarius in lib. 2. de officiis Ecclesiasticis c. 6. Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 3. c. 13. Magister in 4. d. 24. &c.

Resp. Urbanum loqui de Ordinibus, qui speciali titulo *Sacri* dicuntur; nam cum illi antea duo essent, Diaconatus nimirum et Presbyteratus, ipse Subdiaconatum etiam ad talem dignitatem evexit; ut in sequenti cap. clarius apparebit.

Dici præterea potest in Ecclesiæ primordiis propter exiguum fidelium numerum omnium inferiorum Ordinum ministeria Diaconis fuisse commissa; quæ postea multiplicatis fidelibus distincta fuisse, et quidem antiquitus, apparet ex dictis supra in c. 2.

Cumque separata collatio Subdiaconatus, et minorum Ordinum relicta fuerit Ecclesiæ dispositioni et arbitrio; idcirco Urbanus affirmat, quod de his *praeceptum Apostolicum* non habemus.

Hoc denique in sensu exponi possunt quædam Veterum dicta, ac præsertim Sententiarum Magistri, qui citato in loco inter alia scribit, *Christum omnium septem ordinum officia in semetipso exhibuisse, et corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquisse; et qui digne ad eos accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere:* ac postremo subjungit: *Dicuntur hi ordines Sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea, quae ibi geruntur.*

Quæ superius dicta sunt, ex S. Bonaventuræ doctrina firmantur, qui in 4. d. 24. p. 2. a. 2. q. 2. scribit, quod etsi in primitiva Ecclesia Presbyteratus tantum et Diaconatus extiterint, uti ex Scripturis apparet; alii tamen Ordines *implicite dabantur in impositione manuum, quoniam manus est organum organorum. Ratio autem quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium, et propter paucitatem fidelium; ideo oportebat, quod omnia officia darentur uni. Nunc autem multiplicatus est divinus cultus: &c.* Eadem fere scribit Ven. Scotus in 4. d. 24. q. unica, ubi quoque fatetur, singulos Ordines à Christo fuisse institutos.

Objicies 2. Laici quandoque minorum Clericorum officia peragunt; nam pluribus in locis sunt Ecclesiarum janitores, luminaria accendunt, Missis inserviunt, &c. Non ergo ministeria isthæc Sacramentum ullum expostulant.

Resp. non omnia Ordinum officia talia esse, ut à laicis vel ab iis qui non sunt Clerici, exerceri omnino non possint. Nam et baptismus, cujus conferendi jus proprie habet Sacerdos, à quocunque conferatur, est validus; et aliquando potest licite à non Sacerdote, imo à laico quoque conferri. Ita similiter propter defectum vel negligentiam eorum qui ad hæc inferiora Ordinum officia proprie ordinantur, Ecclesia tolerat et interdum etiam probat ministeria laicorum.

Agendum modo superest de minorum Ordinum officiis, simulque monstrandum, quarum sensibilium externarumque rerum traditione singuli conferantur. Inter minores Ordines primus idemque infimus est eorum, qui Ostiarii Janitoresque vocantur. Horum munus est templi claves habere, ejusque ostia claudere et

aperire, ad divina dato campanæ signo Christianum populum convocare, infideles, excommunicatos, et Sacramentorum derisores arcere, Ostiarii etiam officium erat, uti Catechismus Rom. ait in p. 2. c. 7. n. 15. ad Missæ Sacrificium assistere, *curaturus ne quis proprius, quam par esset, ad sacram aram accederet, et Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret*. Denique ex antiquissima consuetudine hic Ordo clavium traditione confertur, ut constat ex canone 9. Carthag. Concilii IV.

Alter est Ordo Lectoris, cujus officium est, novi et veteris testamenti libros distincte recitare, cantare lectiones, et Catechumenis tradere prima fidei rudimenta. Olim quoque Lector de pulpito legebat præscriptam ab Episcopo Evangelii, vel alterius Scripturæ partem, quam deinde idem Episcopus populo exponebat. Ad ipsum etiam spectat benedicere panem, et omnes, fructus novos. Confertur hic Ordo traditione Codicis, in quo divinæ lectiones habentur.

Tertio loco veniunt Exorcistæ, ad quos juxta potestatem sibi in ordinatione collatam pertinet nomen Domini invocare, et manus imponere super energumenos, ac dæmones adjurare per nomen Domini, ut exeant aut à nocendo desistant. Ordinatur idcirco Exorcista traditione libri, in quo conscripti sunt exorcismi. Ad ipsum quoque pertinet, *dicere populo, ut qui non communicat, det locum, et aquam in ministerio fundere*: uti legitur in Pont. Romano.

Tandem ad Acolythos spectat ministros majores, Subdiaconos, et Diaconos in altaris ministerio assectari, eisque operam dare; unde et *Acolythi* dicti sunt, sive *Sequentes*, à Græco verbo ἀκολουθέω, *sequor*. Præterea, ut Catechismus Rom. citato in loco n. 18. scribit, *lumina deferunt, et asservant, cum Missae sacrificium celebratur, praecipue vero, cum Evangelium legitur; ex quo Ceroferarii alio nomine vocati sunt*. Vinum denique, et aquam ad Eucharistiam ministrant. Quapropter eorum Ordinatio peragitur porrectione candelabri cum candela extincta, et urceoli vacui, sub præscripta forma verborum.

CAPUT V.

De Subdiaconatu.

Subdiaconus est Minister sub Diacono immediate constitutus,

eidemque subserviens; quare illum Græci *Hypodiaconum*, et *Hypiretam*, idest *Subministrum*, appellant. Hujusce Ordinis occurrit mentio apud Cyprianum epist. 24., Epiphanium in expositione fidei, Cornelium in epist. ad Fabium Antiochenum, Athanasium in epist. ad Solitarios, et apud Laodicenum Concilium can. 21. Eliberitanum can. 30. Carthaginense IV. can. 5. &c.

Hunc Ordinem è Sacramentorum numero ii fere omnes expungunt, qui minoribus Ordinibus eandem denegant dignitatem. Verum si quæ in præcedenti capite diximus attendantur, probabiliter affirmandum videtur, etiam Subdiaconatum esse verum ac proprium Sacramentum. Dum enim Subdiaconus ordinatur, adhibentur materia, et forma, quibus potestas traditur tangendi; et ad altare deferendi vasa sacra, ac proxime Diacono ministrandi. Adest igitur sensibile signum spiritualem potestatem conferens Ordinato; adeoque adest verum Ordinis Sacramentum.

In eadem quoque Ordinatione, cum nunquam iteretur, character imprimitur; ideoque habetur sacramentalis effectus: Cumque unus Sacramenti effectus, ubi non desit suscipientis dispositio, ab alio minime sejungatur, dicendum est, Subdiacono etiam gratiam in Ordinatione conferri, ut digne suo fungi possit officio.

Est insuper Subdiaconatus Ordo *sacer*, ac inter majores Ordines recensetur: inquit enim Tridentina Synodus sess. 23. cap. 2. *Subdiaconatus ad majores Ordines à Patribus, et sacris Conciliis refertur.* Sacer autem 1. dicitur, quia tribuit spiritualem facultatem proprius, quam faciant minoribus initiati, inserviendi in ministerio altaris, in eodem collocandi oblationes, sacra vasa proprio, sibique commisso munere contrectandi. Hoc in sensu Subdiaconatus à sui institutione sacer, unusque ex majoribus Ordinibus semper fuit. Unde Doctor Angel. in suppl. q. 37. a. 3. scribit: *Ordo dicitur sacer dupliciter. Uno modo secundum se, et sic quilibet Ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam. Alio modo, ratione materiae, circa quam habet aliquem actum; et sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam; et sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdotium, et Diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi, et sanguinem consecratum; et Subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata.*

Dicitur prætereà sacer Subdiaconatus propter solemnem cœlibatus professionem, amplioremque ejusdem Ordinis honorem;

atque hoc in sensu sacer non semper ille fuit; sed primum dignitatis gradum sub Gregorio Magno obtinuit, quando iste Subdiaconis legem continentiæ, ac cœlibatus injunxit. Secundum gradum assecutus est, cum Urbanus II. jussit, ut accedente Apostolica dispensatione, Subdiaconus in Episcopum eligi posset; nam antea non nisi ex Presbyterorum, et Diaconorum Ordine assumebantur Episcopi. At tertium denique dignitatis gradum evectus fuit, cum Innocentius III. privilegium istud Subdiaconis etiam sine dispensatione concessit. Lege cap. *Ante triennium* dist. 30. n. 1. cap. *A multis*, de ætate et qualit. et ord. præficiendorum, et cap. *Miramur*, de servis non ordinandis.

Quod si sacer Ordo eo in sensu sumatur, quod in Ecclesia jurisdictionem aliquam conferat, et principatum, Subdiaconatus non est inter sacros Ordines computandus. Patres enim in Ordine Hierarchico tantum Episcopos, Presbyteros, et Diaconos collocarunt. Ita Ignatius in Epist. ad Smyrnæos loquens de subordinatione, quæ inter Ecclesiæ ministros servanda est, inquit: *Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Ubi, ut vides, nulla fit mentio Subdiaconorum. Idem colligitur ex Hieronymo in epist. ad Evangelum, et Augustino in epist. ad Valerium Hipponensem Episcopum. Inveniuntur etiam Conciliorum Epistolæ ad Episcopos, Presbyteros, et Diaconos directæ, in quibus proinde à sacro Principatu, et Ecclesiæ Hierarchia Subdiaconi excluduntur. Præterea in Constit. Apostolicis lib. 2. c. 16., lib. 7. c. 32., et lib. 8. c. 45. Presbyteris, et Diaconis, non autem Subdiaconis tribuitur regimen laicorum; quod pariter deducitur ex Tertulliano in lib. de Fuga in persecut. c. 2. ex Optato Milevitano lib. 1. adversus Parmen, &c. Ergo si ordo sacer ita accipiatur, ut denotet Hierarchicum Ordinem, et iste idem sit; ac Ordo jurisdictionem includens, Subdiaconatus neque Ordo sacer, neque Hierarchicus dici potest.

Sed postremo jam de Subdiaconi officio breviter disseramus. Juxta igitur Pontificale Romanum ad Subdiaconum spectat, aquam ad altaris ministerium præparare, ministrare Diacono, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum Sacrificii Diacono offerre, oblationes fidelium suscipere, et ex iis quantum satis est populo, in altari reponere, ac cavere, ne in Sacrario putridum aliquid remaneat. Ipse etiam Episcopo, et Sacerdoti aquam præbet, quum in Missæ Sacrificio manus abluunt.

Olim insuper Catechumenis fidei rudimenta tradebat; nam Cyprianus in epist. 24. ad Clerum scripta testatur, Optatum à se *Hypodiaconum*, *et doctorem audientium* constitutum. Confertur hic Ordo traditione calicis et patenæ, uti colligitur ex Concilio Carthaginensi et Florentino: addunt Pontificalia traditionem etiam libri epistolarum; sed communis opinio est, Subdiaconos olim epistolam non legisse, sed vel Diaconos, vel Lectores; eamdemque traditionem ad Subdiaconatus substantiam minime pertinere.

CAPUT VI.

De Diaconatu.

Diaconus, Διάκονος, Græce, idem Latine est ac *Minister*, à verbo διακονέω, *ministro*. Hinc Diaconi etiam Levitæ vocantur, ex Levitico scilicet ministerio, quod veteris Testamenti Sacerdotio serviebat.

Diaconatus Ordinem inter vera et propria novæ Legis Sacramenta recenset communis Theologorum assertio non solum contra Novatores, sed et contra Durandum, qui in 4. d. 24. uni Sacerdotio Sacramenti dignitatem adscribit. In eandem quoque sententiam propendet Cajetanus in tomo 1. Opusculorum, et dubitanter hac de re loquitur Franciscus à Victoria Relectione 2. propos. 3.

Propositio. Diaconatus est verum legis Evangelicæ Sacramentum.

Probatur. Diaconatus, sive Diaconi Ordinatio est signum sensibile, quod justificantem gratiam ex Christi institutione producit: est igitur verum ac proprium Sacramentum. Probatur antecedens: Act. 6. ubi agitur de ordinatione septem Diaconorum, legitur v. 6. *Hos*, nempe septem viros, quos elegerant, *statuerunt ante conspectum Apostolorum*, *et orantes imposuerunt eis manus*. Quibus profecto monstratur signum sensibile impositionis manus, ut materia, et orationis, ut forma; simulque gratiæ indicatur effectus. Non enim Apostoli imponebant manus, et orabant, nisi ut illi, super quibus imponendo manus orabant, Spiritum Sanctum acciperent.

Quod autem signum illud ex Christi institutione descenderit, ipsum Apostolorum factum ostendit. Non enim illi ejuscemodi ritum usurpassent, nisi à Christo edocti fuissent; quorum

exemplo insistens Ecclesia perpetuo sibi Diaconos ordinavit.

Deinde Synodus Tridentina in sess. 23. can. 4. ait: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere; Accipite Spiritum Sanctum, . . . anathema sit.* Atqui in Latina Ecclesia dum Pontifex Diaconum ordinat, ei manum imponens, inquit: *Accipe Spiritum Sanctum*; et in Ecclesia Græca etsi non imperativo, deprecativo tamen modo eadem verba dicuntur. Ergo per ordinationem Diaconi datur Spiritus Sanctus; ac proinde ordinatio illa est proprium *Sacramentum*, sicut etiam Hieronymus eandem appellat adversus Vigilantium paulo post initium. Idem denique demonstratur ex sacris Diaconorum officiis, de quibus inferius disseremus.

Objicies 1. Ex citato Actorum textu nihil potest pro sententiæ nostræ confirmatione concludi. Ibi namque Diaconi dicuntur electi ad profanum solummodo ministerium; scilicet, ut mensis præsiderent, et eleemosynas in viduas ac pauperes erogarent. Eo enim in cap. v. 2. ajunt Apostoli: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, &c.* Primi ergo Diaconi electi fuere dumtaxat, uti mensarum, viduarumque ministri. Unde Hieronymus in epist. 146. ad Evangelum ait: *Quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi, sanguisque conficitur?*

Resp. septem Diaconos fuisse quidem electos occasione murmuris Græcorum, iisque viduarum curam, mensarumque communium directionem fuisse commissam, at simul illos inauguratos fuisse ministros sacros, non tantum ex manuum impositione, et oratione monstratur, verum et ex eo apertissime constat, quod Apostoli ad Diaconorum officium non qualescunque fideles elegerint; sed viros industrios, aliorum testimonio probatos, et *plenos Spiritu Sancto, et sapientiâ*, ut legitur v. 3. Quare ex illorum numero Stephanus de præcipuis mysteriis tanta spiritus vehementia disputavit, ut ei resistere nemo potuerit. Philippus etiam Samaritanis, Eunucho, aliisque baptisma contulit, et Evangelium prædicavit; unde et sibi nomen Evangelistæ promeruit. Ceteri quoque, si forte Nicolaum advenam Antiochenum excipias, præclarum in Ecclesia Christi testimonium reddiderunt, uti ex Martyrologiis apparet. Tales itaque viros nequaquam credibile

est ab Apostolis ita sollicite expetitos fuisse, ut unice mensarum ministerio, viduarumque curæ præessent; eo præsertim tempore, quo ad Christi fidem ubique disseminandam talibus viris vel maxime opus erat, neque deessent alii minus quidem docti, fideles tamen et industrii, qui possent temporalibus præponi negotiis.

Dicendum est itaque, primos Diaconos viduarum curæ præfectos, simul etiam sacros altaris fuisse ministros: idque insuper confirmatur ex eo, quod eleemosynæ viduis ac pauperibus distribuendæ, collectæ erant ex fidelium oblationibus, dum Sacrificium Eucharisticum immolabatur, die præsertim Dominica, uti colligitur ex 1. ad Cor. c. 16. Illarum ergo eleemosynarum œconomia demandanda iis erat, qui altaris ministerium excercebant.

Neque dictis obstant verba illa: *Non est aequum*, *&c.* Etsi enim mensarum ministerium à ministerio verbi, et oratione distinctum erat; non tamen unum alterum excludebat, sed utrumque simul Diaconi exequebantur. Nam ipsi quoque Apostoli, ut liberius orationi, et prædicationi vacarent, pauperum quidem curam comisere Diaconis, non ita vero, ut hanc à se penitus amoverent; uti constat ex Act. 11. v. 12. ex epist. ad Gal. c. 2. ex epistolis ad Corinthios, &c. Quia igitur quotidiana pauperum cura non parum interturbabat sublimiora Apostolorum officia; idcirco illi penes se hujusce rei auctoritate retenta, administrationem, exterioremque occupationem Diaconis commendarunt.

At dices. Si sacrum etiam erat Diaconorum ministerium, cur Lucas in Actis illud expresse non memorat?

Resp. unicum Lucæ fuisse consilium, litteris consignare occasionem, qua Diaconi ordinati fuerunt, non autem sacra illorum ministeria recensere, quæ ad historiam minime pertinebant, et quæ congruum erat infidelibus, et catechumenis occultare. Lege Cl. Estium in 4. d. 24. §, 18.

Tandem Hieronymus idcirco Diaconos viduarum, mensarumque ministros appellat, ut eorum superbiam, fastumque retundat, qui sese Presbyteris præferebant. Hos ergo monet, ut cogitent, qua primum occasione Diaconi fuerint constituti; non tamen asserit, quod in solo mensarum ministerio eorum versetur officium: imo eadem in epist. subdit: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, et filii ejus, atque Levitae in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, et Presbyteri, et Diaconi vendicent in Ecclesia Dei.* At Levitarum ministerium non erat profecto profanum.

Objicies 2. auctoritatem Trullanæ Synodi, quæ can. 16. ait: *Praedicti septem Diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ... sed eos esse quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant.* Idem sentire videtur Chrysostomus hom. 14. in Acta ab eadem Synodo laudatus, et Œcumenius suis in eundem locum Commentariis.

Resp. quosdam Trullanæ, seu Quinisextæ Synodi canones nullius esse ponderis, cum à placitis moribusque Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ recedant; uti patet ex hoc ipso can. 16. in quo canon Neocæsariensis de septem tantum Diaconis ordinandis in Ecclesia quantumvis numerosa rejicitur. Nituntur præterea Trullani Patres falsæ verborum Chrysostomi interpretationi; cum S. Doctor dumtaxat affirmet, ad Ordinem Diaconatus non pertinere, uti primarium munus, pecuniarum administrationem; quandoquidem illas in Ecclesia CP. et alibi non Diaconi, sed Presbyteri dispensabant; additque in Ecclesiæ exordio nullum fuisse Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum *nomen*; *interea* tamen peractas fuisse illorum *Ordinationes*, donec formata paulatim Ecclesia suus unicuique gradus consisteret. Ut ergo erant ab initio quantum ad characterem, et *ordinem* Episcopi, ita erant et Diaconi: atque id Chrysostomus absque ulla ambiguitate testatur, hom. 11. in epist. 1. ad Timoth. Imo eadem hom. 14. in Acta scribit in sacra septem illorum *Ordinatione* fuisse *impositionem manuum, quae hominis opus est, atque divinam operationem.* De Œcumenii vero sententia parum nihilque curamus.

Objicies 3. Cyprianus in epist. 65. ad Rogatianum ait: *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, idest Episcopos et Praepositos Dominus elegit; Diaconos autem post ascensum Domini in coelos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui et Ecclesiae ministros.* Non ergo Diaconatus est Sacramentum divinitus institutum.

Resp. S. Cyprianum unice affirmare, quod Christus per se immediate Diaconos minime ordinarit, sicuti eo modo in Apostolis ordinavit Episcopos. Et hac ratione quæ ampliorem Episcopalis Ordinis dignitatem supra Diaconatum ostendit, reprimit S. Doctor audaciam Diaconi cujusdam adversus Rogatianum Episcopum insurgentis.

Quod si tandem Diaconorum officia nosse volueris, reponemus ea plura esse, sed præcipue ad ipsos pertinere, ut Episcopis conciones habentibus præsto sint, et conficientibus Sacramenta

ministrent, in Missæ sacrificio Evangelium legant, atque cum eorum, qui præsunt, facultate, prædicent, baptisma conferant, et Eucharistiam distribuant. Olim quippe dum usus Calicis obtinebat, illum Diaconi communicantibus porrigebant. Diaconorum autem Ordinatio in Ecclesia Latina peragitur impositione manuum Episcopi, et traditione libri Evangeliorum; apud Græcos vero manuum impositione, et porrectione flabelli, quo apud Orientales sacra dona in altari posita ventilantur. At flabellum, quo nulla verborum expresione porrigitur, sacramentalis materiæ rationem habere non potest.

CAPUT VII.

De Presbyteratu.

Presbyter, πρεσβυτερ, Græce idem est, ac Latine *Senior*; quod nomen aliquando ætatem, aliquando honorem dignitatemque significat. Ita in Scriptura veteris Testamenti, et in Evangeliis vocabulum istud fere pro magistratu plebis accipitur, quod ea præfectura deferri plerumque soleat viris ætate provectis. In Actis autem et Epistolis Apostolicis Ecclesiasticam denotat præfecturam, duplicemque significationem habet, generalem unam, alteram specialem. In generali acceptione comprehendit Episcopos, imo et ipsos Apostolos, ut patet ex 2. et 3. Epistola Joannis, et ex 1. Petri ult. ubi Petrus et Joannes *Seniores*, nempe *Presbyteros* se appellant. Item ad Titum 1. Presbyterum pro Episcopo sumi, inde constat, quod cum v. 5. jubeat ei Paulus, ut constituat per civitates Presbyteros, v. 7. subdit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Lege etiam Act. cc. 14. 15., et 20. item 1. ad Tim. 3. &c.

Specialis autem ejusdem nominis acceptio sumitur à Paulo in 1. ad Tim. 5. v. 17. *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina*: et v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, &c.* Ubi agit Apostolus de Presbyteris Episcopi judicio subjectis, agnoscitque Presbyteros honore dignos, in doctrina tamen minime laborantes; quod de Episcopis dici non potest. Sed et Jacobus cum in epistola sua c. 5. scribit, ad infirmum adducendos esse *Presbyteros Ecclesiae*, simplices Presbyteros, et in speciali sensu intelligit, cum in una Civitate esse non possint plures Episcopi.

In hac ergo speciali significatione nunc Presbyteri nomen accipitur, quæriturque, an Presbyteratus Ordo sit proprium legis Evangelicæ Sacramentum?

Propositio affirmativa est contra hæreticos.

Probatur. Ordo Presbyteratus est ritus sensibilis, qui ex divina institutione confert gratiam, tribuitque spiritualem potestatem, est igitur verum ac proprium Sacramentum. Probatur antecedens: Est ritus sensibilis, cum adsit ibi materia, sive illa sit instrumentorum porrectio, sive manuum impositio, sive utrumque, (de hoc enim infra tractavimus) neque desit verborum forma applicata materiæ: ergo.

Præterea Ordo iste gratiam sanctificantem ex divina institutione producit ut constat ex dictis in hujus libri c. I. cum contra Novatores ostendimus, sacram Ordinationen esse verum propriumque Sacramentum. Tribuit quoque potestatem conficiendi Eucharistiam, et remittendi peccata, et alia quædam Sacramenta administrandi: ergo &c.

Id insuper confirmatur conciliorum Florentini, et Tridentini doctrina. Nam Florentinum, posteaquam ait Ordinem esse *sextum in Ecclesia Sacramentum*, immediate de Presbyteratu pertractat. Tridentinum quoque sess. 21. c. 1. ait institutos à Christo Sacerdotes, *cum dixit*: *Hoc facite in meam commemorationem*. Et sess. 23. c. 1. docet *esse in Ecclesia Dei visibile Eucharistiae Sacrificium, et visibile pariter, ac externum sacerdotium, quod à Domino Salvatore institutum est; atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio traditam esse potestatem consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus, et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi.* Denique ejusdem sessionis can. 2. difinit, Sacerdotium inter Ordines principem locum tenere, et in illud, tamquam in perfectiorem finem, tendere inferiores Ordines: canone autem 13. ferit anathemate affirmantes, *Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere, et proprie Sacramentum, à Christo Domino institutum.*

Objicies. In Scriptura non legitur, Presbyteratum à Christo fuisse institutum: ergo &c. Probatur antecedens: Paulus ad Ephesios 4. v. 11. enumerans singula officia, quæ Christus instituit *in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*, ait, ipsum dedisse *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores*, quin de Presbyteris, sive Sacerdotibus ullam faciat mentionem

aut hic, aut in 1. ad Cor. c. 11. ubi eadem fere dona recenset. Non ergo Christus in Ecclesiam Presbyteratum instituit.

Resp. ex dictis, à Christo Presbyteratum, sive Sacerdotium institutum fuisse, cum Lucæ 22. concessit Apostolis facultatem conficiendi, et offerendi Eucharistiam, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Paulus autem citatis in locis ordinaria, et Hierarchica Ecclesiæ ministeria non recenset; cum inter hæc nec sit Apostolatus, nec prophetia, nec gratia curationum, nec donum linguarum, quæ tamen ibi dinumerat; sed percenset, dona, seu gratias gratis datas, quas tunc fidelibus in ædificationem Ecclesiæ passim Deus largiebatur, et identidem etiam modo aliquibus pro sua voluntate distribuit.

Quod si affirmare volueris, Paulum etiam de ordinario, et permanente in Ecclesia ministerio fuisse locutum; reponemus, ab illo Sacerdotium comprehensum fuisse sub generali nomine *Pastorum* et *Doctorum*, per quos intelligi possunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi; de his enim tum Lucas in Actis, tum Paulus in suis Epistolis sæpe commemorant.

Denique Presbyterorum præcipua munia duo sunt, immolare Deo Sacrificium, et à peccatis absolvere; de quibus prolixe alibi disseremus. Ordinantur vero Presbyteri apud Latinos non tantum impositione manuum, verum etiam porrectione calicis cum vino, et patenæ cum pane; quam porrectionem esse Ordinis hujus materiam docet in Instructione Armenorum Eugenius IV. Quoniam tamen Orientales Ecclesiæ materia hac non utuntur, variantque etiam in aliis Ordinibus conferendis, opus est, ut de sacrarum Ordinationum materia distincto capite paulo inferius pertractetur.

CAPUT VIII.

De Episcopatu.

Episcopus, Ἐπίσκοπος Græce idem sonat, ac Latine *superinspector*, *speculator*, *visitator*, *superintendens*, ideoque hoc nomine apud profanos etiam Scriptores insigniti inveniuntur Reges, Præsides, ac Magistratus reipublicæ curam agentes. In veteri item Testamento is qui Levitis præerat Episcopus appellabatur, ut legitur 2. Esdræ c. 11. v. 22. Petrus denique in epist. 1. c. 2. v. 25. etiam Christum Dominum dicit *Pastorem*, et *Episcopum*

animarum nostrarum. Merito igitur qui in Ecclesiastica Hierarchia ceteris præponuntur, honestissimo amplissimoque Episcoporum nomine decorantur: uti enim inquit Augustinus in Psalmum. 126. *Altior in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut veluti in Specula constituti, superintendant, et custodiant populum.* De illorum autem Ordinatione videndum modo est, an veram habeat Sacramenti rationem.

Propositio. Episcopatus, sive Episcopi Ordinatio verum est Sacramentum, et quidem à Presbyteratu distinctum. Ita cum Ven. Scoto in 4. d. 24. q. unica communiter recentiores Theologi contra quosdam Veteres arbitrantur.

Probatur. Præcipua Scripturæ testimonia, ex quibus Catholici contra Lutheranos ostendunt, Ordinationem esse verum Sacramentum intelligenda sunt de Episcopali ordinatione; aut igitur ordinatio isthæc verum est Sacramentum, aut de ex illis Scripturæ testimoniis contra Novatores demonstrari non potest, Sacram Ordinationem esse verum Sacramentum: atqui posterius istud Tridentino Concilio, communique Orthodoxorum doctrinæ repugnat: ergo &c. Probatur antecedens: præcipui textus depromuntur ex 1. ad Tim. c. 4. v. 14. ubi de ejusdem Timothei ordinatione inquit Apostolus: *Noli negligere gratiam quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; idest, *Collegii Episcoporum*, uti Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus, aliique interpretantur. Item ex verbis illis in 2. ad Tim. c. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, &c.* probat Tridentina Synodus sess. 23. c. 3. Ordinem esse verum Sacramentum, per quod gratia conferatur. Cum itaque hisce in locis nonnisi de Episcopali ordinatione loquatur Apostolus, dicendum est, &c.

Præterea in Consecratione Episcopi reperitur idonea Ordinis, et Sacramenti materies, idest impositio manuum consecrantis, et forma. Confertur etiam duplex Ordinis sacramentalis effectus, gratia scilicet, et character: et quantum ad gratiam attinet, hanc in Episcopi consecratione conferri, colligitur ex mox citatis Apostoli verbis, quæ insuper collationem gratiæ sensibili signo, idest impositioni manus adscribunt; proindeque illam ex opere operato produci, et sacramentalem gratiam esse demonstrant. Certum est etiam imprimi characterem, cum valeant ordinationes illorum Episcoporum, qui propter schisma, vel hæresim ab Ecclesia separantur, sicuti docet S. Augustinus in lib. 2.

contra epist. Parmeniani c. 13. aliisque in locis adversus Donatistas. Habent ergo Episcopi vi consecrationis suæ potestatem aliquam indelebilem, quam neque ob hæresis crimen amittunt: hujuscemodi vero potestas aut character est, aut characteris effectus; per quam etiam Episcopatus semel rite collatus, nunquam nova consecratione repetitur. Divina denique institutio patet ex Act. 20. v. 28. Ergo Episcopatui nihil eorum deest, quæ ad Sacramentum ordinis requiruntur.

Huc accedit, quod Episcopalis Ordinatio *Sacramenti* nomine aperte à Patribus decoretur, præsertim à Leone M. qui serm. 1. in die anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum ait: *Cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro et sanguis creavit, eligitur; sed cessante privilegio patrum, et familiarum ordine praetermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus praeparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio coelestis gignat Antistitem.*

Etiam Gregorius M. lib. 4. in 1. Regum c. 2. semel ac iterum Sacramentum appellat unctionem, qua inaugurantur Episcopi, inquiens: *Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.*

Præterea apud Augustinum in lib. 1. de actis cum Felice Manichæo legitur hunc illi dixisse: *Non tantum ego possum contra tuam virtutem, quia mira virtus est Gradus Episcopalis.* Ex quo recte infert Estius, hæreticis Catholicisque persuasum tunc fuisse, quod Episcopali Ordinatione insignis gratia conferatur.

Id insuper ex Pontificali Romano colligitur, ubi præscribitur, ut Consecrator, et qui ipsi assistunt alii duo Episcopi, manus imponant supra eum, qui in Episcopum ordinatur, ac dicant: *Accipe Spiritum Sanctum.*

Postremo ex dictis clara certaque consecutione descendit Episcopatum esse Sacramentum à Presbyteratu omnino distinctum. Peculiari enim ritu, diversa consecratione, dispari ceremonia, propriisque materia, et forma perficitur; conferitque ulterius potestatem ordinandi, chrisma conficiendi, et consignandi, quam Presbyter vi ordinationis suæ non habet.

Objicies 1. Ex communi Theologorum sententia septem dum-

taxat Ordines numerantur: atqui si Episcopatus esset verus Ordo, ac proprium Sacramentum, Ordines essent octo, non septem.

Resp. Episcopatum ac Presbyteratum sub uno Sacerdotii Ordine comprehendi; quod idem est ac Sacerdotium (uti genus in species) in duos dispesci Ordines, quorum alter potestatem tradit Eucharistiam offerendi, alter vero excellentior confert auctoritatem ordinandi illos, qui Eucharistiam conficiunt immolantque. Hinc Tridentina Synodus sess. 23. cap. 2. dum septem enumerat Ordines, supremum non Presbyterorum appellat, sed *Sacerdotum*, Episcopos simul Presbyterosque complectens. Hinc et nonnulli Veteres, ex quibus Optatus in lib. 1. n. 13. Episcopos *in primo*, Presbyteros *in secundo Ordine* constitutos appellant; extantque Theodosii, et Valentiniani leges, in quibus agitur *de secundis Sacerdotibus*. Ex quibus apparet, septenarium Ordinum numerum non augeri, etiamsi Episcopatus inter Ordines, et Sacramenta ponatur.

Ceterum non defuere, qui octo Ordines numerarunt; atque his consentire videntur Carthaginense Concilium IV. et Latina Græcaque Pontificalia de ordinandis Episcopis separatim agentia. Ajunt vero, recte vulgo septem Ordines recenseri, quia septem dumtaxat ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum directe respiciunt; Episcopatus autem ad regendam Ecclesiam, creandosque Sacramentorum Ministros immediate refertur. Lege Estium in 4. d. 24. §. 28.

Objicies 2. Ea est Ordinum natura, ut unus sine alio inferiore collatus imprimat characterem, nec sit iterandus; ut constat de Presbytero, aut Diacono per saltum ordinatis, cap. *Sollicitudo* dist. 52. et cap. *Tuae litterae* lib. 5. Decret. tit. 29. Atqui ex communi Theologorum sententia nequit quis omisso Presbyteratu in Episcopum ordinari.

Resp. cum Estio citato in loco, quod in Ordinibus Sacerdotio inferioribus non confertur potestas alicujus operis, quod humanam virtutem omnen excedat: unde aliquando etiam non ordinatis actiones illorum Ordinum committuntur. At in Sacerdotio talis potestas datur, quæ in Episcopatu non datur, nec tamen ea carere potest Episcopus; ideoque nemo valet in Episcopum ordinari, nisi prius fuerit ordinatus Sacerdos: sicuti nemo confirmari potest, nisi prius fuerit baptizatus.

Objicies 3. Si Episcopatus ob ampliorem sui dignitatem esset Ordo, et Sacramentum à Presbyteratu distinctum, etiam Archie-

piscopatus, Patriarchatus, et Papatus essent Ordines, et Sacramenta ab Episcopatu diversa; quod nemo dixit.

Resp. negando sequelam, quoniam in variis Episcoporum gradibus eadem est potestas Ordinis, ac sola jurisdictionis, dignitatisque diversitas. Unde Doctor Angel. in suppl. q. 40. a. 6. ad 3. ait: *Potestas Sacerdotis exceditur à potestate Episcopi, quasi à potestate alterius generis: sed potestas Episcopi exceditur à potestate Papae quasi à potestate ejusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione Sacramentorum, potest facere Episcopus. Non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus potest facere Sacerdos in collatione Sacramentorum. Et ideo quantum ad ea, quae sunt Episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt aequales.*

Ex dictis denique confutata remanet Scholasticorum illorum opinio qui dixerunt, in Episcopali consecratione non imprimi distinctum characterem; sed ampliari dumtaxat, perfectioremque reddi characterem Ordinis Presbyteratus, et ad ea, quæ sunt Episcoporum, extendi. Si enim Episcopatus à Presbyteratu diversus est Ordo, diversumque Sacramentum; ergo diversus etiam per ipsum character imprimitur. Deinde quærimus quid importet illa Presbyteralis characteris extensio; estne reale aliquid, vel dumtaxat relatio rationis? Primum dici non potest, tum quia realiter proprieque nequit extendi, quod partibus caret, uti est character spiritualem mentem informans; tum quia par virtus exigitur ad characterem reipsa extendendum, ac ad imprimendum novum: ergo si Episcopatus pristinum Presbyteratus characterem extendere valet, valet et alium recentem imprimere. Neque alterum dici potest; nam si potestas, quæ in Episcopatu confertur, est vera, realis, et à simplici Presbyteratus potestate distincta; ergo et Episcopalis character esse debet verus, realiterque distinctus.

Tandem ordinantur Episcopi impositione manuum, positione Codicis Evangeliorum supra caput, unctione ejusdem capitis ambarumque manuum, ac denique traditione Codicis Evangeliorum, baculi pastoralis, et annuli. Postremo cum illi ad regendam Dei Ecclesiam à Spiritu Sancto sint positi, ad eorum officium pertinet quidquid ad pascendum Christi gregem exigitur; nimirum ut doceant, ut Sacramenta omnia administrent, ut jurisdictionem exerceant.

CAPUT IX.

Ubi de Ordinis materia, et forma tractatur.

Diximus in lib. 24. c. 2. omnia novæ legis Sacramenta constare materia, et forma, sive re aliqua sensibili, et aliquibus verbis, quibus ad rem sensibilem accedentibus perficitur Sacramentum: cum itaque Ordinatio novæ legis Sacramentum sit, patet et ipsam habere sensibile aliquid per modum materiæ, et aliquibus constare verbis, quæ formæ locum teneant, remque sensibilem ad rationem Sacramenti determinent.

Hinc Eugenius IV. in Instruct. Armenorum de Ordinis Sacramento sic loquitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem: forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*

At cum Græca Ecclesia in conferendis Ordinibus Hierarchicis, Episcopatu scilicet, Presbyteratu, et Diaconatu, solam manuum impositionem adhibeat; neque instrumentis utatur; idcirco Scholastici in assignanda essentiali Ordinum materia plurimum altercantur. Nonnulli enim illam in sola instrumentorum porrectione constituunt; uti putarunt Capreolus, Dominicus Sotus, Vasquez, et alii, ac Thomistæ præsertim multi, asserentes impositionem manuum ad Sacramenti quidem integritatem, non vero ad substantiam pertinere. Alii è contra Diaconatus, et Presbyteratus, et Episcopatus materiam locant in sola manuum impositione; instrumenta vero esse materiam accidentariam, aut integrantem existimant; quod tamen de aliis Ordinibus dici non potest, cum in Latina Ecclesia minores Ordines, et Subdiaconatus per instrumenta dumtaxat sine impositione manuum conferantur: hac in sententia sunt Juenin, Tournely, aliique plures ex recentioribus Theologis. Quidam postremo in eisdem Ordinibus duplicem materiam partia-

lem agnoscunt; instrumentorum scilicet porrectionem, et impositionem manuum: ita sensere Petrus Soto, et Cardinalis Hosius, aliique à Bellarmino citati, quorum nos opinionem uti probabiliorem amplectimur.

Propositio 1. Probabiliter arbitramur, quod essentialis materia Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus tum in instrumentorum porrectione, tum in manuum impositione consistat.

Probatur 1. pars ex relatis supra Eugenii verbis, ubi de Presbyteratu, et Diaconatu loquens Pontifex, essentialem illorum Ordinum materiam tradit; sicuti dum de aliis Sacramentis agit, non aliam materiam, nisi essentialem assignat. Deinde Pontificale Rom. in tit. *de Ordinibus conferendis* affirmat in traditione instrumentorum imprimi characterem; nam inter ceteras Pontificum exhortationes in omnibus Ordinationibus faciendas hæc habet: *Moneat ordinandos, quod instrumenta, quibus character imprimitur, tangant.*

Præterea illa est sacrorum Ordinum essentialis materia, quæ est sensibile signum, quo spiritualis potestas traditur Ordinato. Atqui signum illud est sacrorum instrumentorum porrectio, cui et additur forma verborum, *Accipe potestatem*, &c. Instrumentorum ego traditio est sacrorum Ordinum essentialis materia. Lege S. Thomam in suppl. q. 37. a. 5. et S. Bonaventuram in 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4.

Hinc opinamur, ad essentialem Episcopalis Ordinis materiam non pertinere solam manuum impositionem, verum et traditionem codicis Evangeliorum cum verbis adjunctis: *Accipe Evangelium, et vade, praedica populo tibi commisso*, &c. Per hoc enim sensibile signum traditur Ordinato spiritualis potestas Evangelium prædicandi, quæ ita Episcoporum propria est, ut nullus alius nisi de illorum licentia, valeat prædicare. Lege Synodum Tridentinam in sess. 5. de reformatione c. 2.

Probatur 2. pars. Scriptura dum loquitur de Ordinationibus Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, semper dicit eas per manuum impositionem fuisse peractas; ut constat ex Act. 6. v. 6. Act. 13. v. 3. 1. ad Tim. 4. v. 14. et 2. ad Tim. 1. v. 6. in quibus etiam posterioribus locis vis conferendi gratiam eidem impositioni tribuitur. Atqui ejusmodi vis convenire non potest ritui, qui accidentalis sit, et ad Sacramenti substantiam nulla ratione pertineat. Ergo manuum impositio saltem uti pars spectat ad esentialem Hierarchicorum Ordinum materiam, cum sit signum gratiæ,

et characteris, efficiens: idque tenemur firmissime asserere quicunque adversus hæreticos dicimus sacræ Ordinationis Sacramentum ex Paulinis Epistolis demonstrari.

Patres insuper, Romanique Pontifices vim gratiæ productivam manuum impositioni passim attribuunt. Vide Ambrosium in lib. de Dignit. Sacerd. c. 5. Hieronymum in c. 58. Isaiæ, Augustinum lib. 5. de Bapt. c. 20. necnon Innocentium I. epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ c. 3. Leo M. epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ, &c.

Accedunt quoque Concilia, ac præsertim Carthaginense IV. quod can. 2., 3. et 4. disertis verbis affirmat, Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos per impositionem manuum ordinari; et Tridentinum sess. 14. de Extrema Unctione cap. 3. docens, quod ejusdem Sacramenti ministri sint *aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii.*

Propositio 2. Materia Subdiaconatus, et minorum Ordinum est instrumentorum porrectio.

Probatur ex Pontificali Romano, quod quidem referens Ordinationem Subdiaconorum, inferiorumque Clericorum solam instrumentorum porrectionem sine manuum impositione commemorat; idque juxta ritum jam in Carthaginensi Concilio IV. cap. 5. præscriptum: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum.* Apud Orientales tamen non majores tantum Ordines, verum et Hypodiaconatus, et Lectoratus manuum impositione conferuntur.

Objicies 1. contra 1. propos. Scriptura, et Patres de instrumentorum traditione nihil affirmant, sed eam progressu temporis sola injunxit Ecclesia. Atqui Ecclesia circa Sacramentorum materias innovare nihil valet. Instrumentorum ergo traditio est ceremonia tantum accidentalis, neque ut pars pertinet ad substantiam Sacramenti.

Resp. juxta non improbabilem opinionem quam exposuimus in lib. 24. c. 2. non omnium Sacramentorum materias fuisse à Christo in specie determinatas, ut aquam in Baptismo, et panem ac vinum in Eucharistia: sed quorundam Sacramentorum materias determinavit ille dumtaxat in genere, relinquens Ecclesiæ facultatem aliquid addendi, quod ad magis explicite significandum easdem materias limitaret. Ita se gessit Christus in constituendo Episcopatu, Presbyteratu, et Diaconatu, quorum mate-

ria est utique manuum impositio; sed ut hæc determinaretur ad istam potius speciem Ordinis, quam ad aliam, permisit Ecclesiæ, ut posset signum aliud magis expressivum adjungere. Latina autem Ecclesia instrumentorum porrectionem adjunxit, per quam expressius significatur potestas Ordinato collata. Id illustrare nonnulli solent exemplo Sacramenti Matrimonii, cujus materiæ, nempe contractui, Ecclesia quasdam addidit solemnitates, sine quibus antea erat, nunc vero non est sufficiens Sacramenti materia.

Objicies 2. Eugenius IV. in laudato Decreto de Ordinis materia disserens, instrumentorum traditionem assignat, de manuum vero impositione ne verbum quidem apponit. Ergo hæc in Latina saltem Ecclesia ad Ordinis materiam omnino non pertinet.

Resp. idcirco Eugenium de sola instrumentorum traditione fuisse locutum, quia Armenos docere voluit, non tantum impositionem manuum, quod jam illi sciebant, sed etiam instrumentorum traditionem in Ecclesia Latina ad Ordinis essentiam pertinere; sive, quod idem est, affirmare voluit Pontifex, porrectionem instrumentorum in Latina Ecclesia ad essentiam Ordinis spectare, cum ad id in Ecclesia Orientali dumtaxat spectet manuum impositio.

Objicies 3. Juxta Pontificale Romanum ter manus imponuntur in Ordinatione Presbyteri; primo videlicet, quum Episcopus utramque manum ponit super caput Ordinandi, nihil dicens; quod et faciunt post illum Sacerdotes omnes adstantes: secundo dum et Pontifex, et Sacerdotes simul dexteras super Ordinandos tenent extensas, Pontifex autem dicit orationem illam, *Oremus, fratres charissimi, &c.* tertio, quando in fine Missæ impositis super Ordinatum ambabus manibus inquit Episcopus, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* Atqui prima manuum impositio esse non potest substantialis materia, cum nulli verborum formæ jungatur, neque priscis sæculis obtinuerit, neque modo in usu sit in Græca Ecclesia. Ultima etiam manuum impositio esse nequit materia substantialis, cum Presbyteri ante oblationem et consecrationem Eucharistiæ sint ordinati. Oportet igitur, ut materia Presbyteratus apud Latinos in secunda impositione manuum statuatur. At oratio quæ huic manuum impositioni conjungitur, apud Latinos rationem formæ non habet; cum sit nuda divini auxilii pro proxima Ordinatione precatio; quod facile tum ex ejusdem orationis lectione dignoscitur, tum ex subsequentibus rubricis, in quibus usquedum instrumenta tradantur,

adstantes *Ordinandi* dicuntur; porrectis autem instrumentis, et pronunciata ea forma, *Accipe potestatem, &c.* ubique *Ordinati* vocantur. Sola ergo instrumentorum traditio est essentialis sacri Ordinis materia.

Resp. in Ordinatione Presbyteri duplicem conferri potestatem; unam, eandemque præcipuam, supra corpus Christi verum, qua Eucharistiam conficere, et Sacrificium corporis, et sanguinis Domini potest offerre. Altera est potestas supra corpus Christi mysticum, qua potest à peccatis absolvere. Materia adæquata Ordinationis Presbyteri, quatenus potestatem primam confert, consistere videtur in secunda manuum impositione, prout conjuncta moraliter est cum instrumentorum porrectione, et cum forma verborum, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* ita nimirum, ut manuum impositio sit materia inchoans Ordinationem; instrumentorum vero traditio *quibus* juxta Pontificale Romanum *character imprimitur*, sit materia complens, verbisque perficiens Sacramentum.

Materia autem Ordinationis Presbyteri, prout potestatem tribuit absolvendi, est ultima manuum impositio; forma vero sunt verba, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Unde consequitur, quod Ordinatio Presbyteri in Latina Ecclesia quasi duplici Sacramento perficitur; quorum primum significat, efficitque gratiam, et characterem Presbyteri, ut Sacerdotis; secundum vero significat, et efficit gratiam, ac characterem Presbyteri, ut Judicis in foro interno: hæc autem partialia Sacramenta perficiunt integrantque unum totale Ordinis Sacramentum.

Et sane quando Episcopus Sacerdoti manus imponens inquit, *Accipe Spiritum Sanctum*, habetur signum visibile efficax gratiæ, et distinctum ab eo, quo instrumenta tradens, ait: *Accipe potestatem, &c.* Hinc Synodus Tridentina in sess. 23. can. 4. anathemate ferit eos, qui dicunt *per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum.* Præterea duæ illæ potestates consecrandi, et absolvendi, licet una supponat aliam, sunt valde diversæ, cum earum actus *genere* distinguantur: ergo neutra aliam ita complectitur, ut dum prior confertur, conferri et altera censeatur; ergo per distinctam formam et materiam conferuntur, distinctoque charactere subsistunt: proindeque ultima manuum impositio concurrit uti materia ad constituendum partialiter Presbyteralis Ordinis Sacramentum.

Quæ tandem diximus, Subtilis etiam Doctoris calculo roborantur: scribit enim ille in 4. d. 24. q. unica: *In sacerdotio videtur probabile, quod ibi sint duae formae partiales, in quarum altera confertur potestas conficiendi Eucharistiam: in reliqua potestas absolvendi in poenitentia: et istis conjunguntur duae materiae, hoc est, duo signa visibilia propria; formae primae traditio calicis, et patenae cum hostia:* Accipe potestatem celebrandi, &c. *secundae formae impositio manus Episcopi super caput:* Accipe Spiritum Sanctum: *ut sic Episcopus concorditer agat summo Episcopo Christo, qui prius contulit potestatem Apostolis conficiendi, quam absolvendi.* Scribit insuper in 4. d. 19. q. unica: *Quod sicut sunt duae potestates, ita duo characteres: et uterque imprimitur in signo proprio sensibili significante illud invisibile: utpote primus in datione calicis cum illis verbis,* Accipe potestatem celebrandi, &c. *secundus in impositione manuum, cum illis verbis,* Accipe Spiritum Sanctum, &c.

Denique cum in Diaconatus, et Episcopatus collatione non inveniantur duæ illæ tam diversæ potestates, quæ in Presbyteratu relucent, idcirco non nisi unicum in eis characterem admittimus, quem imprimi arbitramus per manuum impositionem moraliter cum instrumentorum porrectione conjunctam.

CAPUT X.

Agit de ejusdem Sacramenti Ministro.

Quarto Ecclesiæ sæculo Aerius ægre ferens, quod Episcopatum, quem anxie ambiebat, obtinere non posset, inter errores alios affirmavit, nullum Episcopos inter Presbyterosque versari discrimen, utrosque Ordine ac dignitate pares esse, ac tandem utrisque ordinandi munus ex æquo competere. Contra hunc errorem, quem posteriores aliis adoptarunt hæretici, sit

Propositio 1. Solus Episcopus jure divino est ordinarius hujus Sacramenti Minister.

Probatur ex Scripturis, quæ non alii, quam Apostolis, eorumque successoribus, Episcopis nempe, jus tribuunt ordinandi. Ita Act. 6. ordinarunt Apostoli septem Diaconos. Paulus et Barnabas Act. 14. per plures Ecclesias Presbyteros constituerunt. Item Paulus in 2. ad Tim. 1. v. 6. testatur eundem Timotheum per impositionem manuum suarum fuisse ordinatum: et in epist.

1. c. 4. v. 14. *Noli* inquit, *negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*: ubi Presbyterii nomine Episcoporum cœtum intelligit, uti exponunt fere omnes Interpretes, ac Græci præcipue. Denique idem Apostolus in 1. ad Tim. 3. et 5. et ad Tit. 1. eis tanquam Episcopis declarat, quosnam debeant ordinare, monetque, ne cuiquam cito manus imponant, idest, non prius quam eorum vita, moresque probaverint.

Hanc præterea veritatem SS. Patres perpetuo tradiderunt. Hos inter Chrysostomus hom. 11. in epist. 1. ad Tim. de Episcopis ait: *Sola ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur*: Idem asserit et Hieronymus in epist. ad Evangelum: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod presbyter non faciat?* Tandem Epiphanius hær. 56. Aerium confutans, hæc inter alia scribit; *Quinam vero fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?*

Hujus insuper rei rationem proferens S. Bonaventura in 4. d. 25. p. 1. a. 1. q. 1. inquit: *Quia Ordo potestas est, sive in Ordine potestas traditur; ideo ab eo debet tradi, qui potestatem habet, et inquantum habet potestatem. Posse autem gradus distribuere, et conferre non est cujuslibet potestatis, sed ejus, qui in potentia supereminet, sicut patet etiam in regimine curiae saecularis...*

Alia ratio est: quia si passim omnibus esset concessum, tot admitterentur ad Ordines, quod non servaretur ordo, immo potius generaretur confusio: et ideo dispositum est Dei consilio, quod solis Episcopis Ordinum dispensatio, et aliorum perfectorum, ut consecratio Abbatum, Monialium, et Ecclesiarum, et consimilium concedatur. Lege etiam S. Thomam in suppl. q. 38. art. 1.

Bene ergo recteque Synodus Tridentina in sess. 23. can. 7. taliter definivit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem,... anathema sit.* Hanc quoque doctrinam exposuerat in ejusdem sess. cap. 4.

Objicies. Presbyter ordinario jure potest corpus Domini consecrare, ad quod, uti ad majus ac principale, Ordo refertur: ergo multo magis potest ad munus consecrandi aliquem ordinare.

Deinde presbyteri una cum Episcopo manus illis imponunt, qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur: ergo ordinandi potestas non minus Presbyteris competit, quam Episcopis.

Resp. ad 1. cum S. Thoma in loco citato ad 4. quod *quamvis Sacramentum Eucharistiae sit maximum Sacramentum in se, tamen non collocat in aliquo officio, sicut Ordinis Sacramentum.* Collocare autem in officio ad eum spectat, qui habet *eminentiam dignitatis*, ut ait S. Bonaventura. Denique Spiritus Sanctus, prout voluit, singulis sua dona divisit: illudque effatum, *Quid potest majus, potest et minus*, tunc valet, quum *majus includit illud minus, ut ferre duos modios includit unum: non sic est in proposito*: inquit idem Seraph. Doctor in loco citato.

Ad alterum. Ritus, quo in ordinatione Presbyteri una cum Episcopo Presbyteri alii manus imponunt, est pura ceremonia non pertinens ad ordinationis essentiam, sed demonstrans consensum, societatemque initam cum Presbytero recens electo. Hinc Presbyteri qui in ordinatione manus imponunt, formam non proferunt: ergo ordinationis Ministri esse, dicique non possunt.

Propositio 2. Simplex Sacerdos ex Romani Pontificis dispensatione potest esse extraordinarius quorumdam Ordinum Minister.

Et 1. quod minores Ordines possint à simplici Presbytero ex Romani Pontificis commissione conferri, ex praxi ubique recepta evidenter ostenditur. Nam Cardinales non Episcopi in propriis Ecclesiis minores Ordines subditis suis conferunt ex consuetudine à Summo Pontifice approbata. Quo etiam privilegio fruuntur Abbates, dummodo *Presbyteri sint, et ab Episcopo juxta morem Abbatum praeficiendorum fuerint benedicti*; prout can. 14. anno 787. declaravit Nicæna II. sive VII. Synodus Œcumenica. Eundem canonem laudavit, confirmavitque iisdem conditionibus Innocentius III. in rescripto ad Rothomagensem Archiepiscopum, quod extat in 1. Decretal. tit. 14. cap. *Cum contingat.* Ac postremo Tridentina Synodus sess. 23. de Reform. cap. 10. privilegium illud Abbatum supponit, districte prohibens, ne in posterum Abbates ipsi, aut alii quomodolibet cuiquam, qui non sit regularis sibi subditus, Tonsuram, vel minores Ordines conferant.

Certum est insuper ex eadem concessione posse Subdiacona-

tum à simplici Sacerdote conferri. Nam Gelasius I. in epist. 5. ad Episcopos Lucaniæ c. 6. monet Chorepiscopos, ut meminerint, *nulla sibi ratione concedi, sine Summo Pontifice, Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi*: accedente igitur ea permissione fas esset Presbytero conferre Subdiaconatum; quod etiam colligitur ex Meldensi Concilio anno 845. can. 44.

Sed dices. Subdiaconatus, et minores quoque Ordines juxta opinionem nostram vera sunt Sacramenta; ergo si Sacramentum Ordinis est conferendum ab iis, qui per characterem Episcopatus potestatem acquirunt, neque Subdiaconatus, neque minores Ordines conferri possunt à simplici Sacerdote, quacunque etiam supposita facultate.

Resp. non repugnare, quod aliquis per characterem Episcopalem constituatur hujus Sacramenti ordinarius Minister; simulque per characterem Presbyteratus quandam habeat aptitudinem, per quam, accedente Sedis Apostolicæ privilegio, valeat ordinare; ea ferme ratione, qua alibi diximus posse Presbyterum ex Romani Pontificis delegatione confirmare, et chrisma conficere, quanquam ad potestatem Ordinis Episcopalis ordinario id jure pertineat.

Nonnulli insuper arbitrantur, quod possit Pontifex collationem etiam Diaconatus simplici Sacerdoti committere; idque concessum asserunt ab Innocentio VIII. anno 1489. Joanni Abbati Cistercii Diœcesis Cabilonensis, et Abbati quatuor Monasteriorum, quæ *post, et immediate per dictum Monasterium fundata erant.* Istud vero privilegium germanum esse prolixe solideque demonstrat Cl. P. Berti in lib. 36. c. 13. §. 4. ubi consimile privilegium FF. Minoribus in India concessum ex plurium Scriptorum testimonio narrat.

Quod autem ad Presbyteratum pertinet, communior omnium fere Theologorum sententia docet, non posse collationem ejus à Rom. Pontifice simplici Presbytero delegari: Cujus rei hanc rationem passim adducunt, quod neque ex Scripturis, neque ex Conciliis, neque ex Patribus, neque ex Ecclesiastica historia momentum ullum proferri possit, quo à simplici Presbytero Presbyteros alios ordinatos fuisse probetur. Neque obest, quod aliquando Chorepiscopi Presbyteros ordinaverint, ut colligitur ex canone 10. Antiocheni Concilii, nam Canon ille non de Chorepiscopis omnibus loquitur, sed de iis, qui *ut Episcopi consecrati erant.* Demonstrarunt enim Hallier, De Marca, Morinus,

aliique plures doctissimi Viri, nonnullos ex Chorepiscopis Episcopali consecratione fuisse insignitos.

Manifestum denique est, Episcopatum à solis Episcopis posse conferri. Ratio enim, quam nuper de Presbyteratu tetigimus, à fortiori tenet, dum de Episcopatu disseritur. Theologi etiam illi, et Canonistæ nonnulli, qui docent posse Presbyteros conferre Ordines, etiam sacros, ea utuntur ratione, *quod Papa delegante Ordinatus possit conferre Ordinem, quem habet*, ut inquit Glossa in caput, *Manus quoque* de Consecrat. dist. 5. et in cap. *Pervenit*, dist. 95. quare in istorum quoque sententia, qui Episcopatu carent, illum conferre non possunt.

Hic insuper notandum est ad consecrationem Episcopi requiri, ut tres, aut duo saltem intersint Episcopi. Id demonstratur ex innumeris Conciliorum canonibus; imo horum aliqui septem, aliqui duodecim Episcopos, aliqui etiam conventum omnium provinciæ Episcoporum ad solemniorem Electorum inaugurationem videntur exigere. In Romana tamen Ecclesia ex antiquo more tres Episcopi Electum ordinant. Hæc enim praxis tam altas tertio sæculo radices egerat, ut referente Cornelio in epist. ad Fabium apud Eusebium lib. 6. H. E. c. 43., Novatus Episcopatum rapere cupiens, tres Episcopos Romam advocaverit, ut ab iis temulentis inani manuum impositione crearetur Episcopus.

Putarunt aliqui plurium Episcoporum præsentiam ad ordinationem Electi non solum requiri, ut Ordinatio sit legitima, et canonica, verum etiam ut illa sit valida. At alii oppositum sentiunt, momentis innixi minime contemnendis, quæ legere Candidati poterunt apud Berti, Gotti, aliosque Theologos post S. Bonaventuram in 4. d. 25. p. 1. a. 1. q. 1.

Postremo ex Tridentino Concilio in sess. 23. de reformat. c. 8. notamus, unumquemque à proprio Episcopo ordinandum esse: *Quod siquis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat; Ordinans à Collatione Ordinum per annum, et Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

CAPUT XI.

Quod ab Episcopis haereticis, vel schismaticis, vel crimine quolibet pollutis valide Ordines conferantur.

Licet ex dictis in lib. 24. c. 12. et in lib. 25. c. 7. liquido concludatur, quod Episcopi hæresi, schismate, aut scelere quocumque polluti valide ordinent, si cum debita intentione legitimam materiam, ac formam adhibeant; hac tamen de re paulo nunc prolixius, distinctiusque tractandum est.

Quatuor olim circa quæstionem istam opiniones fuere, quas post Magistrum in 4. d. 25. enumerat S. Thomas in suppl. q. 38. a. 2. *Quidam enim dixerunt, quod haeretici, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem Ordines conferendi, non autem postquam fuerint ab Ecclesia praecisi, similiter nec degradati, et alii hujusmodi...* "*Alii dixerunt, quod praecisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia Episcopalem potestatem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi, et promovendi, sed promoti ab eis hoc non habent... Alii dixerunt, quod etiam praecisi ab Ecclesia possunt Ordines conferre, et alia Sacramenta, dummodo formam debitam, et intentionem servent, et quantum ad primum efectum, qui est collatio Sacramenti, et quantum ad ultimum, qui est collatio gratiae... Alii dicunt, quod vera Sacramenta conferunt, sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae.*

Hanc postremam opinionem, quam rejectis tribus aliis veram esse affirmat Doctor Angelicus, cui consonat Doctor quoque Seraphicus in 4. d. 25. p. 1. a. 1. q. 2., secuti sunt postea omnes Scholæ Theologi, si unus, vel alter excipiatur, et hac nostra ætate nemo unus ab ea dissentit.

Propositio. Episcopi hæretici, aut schismatici, aut quocunque scelere infecti, aut censura qualibet innodati valide Ordines administrant.

Probatur. Prædicti Episcopi haudquaquam amittunt potestatem, quam in Ordinatione acceperunt: hæc enim vel est ipse character Episcopalis, vel inseparabiliter cum illo conjungitur: ergo sicut hæresis, schisma, crimen quodlibet, et censura po-

testatem consecrandi non adimit, ita neque potestatem adimit ordinandi: ergo si cum debita intentione Episcopi hæretici, schismatici, &c. præscriptam materiam, formamque adhibuerint, valide ordinabunt; etiamsi ab Ecclesia fuerint præcisi, aut à præcisis ipsi fuerint promoti. Lege S. Thomam, et S. Bonaventuram in locis supra citatis.

Idem quoque probatur ex innumeris Ecclesiæ definitionibus, quibus Reordinationes fieri omnino prohibitum est. Ita Carthaginensis III. Synodus anno 397. can. 38. decrevit: *Non liceat fieri Rebaptizationes, et Reordinationes, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum.* Hæc est Capuana Synodus sub Siricio celebrata anno 389. Idem denique statutum est à Florentino Concilio in Decreto unionis, et à Tridentino in sess. 7. can. 9. et in sess. 23. can. 4.

Augustini præterea auctoritate thesis ista firmatur. Ille enim tam de Baptismo, quam de Ordine scribit in lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. *In Catholica utrumque non licet iterari*: et in lib. 1. de Bapt. c. 1. *Sicut baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum baptismi non amittit: sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit, &c.* Legendi sunt etiam Hieronymus in dialogo contra Lucifer. Gregorius lib. 2. epist. 46. aliique Patres.

Perpetuus denique Ecclesiæ consensus validas ostendit præfatorum Episcoporum ordinationes. Ephesina enim Synodus in Decreto, quod consequitur sextum canonem, recipiendos esse sancivit Messalianos hæreticos, ea conditione, *ut si Clerici fuerint, maneant Clerici; si laici, ad communionem admittantur.* In sedes quoque suas Toletana I. Synodus anno 400. restituit Symphosium, Dictinium, et Anterium Episcopos, posteaquam Priscillianistarum hæresim ejurarunt. Item in VII. Generali Synodo anno 787. act. 1. lecti fuerunt Canon 8. primæ Nicænæ Synodi, diversæ S. Basilii, S. Cyrilli Alexandrini, et S. Athanasii epistolæ, necnon Ephesinæ Synodi Canones, quibus definitur solos hæreseos principes perpetuo ab Ecclesiasticis honoribus esse dejiciendos, reliquos vero ad Ecclesiam redeuntes recipiendos in pristinum clericalem gradum: atque ita recepti fuerunt Iconoclastæ. Denique tertio sæculo Cornelius Papa Novatianorum ordinationes, et sæculo quarto Melchiades Donatistarum ordinationes minime repetendas esse apertissime declararunt.

Objicies 1. Innocentius I. in epist. 18. de Arianis ait: *Qui-*

bus solum baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti perficitur, nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo baptismate, illisque mysteriis arbitramur, quoniam cum à catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt, quae maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suae perfidiam perdiderunt. Ergo etsi hæreticorum baptisma ratum validumque dicendum sit, nullæ tamen irretæque sunt eorundem Ordinationes.

Resp. quod licet hæc duo vocabula, *ratum*, et *validum* sæpenumero promiscue usurpentur; *ratum* tamen illud dicitur, quod comprobatur, omnemque consequi potest effectum. Cum itaque hæreticorum baptisma, quamvis informe, sive gratia spoliatum, ad hujus consecutionem per pœnitentiam reparetur, recte illud Innocentius *ratum* esse pronunciat. At quoniam ordinati ab Arianis Episcopis, juxta vigentem Innocentii tempore disciplinam, quamvis hæresim detestarentur, non tamen admittebantur ad honorem, et ministerium Ordinis Ecclesiastici, sed dumtaxat communione laica donabantur; idcirco idem S. Pontifex Arianorum Ordinationes haudquaquam ratas affirmat. Et quidem hoc unum Alexander Antiochenus Episcopus petierat ab Innocentio, an ordinati ab Arianis essent in suo honore, et gradu suscipiendi: cui Innocentius respondens, allata baptismatis, et ordinis discrepantia, recipiendos non esse *cum Sacerdotii, aut ministerii cujuspiam dignitate*; nec Episcopum Arianum contulisse Clericis suis jus ministerii, et plenitudine Spiritus Sancti, *quam ipse per impietatis suae perfidiam amisit*, demonstrat se de hoc jure, et de hac plenitudine loqui, non de Ordinis charactere.

Objicies 2. Plus est aliquem ad Ordinem promovere, quam absolvere, vel ligare: atqui hæreticus præcisus ab Ecclesia neminem potest absolvere, vel ligare: ergo neminem potest ad sacros Ordines promovere.

Accedit, quod inferior potestas operari nihil potest, nisi cum superiori potestate jungatur: potestatis autem plenitudo est in Summo Pontifici, à quo hæretici, et schismatici disjunguntur.

Resp. cum S. Bonaventura in citato loco; »quod potestas »quadruplex reperitur in Ministris Ecclesiæ. Quædam namque »est fundata super ordinem principaliter, ut potestas conficien-

»di. Quædam super jurisdictionem canonicam principaliter, ut »potestas excomunicandi. Quædam super ordinem, et emi»nentiam, ut potestas ordinandi. Quædam super ordinem, et »jurisdictionem, ut potestas absolvendi, et ligandi in foro pœ»nitentiali. Et quoniam character auferri non potest: ideo potes»tas, quæ consequitur characterem, de facto auferri non potest. »Sed quoniam jurisdictio descendit ordinate à superiori ad infe»rius, ita quod plenitudo est in Summo Pontifice: ideo potest »auferre eam, et potestatem, quæ consequitur ipsam. Unde potest »excomunicando, auferre potestatem absolvendi, et excomunican»di, sed non ordinandi.

»Et per hoc patet responsio ad multa, et ad sequens etiam. »Quod enim objicitur, quod in Summo Pontifice est plenitudo »potestatis, verum est secundum quod potestas consequitur juris»dictionem, quæ maxima, et in termino est in eo; sed non in»quantum sequitur characterem, quia ille immediate à Deo im»primitur, et est in omnibus æqualis: tamen executio omnis po»testatis debet fieri secundum ejus regimen: et ideo si ipse pro»hibeat, non potest talis potestas licite exire in actum; tamen »quia ab ipso non dependet secundum rem de facto, facit sicut »et alius."

Objicies 3. Quandoque contingit, ut Ordinati non tantum suspendantur, et deponantur propter crimina, verum etiam degradentur. Degradatio autem significat ipsam gradus, sive Ordinis ablationem. Unde Glossa Decreti super cap. *Accedens* dist. 50. dicit Presbyterum degradatum non conficere Corpus Domini eo, quod potestatem omnem amiserit. Quod et alii multi sentiunt, teste Silvestro in sua Summa.

Resp. nonnunquam Ecclesiastica severitate Episcopos, vel Presbyteros propter gravissima quædam crimina degradari; non quod ab iis Ordinis potestas auferatur, cum id fieri omnino non possit; sed quia eis gradus, idest honor, dignitas, et locus Ordini congruens denegetur. Nihilo tamen minus inter suspensionem, depositionem, et degradationem, tametsi vicinas inter se censuras, discrimen habetur; quia per suspensionem et depositionem non honor aut locus Ordini debitus adimitur, quod in degradatione contingit, sed tantum ministerii executio inhibetur; idque vel cum spe restitutionis, quod qui patiuntur, proprie suspensi vocantur; vel omni spe restitutionis ablata, quod in depositione contingit. Hac de re plenius agit Silvester in Summa verbo, *De-*

gradatio; qui etiam allegatam Glossam, aliosque ei assentientes explodit.

Objicies 4. complura exempla ex Ecclesiasticis historiis petita, quibus Joannes Morinus in p. 3. de Sacris Ordinationibus Exercitatione 5. cc. 2., 3., 4., 5., 6. et 7. demonstrare conatur, olim irritas, et iteratas fuisse Ordinationes factas ab hæreticis, schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis aut excommunicatis Episcopis. Verum cum præfinita nobis brevitas hac de re prolixius disputare non sinat, Candidatos nostros ad Tournely, Berti, aliorumque Theologorum uberiora scripta remittimus.

CAPUT XII.

Ubi de Ordinationis subjecto disseritur.

De iis, qui ad sacros Ordines promovendi sunt, vel ab iisdem sunt arcendi, sermonem instituentes, primum illud inquirimus, an mulieres suscipere queant Ordinis Sacramentum?

Resp. negative. Ut enim inquit Paulus in 1. ad Cor. c. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et in 1. ad Tim. c. 2. v. 12. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Si ergo mulieribus neque docere, neque loqui in Ecclesia permittit Apostolus, quia id turpe esset; multo minus eisdem permittit ut sacra Ordinatione potestatem accipiant, qua non solum in Ecclesia loquantur, et doceant, verum etiam populo publice divina tradant, sacrificium ad altare offerant, vel proxime offerenti assistant, solemniter baptizent, à peccatis absolvant: &c.

Hinc Patres omnes uti hæreticos habuerunt, qui ad sacros Ordines, ipsumque Sacerdotium mulieres admittebant. Hujusmodi fuere Gnostici, Cataphrygæ, Pepuziani, et Collyridiani, contra quos acuere stilum Tertullianus, Augustinus, aliique ac præsertim Epiphanius, qui in hær. 79. n. 3. ex eo etiam urget Collyridianos, quod à Mundo condito ad hæc usque tempora, apud veræ religionis cultores nunquam mulier ulla sacrificasse legatur; quodque *si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam in Ecclesia praestare liceret, nulli potius, quam Mariae, illud in novo Testamento committi Sacerdotis officium*

debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio, sinuque suo Regem omnium, ac coelestem Deum, Deique Filium exciperet..... Verum longe Deo aliter visum est; ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta; cum alioqui tingi ab illa Christus potius, quam ab Joanne, potuisset. Lege S. Thomam in supl. q. 39. a. 1. S. Bonaventuram in 4. d. 25. p. 1. a. 2. q. 1.

Dices 1. In Veterum scriptis frecuens mentio fit Subdiaconissarum, Presbyterarum, et Episcoparum. Ergo sacri quondam Ordines mulieribus fuere collati. Et ad Diaconissas præsertim quod attinet, certum est in Pontificali, et Euchologio Græcorum haberi ritum earundem Ordinationis, in qua non tantum illis caput inclinantibus Episcopus *manum imponit*, orationemque fundit gratiam apprecando, verum etiam circumponit ipsarum collo *stolam diaconalem.*

Resp. Episcopas, Presbyteras, &c. olim appellatas fuisse mulieres, eo quod illarum viri ad Episcopatus, Presbyteratus, &c. Ordines assumebantur, easque relinquebant, aut in sæculo castitatis voto obtrictas, aut in Monasteriis Religionem solemniter profitentes. Hoc in sensu hujusmodi nomina usurpata leguntur in Concilio Turonensi II. anno 567. can. 12. et 19. in Antisiodorensi anno 578. can. 21. et 22. in Romano anno 721. cap. 1. et 2. et alibi sæpe.

Diaconissæ dictæ sunt etiam quædam insignes pietate mulieres, quæ obibant munia docendi, ac denudandi feminas baptizandas. Illarum autem Ordinatio non fuit sacramentalis; tunc enim manus impositio est ritus Sacramenti Ordinis, si adhibeatur ad conferendam Ecclesiastici ministerii potestatem: uti vero scribit Epiphanius in citata hæresi 79. n. 3. *Quanquam Diaconissarum Ordo est in Ecclesia, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est: sed ut muliebris sexus honestati consulatur: sive ut baptismi tempore adsit: sive ut inspiciat si quid passa sit, aut molestiae pertulerit: sive ut cum nudandum est mulieris corpus, interveniat: ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita; sed à sola Diaconissa videatur: quae Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur.*

Dices 2. Abbatissæ Monialibus præsunt: ergo potest eis committi potestas absolvendi, et ligandi; proindeque et Sacerdotalis Ordo conferri.

Resp. cum S. Bonaventura in quæs. citata, quod Abbatissæ

non habent locum praelationis ordinariae; sed quasi loco Abbatis sunt substitutae, propter periculum cohabitandi cum viris: unde non possunt ordinarie absolvere, nec ligare: officium autem Sacerdotale, vel etiam cujuslibet Ordinis, cui datur ordinarie, eidem datur etiam potestas ista.

Postremo si dixeris, Judicum cap. 4. legi, quod Debbora judicaverit Israel, eique præfuerit; respondebimus ex eodem S. Doctore, *quod illa fuit potestas temporalis, non spiritualis. Mulieribus autem bene licet temporaliter dominari, sed non spirituali dominio.* Notat præterea Philosophus lib. 1. Politic. corruptelam esse Reipublicæ, ut principatus, regnique administratio feminis committatur: at Ecclesia est Christi regnum terreno Regno præstantius; proindeque oportuit, ut sexus muliebris ab ejus regimine simpliciter esset exclusus.

Quærimus 2. an valide ordinari possit, qui non adhuc Baptisma recepit?

Resp. minime. Nam ut etiam in lib. 26. c. 5. diximus, Baptismus est janua omnium Sacramentorum, ejusque character aliorum fundamentum est; neque potest quis Ecclesiæ juribus, ministeriis, et facultatibus frui, nisi prius illius corpori sit insertus. Hinc Nicæna Synodus can. 19. de Clericis Paulianistarum baptizatis absque SS. Trinitatis invocatione, inquit, *Rebaptizati ordinentur*, quoniam irrito baptismate irritæ quoque sunt Ordinationes. Extat præterea 3. Decretal. tit. 43. antiquissimus canon iste: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.* Similia Innocentius III. cap. *Veniens*, eodem titulo. Lege tandem S. Thomam in suppl. q. 35. a. 3.

Sed contra dices. Contingere potest, quod aliquis non baptizatus se baptizatum existimet: Si ergo ille ad sacram Ordinationem accedat, hujus Sacramenti characterem minime consequetur (posita veritate sententiæ quam tuemur); proindeque, dum consecrabit, vel absolvet, nihil efficiet, imo in his decipietur Ecclesia, quod immane quantum absurdum est.

Resp. cum S. Thoma in citato loco ad 2. «quod talis si ad Sa»cerdotium promoveatur, non est Sacerdos, nec conficere potest, »nec absolvere in foro pœnitentiali. Unde secundum Canones »debet iterato baptizari, et ordinari. Et si etiam in Episcopum »promoveatur, illi quos ordinat non habent Ordinem; sed tamen »sic credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramento-

rum, Summus Sacerdos suppleret defectum, et quod non permitteret hoc ita latere, quod Ecclesiæ posset periculum imminere.

Quæritur 3. an pueri ante rationis usum valide possint Ordines suscipere?

Resp. affirmative. *Dicendum*, scribit hac de re S. Thomas in suppl. q. 39. a. 2., *quod per pueritiam, et alios defectus, quibus tollitur usus rationis, praestàtur impedimentum actui; et ideo omnia illa Sacramenta, quae actum requirunt suscipientis Sacramentum, talibus non competunt, sicut poenitentia, matrimonium, et hujusmodi. Sed quia potestates infusae sunt priores actibus, sicut et naturales, quamvis acquisitae sint posteriores: remoto autem posteriori non tollitur prius: ideo omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate Sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri suscipere, et alii qui usu rationis carent.* Et sane, ut ibidem ait S. Doctor, *alia Sacramenta, in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, videlicet Baptismum, et Confirmationem: ergo pari ratione et Ordines.* Hanc etiam rationem ad idem probandum adhibet S. Bonaventura in loco superius laudato q. 2.

Dictis accedit, quod in cap. *Tuae nobis*, De Clerico per saltum promoto, jubetur ad Diaconatum promoveri, qui hoc ordine prætermisso ordinatus fuerat Sacerdos; non tamen iteratis ordinibus inferioribus, quos *infra annos discretionis* susceperat. Hi ergo ordines valide primis pueritiæ annis fuerant collati.

At contra communem istam Theologorum opinionem Durandus, et Tournely quædam opponunt, ac illud primo: Non potest infans in Episcopum consecrari; uti etiam SS. Thomas, et Bonaventura concedunt: ergo neque ad Ordines alios promoveri. 2. Ad Sacramenta suscipienda requiritur intentio aut propria, aut interpretativa, quorum neutra in puerulis invenitur: parentum namque voluntas dici potest voluntas interpretativa parvulorum in iis tantum, quæ sunt de necessitate salutis, cujusmodi est Baptismus. 3. Ordinibus sacris adnexa est lex continentiæ, ad quam nemo ante rationis usum potest adstringi.

Resp. ad 1. in Episcopatu distinguendum esse characterem à Pastorali cura: infantes igitur Episcopalem characterem suscipere possunt ob rationem superius indicatam; etsi suscipere nequeant curam Pastoralem, neque contrahere cum Ecclesia spirituale conjungium, ad quod utique necessarius est præcedens ac-

tus voluntatis. Atque ita exponenda videtur SS. Thomæ, et Bonaventuræ sententia.

Ad 2. Constat tum ex adducta paulo supra S. Thomæ doctrina, tum ex dictis in lib. 24. c. 13. ad susceptionem characteris requiri suscipientis intentionem non in parvulo, sed in adulto dumtaxat. Neque verum est, quod de interpretativa intentione inquit Durandus; nam Sacramentum Confirmationis non est de necessitate salutis, et nihilominus possent lactentes pueri ab Episcopis consignari.

Ad 3. Fatemur, quod etsi baptizati in infantia teneantur ut adoleverint servare Christianam legem; ordinati tamen in infantia, Clericorum legibus minime subderentur. Verum discrimen istud ex eo oritur, quod unusquisque ad rationis usum perveniens consulere propriæ saluti tenetur, ideoque baptizari, Christo nomen dare, et Evangelicam legem amplecti, cujus observantia ipsam Baptismi susceptionem naturaliter consectatur; non vero tenetur tonderi in Clericum, ordinari, et agere cœlibatum, cujus observatio ex positiva solum lege Ordinibus sacris adnectitur.

Opponit denique Tournely, nullam in universa Traditione exemplum occurrere ordinationis infantium: verum oppositum infertur ex citato cap. *Tuae nobis*. Refert etiam Cyrillus Scythopolitanus in Vita Euthymii Abbatis, hunc triennem baptizatum fuisse, tonsum in Clericum, ordinatumque Lectorem. Et in libro Pontificali de Eugenio I. ad Petri sedem evecto anno 652. legitur fuisse Clericum *à cunabulis*.

Tandem advertimus, quod quamvis valeant Ordines in quacunque ætate collati, ut tamen sacri Ordines licite conferantur, Ecclesiasticæ leges certam maturamque requirunt ætatem. Et olim varia quidem fuit hujusce rei praxis, novissime vero Synodus Tridentina sess. 23, c. 12. de Reform. hanc regulam statuit observandam: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur*. Rursus licet nec antiquo, nec novo jure certa aliqua ætas pro suscipiendis minoribus Ordinibus prescribatur, sicut nec pro prima tonsura; cum tamen Tridentina Synodus sess. 23. c. 4. de Reform. vetet, ne prima tonsura initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, et qui legere, et scribere nesciant; et c. 11. requirat, ut minoribus Ordinibus initiandi latinam linguam saltem intelligant; idcirco implicite prohibuisse videtur, ne

quis ad minores Ordines, et ad primam quoque tonsuram ante discretionis annos promoveatur. Denique in Pontif. Rom. hac de re legitur: *Prima tonsura, et minores Ordines ante septimum annum dari non debent.*

Quæri hic insuper solet, an valide conferantur Ordines homini invito penitus ac reluctanti; verum quæ in lib. 24. c. 13. diximus, huc revocanda monemus. Alia vero ad caput istud spectantia te docebunt Gotti, Tournely, Berti, ceterique Theologi copiosius disputantes, necnon Catechismus Rom. in p. 2. c. 7.

CAPUT XIII.

De Ordinationis effectibus, et de nonnullis ritibus, quibus illa peragitur.

Duplicem esse sacræ Ordinationis effectum, gratiam scilicet, et characterem, nemo unus ignorat; extatque Tridentinæ Synodi canon 4. in sess. 23. hoc fidei dogma definiens. De utroque effectu supra nos egimus in lib. 24. cc. 14. et sequent. necnon in hoc ipso lib. cc. præsertim 1. et 11. Notamus hic insuper quæ habet Catechismus Rom. in p. 2. c. 7. n. 34. ubi de sacramentali hac gratia loquitur: *Quamvis Ordinis Sacramentum maxime ad Ecclesiae utilitatem, et pulchritudinem spectet; tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficit, qua idoneus, habilisque ad recte munere suo fungendum, Sacramentaque administranda reddatur; quemadmodum etiam baptismi gratia quilibet ad alia Sacramenta percipienda aptus efficitur.*

De charactere ibidem etiam hæc adduntur: *Aliam quoque gratiam hoc Sacramento tribui perspicuum est, praecipuam videlicet potestatem, quae ad SS. Eucharistiae Sacramentum refertur, in Sacerdote quidem plenam, et perfectam, ut qui Domini nostri Corpus, et sanguinem unus potest conficere; in aliis vero inferiorum ordinum ministris majorem, minoremve, quo quisque ministerio suo magis, minusve ad altaris Sacramenta accedit. Atque haec potestas etiam character spiritualis dicitur, quo qui sacris imbuti sunt, interiori quadam nota animae impressa ab aliis fidelibus distinguantur, ac divino cultui mancipentur.* Et hæc quidem pro prima capitis parte sufficiunt.

Quod vero ad ritus attinet, eorum aliquot retulimus, dum

de singulis Ordinibus paulo superius hoc in libro tractavimus; quosdam tamen alios nunc breviter attingemus. Primo itaque ex antiqua traditione notamus, non posse sacros Ordines quolibet tempore, vel loco conferri; sed uti recte jubet Tridentina Synodus sess. 23. de Reform. c. 8. *Ordinationes sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis publice celebrentur: si autem in alio Dioecesis loco, praesente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.* De his legi poterunt Pontificale Romanum tit. de Ordinibus conferendis, et cap. *De eò autem*, et alia in 1. Decretal. tit. 11. necnon Berti, Juenin, aliique.

Servanda sunt insuper temporum interstitia in Ordinum susceptione: semper enim sollicita fuit Ecclesia, ne quis de uno ad alium Ordinem illico promoveretur. Quare Leo M. in fine epist. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum ait: *Qui Sacerdos, vel Levita ordinandus est, per omnes clericalis officii ordines provehatur; ut diuturno discat tempore, cujus et doctor ipse futurus est.* Lege Synodum Tridentinam sess. 23. de Reform. cc. 11. et 13.

Quod præterea ad Clericorum vestes attinet, etsi Cl. Viri de illis plura conscripserint, nobis autem satis est paucis adnotare 1. Candidum superpelliceum, quo Tonsurati, et ad minores Ordines promoti utuntur, denotare, quod ipsi sine labe et immunditia vitam agere teneantur. Olim superpelliceum ad instar albæ talare erat et laxum.

Subdiaconus præter albam precinctam cingulo, quo carnis repressio denotatur, utitur amictu humeros tegente, quo significatur fortitudo ad divina officia exequenda; quibus mancipatur. Habet ulterius manipulum in sinistra, quod designat minimarum macularum extersionem. Habet præterea tunicam strictam, quæ doctrinam Christi significat: ad hanc enim annuntiandam Subdiaconus primum admittitur. Tempore tamen S. Gregorii Magni, sola induti alba Subdiaconi ministrabant.

Diaconus in sinistro humero stolam defert, in signum quod ad Sacramenta ministranda vocatur: et non tunicellam, sed Dalmaticam induit, largam nempe vestem, quæ significat ipsum primo ad dispensanda Sacramenta constitui; largitas enim in dispensatione requiritur.

Sacerdos vero stolam in utroque humero gestat, ut ostenda-

tur, plenam ei potestatem dispensandi Sacramenta conferri, non ut alterius ministro; et ideo stola usque ad inferiora antiquitus descendebat. Gerit et casulam, quæ denotat charitatem, quia ipse conficit Eucharistiam, charitatis scilicet Sacramentum.

Episcopis autem conceduntur novem ornamenta supra simplices Sacerdotes, caligas nempe, sandalia, succintorium, tunicam, dalmaticam, mitram, chirothecas, baculum, et annulum; quia novem sunt quæ ipsis specialiter competunt, nimirum ordinare Clericos, benedicere Virgines, Pontifices consecrare, manus imponere, dedicare Basilicas, deponere Clericos, celebrare Synodos, chrisma conficere, vestes vasaque consecrare.

Præterea per caligas rectitudo gressuum designatur: per sandalia, quæ pedes tegunt, terrenorum contemptus: per succintorium, quo stola cum alba ligatur, amor honestatis: per tunicam, perseverantia: per dalmaticam, largitas in operibus misericordiæ, per chirothecas, manuum operumque custodia: per bifidam mitram, utriusque Testamenti scientia: per baculum, cura pastoralis, qua colligere debent vagos, idque pars curva significat; et sustentare infirmos, quod ipse baculi stipes signat; et pungere lentos, quod stimulus in baculi pede demonstrat. Hinc antiquus ille versiculus:

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Et alius versus:

Attrahe per curvum, medio rege, punge per imum.

Per annulum designantur Sacramenta fidei, qua Christo desponsatur Ecclesia: Episcopi enim in Ecclesia Christi vice funguntur. Tandem Archiepiscopi ornantur etiam pallio, quod *de Corpore S. Petri sumitur*, denotatque *plenitudinem Pontificalis officii*; uti legitur in Pontificali Romano. Lege Doctorem Angel. in suppl. q. 40. a. 7.

Postremo notamus, apud Latinos Presbyteris utramque manum sacro Catechumenorum oleo, Episcopis vero manus et caput chrismate inungi; quæ tamen unctio minime spectat ad Sacramenti substantiam. *In unctione*, inquit S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4. *non imprimitur character: sed tantum fit propter solemnitatem, et dignitatem corporis dominici, quod non est contrectandum, nisi manibus consecratis. Pontifici autem fit unctio in capite, in quo significatur abundantia gratiae, quae in Praelatis debet in excellentia reperiri. Et hinc est, quod manus Sacerdotis unguntur oleo sancto, sed caput Pontificis chrismate,*

ut significetur, quod in eo debet esse excellentia vitae in conspectu Dei in scientia, et in conspectu hominum quantum ad famam. Atque ita huic de sacris Ordinationibus libro finem imponimus.

ADNOTATIO.

Bene Catechismus Rom. in p. 2. c. 7. de Ordinis Sacramento pertractans advertit, reliqua omnia Sacramenta ita ab illo pendere, ut sine ipso partim confici et administrari ullo modo non possint: partim solemni ceremonia et religioso quodam ritu, ac cultu carere videantur. Sed illud hac in re præcipuum est, quod Evangelicæ legis Sacerdotium ab Ordinis Sacramento dimanat: hujusmodi vero Sacerdotium summam obtinet dignitatem, cum potestatem habeat conficiendi offerendique Christi corpus et sanguinem, necnon dimittendi peccata; quæ duo munera humanam intelligentiam rationemque prorsus excedunt.

Sicut autem divina res est tanti Sacerdotii institutio et ministerium, ita nemo ad illud assumendus est, nisi à Deo vocetur. *Nec quisquam*, inquit Apostolus ad Hebr. 5. v. 4. *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.*

Hujusce vero vocationis indicia tria passim à Theologis recensentur; sæcularium nempe curarum abjectio, divini cultus studium singulare, atque intentionis, et propositi rectitudo. Non enim ad Sacerdotium, et Ecclesiastica ministeria à Deo vocati censendi sunt, qui ob quæstum, ambitionem, avaritiam, aut ob alium turpem finem sacris initiari desiderant.

Hinc laudatus supra Catechismus n. 5. monet, quod *qui Ordinis Sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant opus est, ut non solum Dei gloriam, in omnibus rebus quaerant, quod quidem cum omnibus, tum maxime fidelibus commune esse constat; sed etiam, ut alicui certo Ecclesiae ministerio addicti in sanctitate, et justitia illi serviant.* Sicut enim Clerici laicos gradu præcellunt, ita eosdem debent sanctitate præcellere. Quare Synodus Tridentina in sess. 23. c. 14. de assumendis ad Presbyteratus Ordinem ait: *Ita pietate et castis moribus sint conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari.*

Neque tantum morum probitas, verum et scientia necessaria

est iis qui ab Ordines, ac præsertim ad Sacerdotium promoventur. De his enim Malach. 2. v. 7. legitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Et Apostolus in 1. ad Tim. 4. v. 13. scribit: *Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae.* Hac de re Catechismus Rom. citato superius loco inquit: *In Sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quae ad Sacramentorum usum, et tractationem pertinet: sed etiam sacrarum litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo Christianae fidei mysteria, et divinae legis praecepta tradere, ad virtutem, et pietatem incitare, à vitiis revocare fideles possit.*

Itaque inter Clericorum studia commendanda principio est lectio, et meditatio Scripturarum, uti docet etiam S. Augustinus epist. 137. ad Volussianum; post Scripturas vero impendendum est tempus in percurrendis Patrum Operibus, ut in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum scribit S. Hieronymus; necessaria denique est sacrorum Canonum scientia, iis maxime, qui animarum regimini deputantur: hac de re lege quæ scripsimus in tom. 1. pag. 77.

Et istæ quidem duæ præcipuæ sunt Ordinandorum conditiones, quæ etsi per transennam à nobis adnotatæ, satis ac super ostendunt, juxta Apostoli præceptum in 1. ad Tim. c. 5. v. 22. *manus cito nemini imponendas*; quod testimonium expendens Leo Magnus in epist. 87. ait: *Quid est cito manus imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Qui vero non probatos initiant, eodem Apostolo teste, *communicant peccatis alienis.*

Hunc itaque librum tandem concludamus subjungendo S. Thomæ doctrinam in suppl. 3. p. q. 36. a. 4. «A Domino describi»tur fidelis servus qui est constitutus supra familiam suam, ut »det illi tritici mensuram: et ideo infidelitatis reus est, qui alicui »supra mensuram ejus divina tradit: hoc autem facit quicunque »indignum promovet; et ideo crimen mortale committit, quasi »summo Domino infidelis; et præcipue cum hoc in detrimentum »Ecclesiæ vergat, et honoris Divini, qui per bonos ministros »promovetur. Esset enim infidelis terreno domino, qui in ejus »officio aliquos inutiles poneret." Reliqua scitu digna apud eundem S. Doctorem videant Candidati.

FINIS.

INDEX.

LIBER XXVI.

LIBER XXVII.

LIBER XXVIII.

